

DAD

CIÓN

ALBERTO SCAVINI

THEOLOGIA

MORALIS UNIVERSA

TOMUS SECUNDUS

BX1758

S3

1863

V.2

C.1



1080047043




10/12/12

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
BIBLIOTECA PÚBLICA DE NUEVO LEÓN
MONTEBRY, &

THEOLOGIA
MORALIS UNIVERSA


TOMUS II

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

D^e Benavides,





THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

AD MENTEM S. ALPHONSI M. DE LIGUORIO
PIO IX PONTIFICI MAXIMO

DICATA

AUCTORE PETRO SCAVINI

Theologo collegiato J. U. D. Equite SS. Mauriti et Lazari,
Romanae Academiae Religionis Catholicae, Arcadiae, Catholici Instituti Parisiensis
et Societatis Academiae Augustanae
Titulo S. Anselmi socio ecclesiae cathedralis novariensis
canonico praeposito urbis et diocesis vicario generali emerito

EDITIO QUARTA PARISIENSIS JUXTA NOTAM ITALICAM, OMNIUM ABSOLUTISSIMAM

ACCEDIT COLLATIO CODICIS CIVILIS GALLICI

TOMUS SECUNDUS

DE PECCATIS IN SPECIE, DE CENSURIS, DE VIRTUTE RELIGIONIS,
DE VIRTUTE JUSTITIAE.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARISIIS


APUD JACOBUM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29

1863

110537
37980

Bx 1758
5 m m
186 N



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

SEQUENTIA

TRACTATUS QUARTI

DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE
ET SPECIE AC DE CENSURIS

DISPUTATIO SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE SEU VITIIS CAPITALIBUS


1. Q. Quot sunt vitia capitalia?

R. Vitia capitalia septem enumerat Angelicus : et sunt *superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia et acedia*¹. Dicuntur *capitalia*, non quia sint ceterorum peccatorum gravissima, vel semper mortalia; sed quia sunt specialia peccata, et insuper aliorum existimantur quasi causa, fons, caput et principium. Gregorius Magnus ea nuncupabat *exercitum diaboli, cui superbia dominatur tanquam regina*.

Horum autem peccatorum quinque dicuntur spiritualia; et duo carnalia, nempe gula quae perficitur in delectatione

¹ 1, 2, q. 85 et 84, a. 4. — V. S. Bonaventura, *De pugna contra septem vitia capit.* — Toletus, *Instructio Sacerdotum ac de septem peccatis mortalibus.* — *Traité sur les sept péchés capitaux.* Lyon. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, nn. 65 et seq.

Bx 1758
5 m m
186 N



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

THEOLOGIA MORALIS UNIVERSA

SEQUENTIA

TRACTATUS QUARTI

DE VITIIS ATQUE PECCATIS IN GENERE
ET SPECIE AC DE CENSURIS

DISPUTATIO SECUNDA

DE PECCATIS IN SPECIE SEU VITIIS CAPITALIBUS

1. Q. Quot sunt vitia capitalia?

R. Vitia capitalia septem enumerat Angelicus : et sunt *superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, invidia et acedia*¹. Dicuntur *capitalia*, non quia sint ceterorum peccatorum gravissima, vel semper mortalia; sed quia sunt specialia peccata, et insuper aliorum existimantur quasi causa, fons, caput et principium. Gregorius Magnus ea nuncupabat *exercitum diaboli, cui superbia dominatur tanquam regina*.

Horum autem peccatorum quinque dicuntur spiritualia; et duo carnalia, nempe gula quae perficitur in delectatione

¹ 1, 2, q. 85 et 84, a. 4. — V. S. Bonaventura, *De pugna contra septem vitia capit.* — Toletus, *Instructio Sacerdotum ac de septem peccatis mortalibus.* — *Traité sur les sept péchés capitaux.* Lyon. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, nn. 65 et seq.

ciborum, et luxuria quæ perficitur delectatione venereorum; cum cætera perficiantur in delectatione spirituali. Quod si peccata carnalia sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ; *minoris culpæ*, quia non important directam aversionem a fine; *majoris infamiæ*, quia includunt majorem indecentiam ex parte peccantis.

ALERE FLAMMAM
VERITATIS

CAPUT PRIMUM

DE SUPERBIA ET AVARITIA

2. Q. 1. Quid est superbia?

R. Superbia definitur a S. Thoma: *Inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*¹. Nomine *appetitus* intelligitur amor, desiderium et complacentia. Sic autem dicitur, quasi tendens *supra id quod est*. — Est autem superbia peccatum ex genere suo mortale; superbi enim ab Apostolo inter illos enumerantur *qui digni sunt morte*². Est peccatum omnium primum ratione finis et ex parte intentionis (quatenus nempe homo omnia, vel ipsa temporalia appetat, ut præ omnibus excellat); hinc illud: *Initium omnis peccati est superbia*³. Est peccatum omnium maximum, ex parte maximæ aversionis a Deo⁴. Est etiam peccatum ceteris periculosius; tum quia, dicente S. Gregorio Magno, *alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur, ut videlicet ira patientiam...; superbia autem quasi generalis et pestiferus morbus corpus omne virtutum corrumpit*⁵; tum quia, teste D. Augustino, *alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia vero etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant*⁶.

¹ 2, 2, q. 162, a. 2. — ² Rom. i. — ³ Eccl. x.

⁴ S. Thomas, 2, 2, q. 169, a. 6

⁵ L. XXXIV Moral., c. xvii.

⁶ Epist. cxi. Quare justî maxime invigilent (cum eos præsertim superbia aggredi solet), postquam et Angelum et primum hominem vicerit. — V. Balmes, *L'Art d'arriver au vrai*, c. xxii, n. 19. — Martinet, *Philosophie du catéchisme*, l. IV, c. iii. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., ° Superbia.

3. Superbia dividitur in perfectam, et in imperfectam. Perfecta committitur: 1. quando quis præ superbia recusat Deo propriam dependentiam etiam in re minima; 2. quando quis putat bona quæ habet, vel a se ipso habere, vel a Deo meritis propriis fuisse debita; 3. quando finis ultimus ponitur in propria excellentia; vel quando propria illa excellentia in rebus graviter malis constituitur, aut quaeritur ab illis et in illis. Porro superbia perfecta est semper mortalis; cum semper adversetur graviter Dei charitati, honori et excellentiæ. — Imperfecta vero committitur, quando quis sine Dei aliorumque contemptu, et quin superioribus subici recuset, *vel plus æquo se extollit, vel in propria et de propria excellentia nimis sibi placet*. Hæc superbia non est, nisi venialis; quia non est graviter inordinata, neque graviter repugnat charitati.

4. Q. 2. Quænam sunt superbiæ filiæ?

R. Superbia mater est fecundissima aliarum noxarum, quas ejusdem filias vocant. *Ista mater nescit esse sterilis*, sic de superbia Augustinus; *sed ubi fuerit, continuo parit*. Præcipuæ ejus filiæ sunt:

a. *Præsumptio*, quæ quidem est inordinata cupiditas aliquid faciendi proprias vires excedens: et est lethalis, sive ratione gravis damni proximo illati, ut si quis, v. g., præsumeret exercere officium Confessarii, Judicis, Medici et Advocati sine sufficienti scientia; sive ratione gravis injuriæ, uti fuit illa Luciferi: *Ascendam, ... similis ero Altissimo*¹.

b. *Ambitio*, et est inordinata cupiditas honoris, potentiæ, vel dignitatis. Est mortalis: 1. ratione damni, ut si quis alterum longe se digniorem arceret a dignitatis consecutione, adeo ut honor divinus vel proximus detrimentum grave patitur; 2. ratione materiæ, ut si quis ambiat grave munus, cui sustinendo impar sit; 3. ratione modi, ut si quis honores velit adipisci per simoniam, fraudem, detractionem, etc.

c. *Vana gloria*, quæ est inordinata cupiditas humanæ estimationis ac laudis. *Inordinata*; nam appetitus gloriæ per se pravus non est, cum dicat Dominus: *Luceat lux vestra coram hominibus*². Imo ex Angelico neque inordinata per se mortalis est; at periculosa, quia disponit ad gravia peccata, *in quantum scilicet per inanem gloriam redditur homo præ-*

¹ Isaïæ xiv. — ² Matth. v.

*sumptuosus, et nimis de se ipso confidens*¹ (A). — Huc faciunt versus :

*Præsumens proprios excessit Lucifer orbes ;
Deordinatos ambitio poscit honores ;
Laxatis frænis se gloria jactat inanis.*

5. Q. 3. *Quænam sunt superbix remedia?*

R. Superbiæ, ejusque filiarum remedia præcipua sunt :

1. Humilitatem frequenter a Deo exostulare, *qui est dives in omnes, qui invocant illum*². Hinc frequenter usurpandum illud Augustini : *Amove a me, Domine, spiritum superbix; concede mihi thesaurum humilitatis*. Item tum in exordio tum in successu operum nostrorum frequens nobis sit illud Psalmistæ : *Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam*; — 2. proprium nihilum et innumeras corporis et animi miserias ante oculos indesinenter habere; *Quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis*³? — 3. pœnas superbix et præmia humilitatis meditari: nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*⁴. *Qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur*⁵; — 4. mente agitare exempla J. C. qui *exinanivit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*⁶; — 5. actus tam internos, quam externos humilitatis frequenter exercere; contraria enim contrariis curantur⁷. Hinc versus :

Ora; te, pœnas, Christum meditare; retunde.

6. Q. 4. *Quid avaritia, quale peccatum, et quæ ejus remedia?*

R. Avaritia (sic dicta ab Isidoro quasi *ævis aviditas*, quia pecunia omnia valet comparare) definitur : *Inordinatus amor divitiarum*, seu temporalium, sive rerum quæ pecunia æstimantur, ut ager, domus, etc. Qui nimius amor tam potest esse erga illa, quæ jam possidentur, iis nimium adhærendo; quam ergo illa, quæ nondum habentur, ea nimia cupiditate

¹ 2, q. 152, a. 3. — ² Rom. x. — ³ I Cor. iv.

⁴ Jac. iv; et I Petr. v. — ⁵ Matth. xxiii. — ⁶ Phil. ii.

⁷ F. Pinamonti. *Specchio che non inganna*, ecc.

inquirendo. Unde etiam egentes possunt esse avari; quia si carent facultate, possunt ardere cupiditate.

Est avaritia *speciale peccatum*; cum nempe habeat speciale objectum, nempe bona fortunæ. — Peccatum capitale; cum plurima alia ex illo oriantur; hinc Apostolus : *Radix omnium peccatorum est cupiditas*¹. Et sane videmus quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum; unde cupiditas est peccatorum radix ex parte executionis. — Est etiam peccatum hoc sensu aliis periculosius: tum quia alia vitia in senectute vires amittunt, avaritia magis augetur; tum quia alia vitia satisfactione sedantur, uti gula cibo, non ita avaritia : *Avarus non implebitur pecunia*, ait Ecclesiastes². Hinc iterum Scriptura : *Avaro nihil est scelestius*³.

Est autem peccatum mortale, quando quis ad sibi comparandas, augendas, aut conservandas divitias adhibet media graviter illicita; vel proprium in iis constituit finem ultimum; vel animo paratus est potius mortaliter peccare, quam in iisdem pati detrimentum; vel peccat reipsa mortaliter, v. g., alienum accipiendo et detinendo, malam fidem in contractibus adhibendo, etc. Si vero quis divitias quidem nimis amet, sed nec velit facere nec faciat quidpiam grave contra Deum aut proximum, peccabit solum venialiter; cum sit quædam tantum inordinatio⁴.

7. Avaritiæ filix præcipuæ sunt: — 1. *durities cordis* super egenorum miseris, eis non compatiendo, non opitulando, debita tarde solvendo, eos despiciendo, objurgationibus afficiendo, etc.; — 2. *inquieta sollicitudo* ex nimio amore divitias sibi comparandi, aut timore eas amittendi. Hæc si

¹ I Tim. vi. — D. Thomas, 1, 2, q. 84, a. 1.

² Cap. v. — ³ Eccli. x. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 68.

⁴ Licet avaritia abstrahendo a consecrariis, et in se considerata ac in genere suo non sit nisi venialis, quia ex se avarus graviter nec Deum offendit nec proximum lædit, neque seipsum corrumpit; tamen quia de facili ipsam comitatur hoc periculum vel Deum postponendi, vel proximum lædendi, vel propriam salutem negligendi, ideo in praxi non raro uti mortale peccatum habetur. Hinc illud Virgilii (*Æneid. m*) : *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?*

retrahit a spiritualibus vel ab aliis obligationibus ex gravi præcepto implendis, mortalis erit; — 3. *violentia*, rei nempe alienæ per vim usurpatio; — 4. *perfidia*, si ad ditescendum fides data violetur: dicitur *fallacia*, si sit astuta deceptio alterius in verbo; *fraus*, si astuta alterius deceptio in factis; *perjurium*, si juramento firmetur deceptio alterius; — 5. *proditio*, nempe injusta rei vel personæ manifestatio lucri causa, uti de Juda proditore legimus. Hinc versus:

*Durus, sollicitus, violentus, perfidus, atque
Proditor, auratus qui nimis ambit opes.*

8. Avaritiæ remedia sunt: — 1. oratio jugis, ut gratia Dei caveamus ab omni avaritia et quæ alienum appetit vel suum nimium amat, et quæ foris prodit vel intus in corde latet; nisi enim ipsa radicitus evellatur, in malum arborem erumpet, cujus fructus pestilentissimi. Vitium namque hoc et opprobriosum et insatiabile et ferme insanabile est: *opprobriosum*, cum avarum faciat sordidum, fœdum, durum, ac crudelem; *insatiabile*, nam avarus quo plus bibit, plus sitit; unde D. Hieronymus: *Avaro et quod habet, et quod non habet, deest*; tandem *fere insanabile*: in Apostolico collegio habemus Petrum negantem, Jacobum et Joannem primos accubitus concupiscentes, Thomam non illico credentem, omnes trepidantes, qui tamen resipiscunt. At Judas qui et ipse sortitus erat sortem apostolici ministerii, avaritia captus, nec blandimentis nec minis flecti potuit; sed suspensus crepuit medius et abiit in locum suum, in locum cupidorum, qui est gehenna ignis.

2. Meditatio tum celsitudinis caelestium et terrestrium vanitatis; tum exempli Christi Domini, qui pauper nascitur, pauperior vivit, pauperrimus moritur; tum mortis ejusque consecratorum, nam post mortem *nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*¹.

3. Consideratio malorum quæ inde exurgunt. Hinc Apostolus: *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus; nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et*

¹ Ps. LIX.

*nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidem appetentes, erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis*¹.

4. Eleemosynæ largitio, miserorum visitatio, et in bonorum jactura divinæ voluntati conformatio; venenum antidoto expellitur. Unde versus:

Oro, res pendo, damnumque; superflua dono.

9. Avaritiæ opponitur *prodigalitas*, quæ consistit in defectu conservandi et excessu erogandi: est ex genere suo venialis, levior quam avaritia; quia minus exulat a virtute liberalitatis. Potest tamen fieri mortalis; si inde gravia sequantur mala, ut si ideo impotentem te reddas ad debita solvenda, si tuus pauperiem crees², etc.

CAPUT SECUNDUM.

DE LUXURIA

10. Timidis gressibus ad materiam accedimus, de qua, si multa dicimus, castas offendimus aures; si pauca, instructio nostra deficit in re omnium frequentissima. Verum sicuti in ceteris, ita et in hac disputatione sequimur Alphonsum nostrum, qui etsi puritate angelus, zelo tamen animarum accensus, lubricam materiam tractare non omisit. Qui ait: « Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! sed cum hæc sit frequentior atque abundantior Confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explere carem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum Confessionum se parant, ut hunc Tractatum quemadmodum et alium de debito conjugali... legant ob hunc unice finem: omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ

¹ I Timoth. vi. — Ferraris, *Biblioth.*, v^o Avaritia.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 68.

« sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, « ipsi suarum detrimentum patiantur¹. »

Art. I. — De luxurie definitione, natura et divisione.

11. Q. 1. Quid est luxuria et quale peccatum?

R. Luxuria sic dicitur ab Isidoro, vel quasi sit *resolutio in voluptates*: vel quia proprium est hujus turpitudinis vires corporis animique *laxare ac dissolvere*: unde qui ei cedunt, dicuntur dissoluti. Definitor autem: *Inordinatus appetitus, vel usus delectationis venereæ*. Peccatum esse ex genere suo lethale constat ex Apostolo, qui aperte declarat, luxuriosos a regno Dei prorsus excludi². Præterea cum usus rei venereæ institutus sit ad propagationem et conservationem generis humani, censetur ex se materia gravis; ergo gravis pariter ex se erit censenda inordinatio in tali materia. Id insuper est contra dignitatem Christiani, cujus corpus sanctificatum est et factum templum Spiritus sancti.

Imo est luxuria (vel etiam sola luxuriosa delectatio) gravis ex genere suo toto si sit cum plena advertentia ac deliberatione: tum quia in omni delectatione venerea ex Galeno et aliis fit quædam seminis resolutio, et est veluti inchoata pollutio seu motus ad eam; tum quia naturam rationalem graviter semper offendit hæc immunditia: unde merito Croix rejicit eorum opinionem, qui negant graviter peccare qui libere consentit in motus leves carnales sponte obvenientes. Quod quidem demonstrat vix ignorantiam invincibilem hisce in turpitudinibus esse admittendam, et multo minus apud Christianos; idque magis, si agatur de externo peccato, v. g., pollutione. Unde qui peccata sua pluries confessus, crimen hoc reticuisset, et diceret se id ex ignorantia peccati fecisse, non de facili meretur fidem, sed potius videtur teneri ad iterandas Confessiones; si enim eum interrogas, videbis homines ac lucem semper defugisse ad turpitudinem illam consummandam: quod satis probat ignorantiam vincibilem fuisse. *Continuator Tournely*³.

¹ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 415. — It. *Annali delle scienze religiose*, ser. II, an. 1846, t. III, p. 210 et seq.

Gal. v. Venerea dicitur omnis delectatio ex se tendens ad generationem a Dea Venere; ideo quia illam generationi præsidem dicebant pagani.

² Dices: *Non valet ratio, ideo ipsum reum esse, quia se occultavit, nam homines ab omnium conspectu se subducunt quando res est de min-gendo vel atreo evacuando: quæ tamen mala non sunt, cum sint naturæ necessitates.* — R. Non tenet paritas; in secundo enim casu quique interrogatus non refugit honestis verbis indicare, se in tenebris occultasse ad

12. Q. 2. Quomodo dividitur luxuria?

R. Luxuria dividitur in *perfectam seu consummatam*, quæ consistit in voluntaria humani seminis effusione: et in *imperfectam seu non consummatam*, in qua nulla intervenit humani seminis effusio. Luxuria perfecta iterum dividitur in *naturalem*, et *non naturalem* sive *contra naturam*. Naturalis est voluntaria humani seminis effusio, servatis conditionibus, quas requirit natura actus necessarii ad hominis generationem: unde est conjunctio viri et femine modo generationis apto, sed extra conjugium. Non naturalis est voluntaria seminis effusio, in qua tales conditiones non servantur. — Quæ omnia sexto et nono Decalogi præcepto prohibentur, quibus nempe velitum est mæchari et uxorem proximi concupiscere; nam qui prohibet aliquid, censetur etiam prohibere omnia, quæ ad illud conducere possunt: quod evenit in præsentem, uti fuse probant Salmanticenses.

§ I. — De luxuria perfecta et naturali.

13. Sunt sex species luxuriæ perfectæ et naturalis; nempe 1. fornicatio, ad quam reducitur meretricium et concubinatus; 2. stuprum; 3. raptus; 4. adulterium; 5. incestus; 6. sacrilegium. — Quinque species posteriores specialem continent malitiam luxuriæ superadditam; cum deformitatem includant specie diversam, quæ ideo in Confessione distincte aperienda est.

14. Q. 1. Quid est fornicatio simplex, et an prohibita?

R. Fornicatio simplex communiter definiri solet: *Concubitus soluta cum soluta ex mutuo consensu*¹. Quæ fornicatio sub gravi prohibetur:

mingendum vel ventrem exonerandum. At numquid iste eadem facilitate aperiet, se homines et lucem fugisse ad pollutionem procurandam? Quamvis autem cum pueris delinquentibus generatim non sit instituenda tam *severa imputatio*, cum ejusmodi homunculi adhucdum solo fere sensu ac phantasia ducantur; plerumque tamen hæc judicii mitigatio tunc exceptionem patitur, ubi ab hac ætate graviter contra pudorem peccatur. Nam ejusmodi pueri puellæque perbene sciunt tales spurcitiæ sub gravi prohiberi: tum vero innatus pudor vehementer reclamitat, et in plerisque qui ab ignorantia vel aliena seductione excusationem non merentur, multa animi perversitas delegitur. Ait Stapf, § 71. — Hic etiam gravissimum monitum pro parentibus sit, nempe sedulo curare debent, ne una simul pueros puellasque ad animalium custodiam mittant; desides enim et otiosi cum sint, non raro evenit, ut talibus indulgeant, quæ vel tunc vel postea in apertas turpitudines erumpent. Qua in re a Parochis ipsis est maxime invigilandum.

¹ Dicitur *simplex* illa, quæ transitorie exercetur cum una aut pluribus

1. Jure divino (quod est contra Beguardos et Beguinos): sane Apostolus fornicarios dicit non habere hæreditatem regni Dei¹; — 2. Jure naturali (quod est contra Caramuelem et Durandum). Sane in fornicatione non servatur ordo rectæ rationis, in quantum usus venereorum non fit secundum quod est conveniens ad bonum prolis nascituræ; nam huic necessaria est educatio et institutio debita. Ad quod quidem non solum requiritur cura matris a qua nutritur, sed multo magis cura patris a quo est instituendus, defendendus, et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus. Sed pro hac mutua parentum cura, necessaria est certitudo prolis, et certa perpetuoque indivisa unio maris cum determinata femina (hæc unio matrimonium vocatur): quæ cura impeditur per vagum concubitum, ut argumentatur Angelicus². Et quamvis hoc incommodum in aliquo peculiari casu posset evitari, id esset per accidens; at natura attendit ad id quod communiter contingit: ideo Deus uti auctor naturæ debuit fornicationem pro omni casu vetare. Alioquin homines cupiditatibus excæcati facile sibi fingerent incommodum illud multis in casibus defuturum, in quibus tamen reapse non deesset cum maximo prolis detrimento, Hinc D. Fulgentius: *Fornicatio nunquam potest esse sine gravi peccato*³. Et Innocentius XI damnavit hanc n. 48 propositionem: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, sed solum esse malum, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

15. Q. 2. *Quid est meretricium?*

R. Meretricium est *status mulieris, quæ omnibus parata est sub mercede sui corporis copiam facere.* Mulieres meretricantes semper habitæ sunt uti speciei humanæ opprobrium: pessima certe est earum conditio ratione habitualis ac pravæ animi dispositionis, scandali et nocuenti prolis. Ex quo constat eas esse incapaces absolutionis, donec larga experientia constet esse emendatas, et a lupanari remotas: sunt tamen a Confessario humaniter accipiendæ si forte resipiscant. Etsi

personis *solutis*: sic dicitur ad eam discriminandam a fornicatione continuata cum eadem persona, uti evenire solet in concubinato ac meretricio ex dicendis. *Soluti* autem hic dicuntur illi, uti ad rem observat Goussset, qui sunt liberi non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiæ, ab Ordine sacro et violentia.

¹ Eph. v. — ² 2, 2, q. 154, a. 2.

³ Ep. 1, c. iv.

⁴ Nomen ductum est a *mercede*, quam faciunt illæ, quæ hunc statum turpiter profitentur. De hac mercede erit in tract. *De Justitia*, diss. II, c. 1, art. 4. — V. Ferraris, *Biblioth.*, vº Meretrix.

autem emendatæ possint absolvi, non ita est de Eucharistiæ susceptione, ad quam ut admittantur, de eorum conversione ad scandalum auferendum publice constare debet; et si fieri possit, e loco turpitudinis prius adportandæ sunt.

Utrum vero in societate permitti possint meretrices, sunt qui probabiliter affirmant cum Augustino¹ et Angelico²; ne secus pejora peccata eveniant, nempe sodomie, bestialitatis, mollitiei, etc. Verum practice loquendo contrarium est probabilius cum Bouvier, Gutierrez, Navarro, Roncaglia, Scotti³ et aliis plurimis; neque enim ideo illa mala vitantur. Imo vitium hoc frequentia augetur magis, ad malum sollicitatio crescit, excitantur rixæ, provocantur duella, hebetantur sensus, studia negliguntur, vilescunt nuptiæ, etc. In omni autem casu non poterit permitti, nisi in vastis urbibus, uti probat P. Sarnelli⁴: et quidem vilissimum in locum meretrices suut amandandæ.

16. An (quæres) *fornicatio, quam unus ex sponsis habet cum extranea persona, aliquid superaddat, ut talis fornicatio sit specie diversa a simplici fornicatione; ideo an sit explicanda in Confessione hæc circumstantia?* — Alii negant, sponsi fornicationem cum extranea esse specie diversam a simplici fornicatione; quia talis concubitus dicitur nequit adulterium, cum per sola sponsalia nullum jus competat proprie dictum sponso in corpus sponsæ, et vicissim. Unde talis fornicatio est tantum circumstantia aggravans non necessario explicanda in Confessione. Alii censent diversam habere malitiam dumtaxat fornicationem sponsæ; cum in sponso non ita gravis appareat inordinatio. Alii docent utriusque fornicationem habere malitiam specie diversam ratione injustitiæ contra partem desponsatam. Licet enim ista nondum per sponsalia acquisiverit jus in corpus alterius, seu uti dicunt, jus in rem; acquisivit tamen jus ad ejus corpus, id est jus ad rem: ideo talis circumstantia est aperienda. — Hæc opiniones sunt æque probabiles⁵.

17. Q. 5. *Quid de concubinato?*

R. Concubinitus est *frequens concubitus soluti cum una eademque persona soluta.* Nihil refert, quod personæ in eadem vel in diversis

¹ Lib. IV, *De Ord.*, c. iv. — ² Opusc. X, l. IV, c. xiv.

³ Quamvis posterior sententia probabilior videatur, arbitramur tamen absolvendos esse magistratus urbium, qui bona fide asserunt, se malum istud tollere non posse. In dubiis namque non Confessarii est decernere quid agere debeant ii, quibus difficilia commissa sunt negotia, uti sunt iudices, magistratus, duces exercitus, reges, aut ministri, etc. *Bouvier*.

⁴ Opusculum *De abusu meretricis*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 454.

⁵ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 447; l. VI, n. 847. — Ferraris, vº *Absolutio*, a. 2. It. vº *Luxuria*, *Pæna*.

domibus maneat, modo uxorio more secum vivat. Imo si hic concubitus habeatur cum uxorato, vel uxorata, adhuc dicitur concubitus quamvis improprie, quia tunc etiam malitiam adulterii includit. In hoc differt concubitus a simplici fornicatione, quod fornicatio indicet concubitum soluti cum soluta modo una, modo altera; concubitus vero exercetur erga eandem personam, ac si esset conjux. Gravissimum peccatum est concubitus; quia concubinarium non tantum peccat, sed etiam perseverat in stata peccati mortalis: unde ordinarie non debet absolvi, nisi dimissa concubina.

Tridentinum Concilium adversus quemcumque concubinarium tulit penam: 1. excommunicationis ferendae sententiae post trinam monitionem; 2. ejectionis extra oppidum vel etiam extra Diocesim, implorato auxilio brachii saecularis¹. Contra Clericos autem idem Concilium statuit, ut post primam monitionem priventur tertia parte fructuum beneficii: post secundam priventur pensionibus et beneficii administratione; post tertiam ipso beneficio: dein excommunicentur: tunc poterit quoque Episcopus eos tradere curiae saeculari². Notandum tamen ex declaratione S. C. C. nomine *fructuum* non intelligi distributiones quotidianas³.

In Synodis autem ferme omnibus, uti Novariensi (pag. 522), concubitus reservatus est, licet occultus, licet habitus cum conjugata persona, modo quadam actuum frequentia (sive domi propriae sive alibi) per integrum annum, ac si delinquentes essent conjuges, duret.

18. Queres: *An aliquando possit absolvi concubinarium, qui concubinam eferre e domo non potest sine scandalo aut infamia?* — Communiter loquendo non est absolvendus: quia in diuturno concubitu est moraliter impossibile, rem aliis non fieri notam; ideo potius scandalum est, si eam non dimittat. Non negant tamen Salmanticensis in aliquo casu rarissimo posse absolvi, v. g., si aliter non possit revera vitari grave damnum famae vel fortunae; sed tunc omnino expedit, ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia poenitentis. Excipe nisi poenitens jam satis dispositus non amplius redire posset ad se confitendum, vel si ad vitandam positivam infamiam immineret necessitas communicandi.

Utrum vero extra praedictum rarissimum casum infamiae aut scandali possit absolvi concubinarium antequam concubinam dimittat, si sedulo eam dimittere promittat, non una est sententia. Alii cum Sancio concedunt pro prima vel secunda vice. Alii cum Navarro omnino negant etiam pro prima vice, quando occasio est proxima. Alii cum

¹ Sess. XXIV, c. VIII. — ² Sess. XXII, c. XIV.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 442.

Salmanticensibus distinguunt: si concubinarium est publice notus, non est absolvendus, etsi cum signis magni doloris, nisi concubinam dimittat (aut nisi postquam, concubina extra domum degente, per tempus notabile ad eam non accesserit); nam secus scandalum esset ipsum ad Eucharistiam accedere: et aliunde publicus peccator non debet absolvi, nisi etiam publice poeniteat et scandalo satisfaciatur. Si vero concubinarium est occultus, nec etiam absolvi potest, nisi in aliquo casu raro, puta si vir ille doleat profusis lacrymis, vel post terribilem concionem auditam, vel si confiteatur territus a morte socii, vel a magno periculo mortis evasus. Quamquam hoc tantum admittendum puto, cum est moraliter impossibile quod concubina ante absolutionem brevi dimitti possit, vel quando urget necessitas communicandi ob vitandam magnam infamiam.

An concubina, quae a concubinario sustentatur, possit absolvi antequam e domo illius discedat? Recte negant; nisi ex discessu grave ei eveniret damnum, v. g., infamia, aliorum scandalum; vel nisi ipsa nequiret manuum labore se alere, aut in alia domo deservire, aut mendicare sine dedecore vel alio gravi incommodo (emendicare autem illi, quae non est ad id assueta, magnum incommodum afferre videtur). Verum regulariter differenda absolutio usque ad emendationem.

An quis teneatur tollere occasionem proximam peccandi cum concubina etiam cum suo gravi damno temporali, puta si amasius debitor esset concubinae in magna summa? Probabiliter amasius occasionem illico auferre non tenetur, si nequeat solvere sine magno detrimento suae famae vel sui status, ita ut in gravem necessitatem redigeretur. Verum expedit ut differatur absolutio usque ad emendationem; quia experientia constat, quod (ea obtenta) difficulter occasio postea aufertur, et facillime reditur ad vomitum. Et si dilatio non juvat, occasio omnino auferenda: nam omnes divitiae nihil sunt in comparatione animae¹.

19. Q. 4. *Quid est stuprum?*

R. Stuprum definitur: *Illicita defloratio virginis, ipsa invita*². Hoc peccatum habet malitiam specialem et propriam; quia praeter fornicationem continet gravissimam injustitiam et injuriam oppressae virgini

¹ Quod dicitur de concubina, idem ferme valet de alia muliere suspecta, cujus retentio scandalum daret, licet cum ea non peccetur. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 435; et dicenda *De Poenitentia*, ubi de *occasionariis*.

² Hic virginitas non sumitur pro virtute, sed pro integritate carnis, quatenus nempe femina nunquam claustrum seu signaculum virginitatis, uti dicunt, violavit: unde stuprum adhuc est in illa, quae delectationibus venereis, vel mollitie jam polluta fuit.

irrogatam: stuprator enim aufert carnis integritatem, legitimas impedit puella nuptias, eamque ponit in via meretricandi¹. Stupri reus censetur etiam si quis personam ebriam, fatuam aut dormientem sine prævio ejusdem consensu oppresserit; nam tunc persona illa censetur interpretative repugnare. Imo etiam si virgo fraude (v. g., falsa matrimonii aut magnæ dotis promissione, vel gravi metu etiam reverentiali) fuerit ad malum inducta; quia licet ipsa quoque peccet consentiendo, talis tamen ejus consensus extortus fuit per gravem injuriam, nempe per vim moralem. Imo quamvis communius sit stuprum per se non esse speciale peccatum a fornicatione distinctum, si virgo plane consentiat², quia consentienti proprie dicta injuria non irrogatur; erit tamen specie diversum a simplici fornicatione, si inde interveniat dedecus ac mœror parentibus, in quorum custodia erat puella juxta illud: *Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum*³. Et tunc erit declarandum, ratione damni, quod nempe patratum est contra pietatem familiæ debitam.

Pluribus in Synodis, ut in Novaciensi (pag. 324) reservata est *copula carnalis cum innupta vi metuve, sub ficta promissione dotis vel matrimonii extorta*.

20. Q. 5. *Quid est raptus?*

R. Raptus dupliciter committitur: vel violenter abducendo fœminam repugnantem de loco in locum matrimonii contrahendi causa; vel abducendo virum aut fœminam libidinis explendæ causa de loco tuto ad

¹ S. Thomas, 2, 2, q. 154, a. 6.

² Ita sentiunt Bannes, Barbosa, Diana, Dicastillus, Lessius, Salmanticensis, Sanchez, Suarez, alique contra Collet, Dens, Sylvium, Billuart, etc. Quod movet adversarios, est violatio claustrum cui porro bono puella non habet facultatem cedendi. Verum quod ab homine signaculum virginale rumpatur, virgine ipsa consentiente, et alia circumstantia præcisa, in eo solum natura offenditur, quod illa violatio fiat extra matrimonium (certe enim in matrimonio id liceret). Ergo malitia in eo tantum stat quod concubitus fiat a viro non suo; sed hoc induit tantummodo malitiam simplicis fornicationis. Adde in contraria sententia puella de delectationibus veneris se accusans, dicere deberet, an sit necne virgo. Similiter vir, qui mulierem concupivit, declarare deberet an illam judicaverit virginem vel corruptam: hoc porro intolerabile foret, et communi pœnitentium ac confessoriorum praxi adversatur. Hanc difficultatem sentit Billuart qui ideo cum Wiggers, Boudart, et Duelman vult, circumstantiam virginittatis in voluntario stupro addere quidem malitiam specialem, sed tantum venialem, quæ ideo non est necessario aperienda. Et testatur, se antequam huic opinioni adhesisset, graves passum esse, et aliis creasse molestias in interrogationibus istis et raro sibi satisfactum.

³ Eccli. vii. — V. Liguori. *Homo Apost.*, tract. IX, n. 14.

non tutum per vim aut metum gravem illatum aut ipsi personæ raptæ, aut iis quibus illa subest, id est parentibus, aut tutoribus, aut viro. — Si 1, raptus non solum grave peccatum est, sed est quoque impedimentum matrimonii dirimens; atque gravissimæ pœnæ in ipsum jure Canonico constitutæ sunt. Si 2, raptus nedum dirimat conjugium, imo ex Tridentino¹ raptor tenetur raptam ducere aut dotare, nisi sit meretrix vel malæ famæ: quod non tam est pœna, quam justa compensatio. Est autem talis raptus peccatum mortale et luxuriæ, cum nempe intentionem contineat adeo libidinosam; et injustitiæ tam contra personam ipsam, quæ violenter abducitur, quam etiam contra parentes aut alios quoscumque, quorum in potestate persona illa constituta est.

Si vero puella sponte discedat cum amasio, non raptus, sed fuga appellatur, quæ nullam addit malitiam specie distinctam a fornicatione.

21. Q. 6. *Quid est adulterium?*

R. Adulterium sic dictum, quasi *accessio ad alienum thorum*, definitur communiter: *Concubitus illicitus viri cum muliere, quorum alteruter vel uterque sit conjugio ligatus*. Committitur adulterium tribus modis: 1. dum solutus accedit ad conjugatam; 2. dum soluta accedit ad conjugatum; 3. dum conjugatus accedit ad conjugatam.

Est autem peccatum grave tam contra castitatem, quam contra justitiam; nam ex Apostolo: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Unde idem Apostolus monet: *Nolite errare; neque fornicarii, neque adulteri... regnum Dei possidebunt*⁴. Hoc grande scelus vel ipsi gentiles detestati sunt ac prohibuerunt, uti Solon apud Græcos, Romulus apud Romanos. Quod si fœmina adultera sit conjugata, gravius committit peccatum, quam si solus vir: idque ob incommoda graviora, quæ inde solent exoriri, uti est incertitudo proles, impedimentum generationis, etc. Si vero uterque sit conjugio ligatus, malum adhuc gravius erit: quia duplex irrogatur injuria in utrosque conjugem: ideoque in Confessione id erit omnino aperiendum.

Pœnæ in adulteros ex jure Canonico sunt: 1. quod non possint adulteri compellere innocentem partem ad debitum reddendum: æquum est enim, *ut frangenti fidem nulla fides servetur*; 2. quod adsit jus in comparte innocenti divortium petendi; si tamen adulterium fuerit consummatum, certum, formale, alterutrius, non collaudatum neque remissum. Et jure civili modo carcere, modo reclusionis, modo operibus duris adulter mulctatur pro rerum adjunctis.

¹ Sess. XXI, c. vi. — V. De matrimonio, ubi de raptu. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 144. — ² I Cor. vii et vi; it. Eccli. xxvii.

Quid (quaeres) si in adulterium uxoris maritus consentiat? — Adhuc uxor erit adulterii rea, quia conjuges in hoc non possunt valide et efficaciter juri proprio renuntiare; cum renuntiare nequeant statui matrimonii, cui tale jus ex natura sua inviolabiliter inhaeret. Hinc ab Innocentio XI damnata est hæc sub n. 50 propositio: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficiens in Confessione dicere se esse fornicatum*¹.

Notandum: in pluribus Synodis, uti in Novariensi (pag. 524), poena reservationis infertur marito, qui uxori legitimæ dictis, vel factis libere omnino præstat consensum, ut alteri sui copiam faciat, si effectus sequatur, id est copula.

22. Q. 7. Quid est incestus?

R. Incestus definitur: *Concubitus illicitus inter personas cognatione sibi invicem conjunctas*. Hæc cognatio quadruplex distinguitur: oritur enim vel ex sanguinis communione, et dicitur consanguinitas; vel ex copula carnali, et dicitur affinitas; vel ex Baptismo ac Confirmatione, et dicitur cognatio spiritualis; vel ex adoptione legali, et dicitur cognatio legalis. — Omnia autem hæc semper præ oculis habenda, nam carnale peccatum cum talibus conjunctis perpetratum præter luxurie foeditatem, continet turpitudinem specialem; quia est contrarium reverentiæ propinquis debita. Hinc in sacra Scriptura incestus *res nefanda* dicitur, et *morte dignus* incestuosus². Imo non solum copula, sed omnes etiam tactus impudici inter conjunctos induunt naturam incestus in Confessione necessario explicandi; semper enim est contra pietatem, quam ipsi conjuncti sibi mutuo debent³.

Pœnæ in incestum formalem et completum ex jure Canonico in 1^o et 2^o consanguinitatis gradu, est privatio juris debiti petendi. In Synodis Diœcesanis, ut plurimum (uti in Novariensi pag. 522) incestus reservatur, si contingat inter consanguineos in 1^o et 2^o gradu lineæ tum rectæ tum transversalis; vel inter affines in 1^o gradu et inter cognatos spirituales.

¹ Imo est commune et probabilis ipsum maritum etiam cum propria uxore adulterium committere posse, si nempe eam sodomitice cognoscat; nam hoc est contra bonum datæ fidei, quod igitur est in Confessione explicandum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 445.

² Lev. xx. Juxta aliquos incestus ex generali vocabulo idem est ac non castus.

³ Copula inter personas, quæ ob impedimentum honestatis publicæ matrimonium secum inire non possunt, ad incestum revocatur. Similiter tutor, qui pupillam suam corrumpit, quamdam speciem incestus admittit. *Formalis* autem dicitur incestus quando ille qui peccat, scit eam personam quamcum peccat, sibi esse cognatione conjunctam; *completus* autem dicitur quando fit seminatio intra vas.

Sed (quaeres) an omnes memorati incestus differant inter se essentialiter, an vero sint ejusdem speciei? — Certum est incestum inter cognatos spirituales et legales, tum a se invicem, tum ab incestu inter consanguineos et affines differre; cum uterque attingat objectum speciei diversum. Nempe incestus in cognatione legali quamdam tantum habet similitudinem cum irreverentia erga parentes: per copulam vero cum cognatis spiritualibus ex D. Thoma committitur *sacrilegium ad modum incestus*, cum ea propinquitatis sit in reverentiam Sacramenti inducta¹; unde in Confessione qualitas incestus vel legalis vel spiritualis est aperienda, ut tota ac propria malitia innotescat. — Utrum vero speciei etiam differant inter se incestus inter consanguineos et affines, alii probabiliter affirmant; quia una propinquitatis est intrinseca ab identitate sanguinis, altera extrinseca a copula. Alii probabiliter negant: cum materialiter se habeat, quod una sit a sanguine, altera a copula; quia uterque incestus semper eodem pietatis motivo prohibetur. Hinc Angelicus Doctor habet: *Ejusdem rationis inconvenientiam facit consanguinitas et affinitas*.

Quid vero (dices) de variis gradibus ejusdem incestus? Estne inter se diversæ speciei gradus unus ab alio, ut debeat declarari graduum diversitas seu distantia in Confessione? Quod primo pertinet ad cognationem legalem, arii hujus cognationis gradus, uti docent probabiliter, inter se non differunt specie. Nam per se non adest naturalis ac diversa difformitas in uno, quam non sit in alio gradu: cum id positivo tantum jure inductum sit. — Incestus pariter cum affinitibus quoad diversos gradus est commune, esse ejusdem speciei paritate rationis; si tamen excipiatur incestus inter privignum et novercam, interque socerum et nurum, cujus quidem illico concipitur horrenda difformitas. — Tandem circa gradus consanguinitatis, quoad primum gradum lineæ rectæ, id est quoad incestum cum matre vel patre, videtur omnino tenendum, istum ab aliis differre specie; cum hic exhibeat specialem difformitatem ex se². Imo recte dicunt Lugo et Continuator Tourneley explicandum esse, an pater peccaverit cum filia vel an cum matre filius, cujus culpa habet diversam malitiam ratione reverentiæ matri debita.

Quoad ceteros autem gradus consanguinitatis, disputant. Alii cum Lessio, Lugo et Sanchez dicunt, specie differre etiam primum gradum lineæ transversalis; natura enim ipsa refugit maxime commixtionem inter fratres et sorores. Alii cum Laymano, Suarez et Vasquez tenent, omnes gradus usque ad quartum speciem diversam constituere; quia

¹ 2, 2, q. 154, a. 10.

² De cognatione spirituali non loquimur, cum in ea nulla gradus distinctio.

major debetur reverentia proximiori gradui, quam remotiori. Alii cum Cajetano, Navarro et Pontio docent, primo excluso lineæ rectæ, ceteros gradus specie non differre; sed tantum continere circumstantiam aggravantem. Ratio, quia prohibitio commixtionis conjugalis inter personas, excepto primo gradu lineæ rectæ, non oritur ex lege naturali (olim enim filiis Adam licitum fuit cum suis sororibus copulari), sed ex prohibitione Ecclesiæ: porro per solum jus naturale specifica diversitas constituitur. Pro hac ultima sententia videtur indubitanter esse Angelicus, qui docet, quod præter parentes, ceteræ personæ non habent ex se ipsis indecentiam, si conjungantur¹.

23. Q. 8. Quid est sacrilegium in materia luxuriæ?²

R. Sacrilegium in materia luxuriæ est violatio rei, loci vel personæ sacræ per actum venereum. Grande peccatum; dicitur enim recta ratio, sancta sancte tractanda esse: maliitiam continet et contra castitatem et contra Religionem.

1. Circa rem erit sacrilegium omnis actus luxuriosus, qui Christum lædat sub aliqua re specialiter exhibitum. Hinc sacrilegus quicumque actus luxuriosus tam interior quam exterior in eo, qui vel Eucharistiam gestat vel Communionem distribuit vel sacris indutus vestibus procedit; iste enim Christum speciali ratione iis in rebus exhibet. Item sacrilegus qui infra mediam horam post Communionem se polluit; gravem enim injuriam irrogat Christo in Sacramento. Non tamen qui turpiter peccaret Reliquias gestando; nam istæ non specialiter Christum representant³.

2. Circa locum sacrilegium erit omnis actus luxuriosus exterior patrat in loco benedicto et deputato tum ad mortuos sepeliendos, tum ad officia divina celebranda, a tecto nempe usque ad pavimentum, exclusis tamen cellis, claustro, Sacratio, dormitorio, tecto super Ecclesiam, janua extra atrium ejusdem et atrio⁴. Excluduntur etiam Oratoria privata, cum non habeantur uti veræ Ecclesiæ. — Sicuti vero

¹ 2, q. 154, a. 9. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 460. Secunda sententia est minus probabilis; aliæ æque probabiles videntur.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 454; *Homo Apost.*, tract. IX, n. 20. Poenæ in sacrilegos, vº *De virtute religionis*; t. II, n. 172. — Hic agitur tam de perfecta, quam de imperfecta luxuria.

³ Item neque qui Reliquias daret amasiæ, titulo tamen simplicis donationis, uti docent Salmanticenses, Filliucius, Azor, aliique multi contra Concinam.

⁴ Item exclusis caveis fabricatis sub pavimento, nisi sit locus sepulture vel divinorum officiorum, ait *Goussset*. Item turris campanarum, si tamen ab ipsa Ecclesia et cæmeterio sit sejuncta; item excluso choro monialium ab Ecclesia separato.

per voluntariam sanguinis, ita et per seminis voluntariam effusionem polluta remanet Ecclesia, adeo ut esset abstinendum a Divinis (si id innotescat), donec ipsa reconcilietur¹. Quod communius et probabilius dicunt valere etiam de copula maritali; quia semper graviter sanctitudini hæc copula disconvenit².

3. Circa personam sacrilegium est omnis actus luxuriosus tam exterior, quam interior in persona, vel cum persona voto castitatis ligata. Et si peccatum sit personæ sacræ cum alia item sacræ, duplex erit sacrilegium; quia dupliciter tunc offenditur Religio, peccato nempe proprio et peccato alterius, cui utrique uterque peccans cooperatur. — Qui castitatis voto obstrictus alteri suadet peccatum carnale, sacrilegii item reus evadit, si illum ex positivo libidinis affectu suadeat; jam enim directe in illam peccaret. Secus si induceret alio fine; quia votum propriam tantum respicit castitatem: ita Billuart, Dens³, etc. — Religiosus professus, qui sit etiam in Sacris, si castitatem lædit, probabilius unum tantum committit sacrilegium⁴; cum unum tantum sit motivum illius servandæ.

24. An (inquires) verba, tactus et aspectus turpes in Ecclesia sint sacrilegia? Affirmant probabilius, licet absit periculum pollutionis; si tamen illi actus externi sint graviter turpes. Nam tunc ipsi

¹ C. unic., *De consecr. Eccl.*, in 6.

² Merito tamen a mortali excusant conjuges, vel si sint in periculo incontinentiæ: vel si diu remanere deberent in Ecclesia, nempe probabilius ad 20, vel 30 dies. Nam non censetur velle pia mater Ecclesia eos obligare ad abstinendum cum tanto incommodo.

³ Qui votum castitatis pluries iteravit, aut votum simplex voto solemniori addidit, non ideo multiplex committit peccatum illud violando; unica quippe est obligatio. Ita Bouvier, qui tamen addit, circumstantiam solemnitatis in voto notabiliter aggravare peccatum juxta probabilem multorum sententiam. Hinc etiam communius dicunt contra Voit, quod si Sacerdos inquinatus impuritatibus, dum ad Confessionem accedit, fingit se esse laicum, voto tamen castitatis obstrictum, valide confitetur; cum adhuc sufficienter adaperiat voti ligamen: solemnitas autem addita voto speciem non mutet, sed aggravet tantum. Utique totum verum Sacerdos non confitetur; adhuc tamen sufficienter aperit circumstantiam de necessitate aperiendam pro Sacramenti valore: unde si aliud non obstat, etiam dato quod mentitus sit iste Sacerdos, id tamen culpæ venialis rationem non egreditur, sicque Sacramentum non infirmat. Neque obstat perfectionem a solemniori voto importatam majorem esse debere illa laici simplicis castitatis voto obstricti; cum hæc major vel minor perfectio per peccatum amissa peccatum de una in aliam speciem non transferat. Ita Palau, Lugo, ac Resolutio Casuum sub Benedicto XIV.

⁴ Cap. *Cum olim.*, de Cler. conjug. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 20.

per se continent deformitatem externam gravem contra reverentiam loci sacri.

25. *Quid de luxuriosis et gravibus cogitationibus in Ecclesia habitis? suntne sacrilegia? Vel cogitationes hujusmodi continent desiderium deliberatum peccandi in ipsa Ecclesia, tametsi occulte: vel peccandi extra. Si 1, habetur sacrilegium ob gravem irreverentiam erga domum Dei, quam decet sanctitudo in longitudinem dierum*¹. Et valet, etsi extra Ecclesiam pravum illud desiderium habitum fuerit; quia terminum haberet ad locum sacrum. Si 2, nullum sacrilegium; cum tunc peccatum non ordinetur ad Ecclesiae violationem. *Dens, Suarez* aliique.

§ II. — De luxuria perfecta non naturali, seu contra naturam.

26. Species luxuriæ perfectæ contra naturam sunt: 1. *pollutio seu mollities*; 2. *sodomia*; 3. *bestialitas*; 4. *indebitus concumbendi modus*². Singulæ species invicem differunt natura sua; quia specialem includunt deformitatem. Unde Alexander VII hanc sub n. 24 damnavit propositionem: *Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem. Et hæc omnia detestatur Apostolus, et immunditiam vocat*³.

27. Q. 1. *Quid est pollutio, quotuplex, et an mala?*

R. Pollutio generatim accepta definitur communiter: *Humani seminis effusio sine congressu cum alio*⁴. — Pollutio dividi solet:

¹ Ps. xcii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 462.

² Ita Angelicus, 2, 2, q. 154, a. 11. De modo indebito concumbendi, qui evenit quando servatur identitas speciei, sexus diversitas et debita organa naturæ (sed modo inordinato) erit in Tractatu de *Matrimonio*.

³ Rom. xii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 477.

⁴ Sive effundatur foras, ut in maribus; sive intus defluat in matricem, ut in feminis. Sed quoad feminas audiatur *Examen raisonné*: « In feminis nullum proprie dictum semen vident nunc saltem generaliter medici in humore, qui ad intra vel extra in eis effunditur; et dicunt sat unanimiter Theologi (et etiam medici, ut mihi dixit celebris medicus auctor) illud semen improprie dictum non esse ad generationem necessarium. Quidquid sit, pollutæ cognoscuntur feminae cum etiam sine ulla effusione, magnum, plus minusve ratione complexionis, experiuntur sensum voluptatis, quæ completa, satiantur ac quiescunt. Sensus hic, qui incipit in partibus venereis, et spasmi et collapsus majoris vel minoris species, proprieque semi-

1. in *simplicem*, et ea est, quæ nullam aliam malitiam habet adjunctam: ut cum quis nullo vinculo ligatus, sed solutus, in sua delectatione sistens se polluat; 2. in *qualificatam*, et est quando præter suam, aliam malitiam habet. Uti si quis vinculo castitatis ligatus uno actu se polluat cogitando de consanguinea conjugata: iste peccat non tantum peccato pollutionis; sed etiam sacrilegii, incestus et adulterii: quæ omnia sunt distincte aperienda; 3. in *voluntariam* tum in se tum in causa, prout in se intenditur directe, vel in aliquo voluntarie posito, quod ipsam causet; 4. in *involuntariam*, si nempe absque cooperatione voluntatis contingat, sed ex causis mere naturalibus, v. g. ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum, aut ex dispositione nervorum, etc. De hac porro nulla quæstio cum peccaminosa non sit; sed habeatur uti naturalis effectus, prout sudor vel sanguinis effusio naribus.

Certum est pollutionem etiam simplicem voluntariam esse intrinsece ac graviter malam; repugnat enim fini, ad quem ordinatum est semen humanum: homo enim non potest membris suis uti prout ipsi libet, sed in eum tantum finem, qui est a naturæ Auctore dispositus. Videlicet si fornicatio mala est, quia adversatur prolis educationi: a fortiori mala erit pollutio, quæ adversatur ipsi prolis generationi. Hinc legimus Deum percussisse Onan (a quo turpissimum scelus nominari cepit); quia *semen fundebat in terram*, eo quod *rem detestabilem faceret*, quæ nempe natura sua erat iniqua¹. Hinc Apostolus ait: *Neque adulteri, neque molles... regnum Dei possidebunt*². Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 49 propositionem: *Mollities jure naturæ prohibita non est*.

28. An (quæres) liceat ponere actionem de se honestam ac licitam, ex qua tamen prævidetur secutura pollutio?

R. Si nulla adest causa necessitatis, utilitatis aut commoditatis ponendi illam actionem, etsi in se honestam, nefas est eam ponere; nam rationalem creaturam dedecet sine justa causa pollutionem etiam indirecte admittere. Si vero aliqua honesta causa adest, actio illa licite poni potest, etsi in pollutionem influat. Dummodo 1. pollutio ab agente nullomodo intendatur; intentio enim mala malum opus facit; 2. quodcumque excludatur periculum in eam consentiendi; tunc habetur potius passio, quam actio, si pollutio eveniat³; quæ tunc dici nequit pro-

natio in feminis, sive ejus indicium, in pluribus iteratur, sæpe multoties iterata causa. Si femina ad se polluendum utatur aliquo instrumento, hæc circumstantia videtur explicanda, si eo utatur uti membro viri.

¹ Gen. xxxviii. — ² I Cor. vi.

³ Hic audiatur Cajetanus: « Doctores et confessores vacantes cogitationibus vel auditionibus operum turpium intuitu pietatis, non peccant subse-

cedere ex malitia; cum procedat evidenter ex naturæ infirmitate. Sane: quis incusaret Titium, qui ad commodius iter agendum equitat, ad commodius quiescendum in lecto elastico decumbit, si equitando vel sic quiescendo talem in se experiatur effectum, sed omni remoto periculo consensus? Ita Billuart, Bouvier, Gousset alique cum D. Thoma, qui ad rem habet: *Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione; alius vero sit præter intentionem*¹.

29. Sed (quæres) quate peccatum committit qui absque justa vel

quentibus corporalibus pollutionibus contra eorum voluntatem, quia licet possint, non tamen debent subtrahere se ab operibus sanctis propter hujusmodi, quæ sequuntur ex necessitate memoriæ. »

¹ 2, 2, q. 64, a. 7. — « Hinc (ad rem concludit Alphonsus noster, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 54) etiam prævisa pollutione (intellige semper involuntaria): 1° Licet Confessarius excipere Confessiones, et tractatus legere de rebus turpibus. Item chirurgis aspicere et tangere partes feminae ægrotantis, ac studere rebus medicis: ita communiter D. Antoninus, Navarrus, Cajetanus, Petrocorensis, Sanchez, Bonacina, Anacletus, Sporer, Salmanticenses, Holzman et alii plures cum D. Thoma. Idque admittunt Navarrus, Hurtadus, Roncaglia, Salmanticenses, Elbel, Sporer, etc., etiamsi aliquis chirurgus ex officio medeas, vel Parochus excipiendo Confessiones aliquoties in pollutionem consenserit, modo proponat in futurum convenientibus mediis se præcavere ad peccatum vitandum. Secus vero dicunt de *simplici Confessario*; hic enim tenetur eo casu abstinere ab audiendis Confessionibus, si possit sine gravi suo damno. — Imo si Parochus vel chirurgus in iis occasionibus semper vel fere semper lapsus fuerit, et non appareat nova probabilis spes emendationis, hic omnino tenetur etiam cum jactura vite officium deserere. Sic etiam 2° dicunt quamplurimi, uti Cajetanus, Bonacina, Layman, Sanchez, Navarrus, Fillucius, Salmanticenses, Sporer, Croix, Bussembaum, Villalobus, Ledesma, Marchantius, Trullench, etc., licere iis, qui magnam patiuntur pruritus in verendis, tactu illum abigere, etiamsi pollutio sequatur. licet vero id prohibet Roncaglia, si pruritus non sit valde molestus, quamvis permittat eum abigere cum aliqua tantum commotione. — Nihilominus non facile credatur quibusdam puellis, quæ tactibus se polluerent solent, prætextu hujusmodi ardoris; nam si diligenter examinentur, cognoscetur ille pruritus multoties potius excitatus fuisse vel a pravus cogitationibus præhabitis, vel ab habitu pravo contracto se tangendi. 3° Dicunt etiam Castropalaus, Layman, Sanchez, Armilla, Lessius, Azor, Navarrus, Vasquez, Bonacina, Anacletus et Salmanticenses, licere equitare causa utilitatis; et etiam recreationis, ut subdunt Sanchez, Layman, Castropalaus. — Dicunt quoque Sanchez, Layman, Castropalaus, Holzman, Sporer, etc., ex communi, unicuique licere decumbere in aliquo situ ad commodius quiescendum. 4° Demum dicunt S. Antoninus, Lessius, Toletus, Pichler, Salmanticenses, Holzman, Sporer, etc., communiter, licere cibos aut potus calidos moderate sumere, et honestas choreas ducere. »

necessitatis vel utilitatis vel commoditatis causa ponit actionem, ex qua prævidet pollutionem esse secuturam? — Vel actio sine justa causa posita influit proxime et graviter in pollutionem; vel tantum remote et leviter. Si 1, actio erit peccatum mortale, licet in se pollutio intenta non sit; quia lex naturalis pollutionem graviter prohibens, obligat etiam sub gravi ad non ponendas actiones proxime et per se in eam influentes. Si 2, non erit nisi culpa venialis, modo pollutio non fuerit intenta, nec extiterit consentiendi periculum; quia cum ea non sit voluta in se, sed tantum in causa, eo gradu mala est, quo est mala ipsamet causa. In hoc scilicet casu pollutio quæ prævidetur secutura, a causa potius naturali videtur procedere, quam a causis illis leviter et remote in eam influentibus.

Porro actiones seu causæ *proxime* in pollutionem influentes sunt eæ, quæ per se, directe et natura sua, ad pollutionem tendunt, eo fere modo quo dicitur causa per se mortis inflictio vulneris lethalis; atque idecirco gravem culpam constituunt in genere luxuriæ. Sunt, v. g., voluntarius aspectus concubitus humani, colloquia aperte nimis inhonesta, lectio vel auditio rerum valde turpium, cogitationes morosæ de rebus venereis, tactus turpes in pudendis. Omnes ideo actiones istæ (vel pollutiones inde provenientes) procul dubio peccata mortalia dicendæ sunt, si absque causa proportionata, necessaria vel utili illæ ponantur; quia natura sua tales sunt, ut valeant graviter incitare ad libidinem. Ita communiter cum S. Thoma.

Actiones vero seu causæ in pollutionem influentes *remote* tantum illæ dicuntur, quæ per se ac directe non tendunt ad pollutionem, ac proinde non constituunt, nisi culpam levem in genere luxuriæ: vel gravem quidem per se, sed non in genere luxuriæ, bene vero in materia diversa. Est, v. g., esus vel potus calidorum, equitatio, confabulatio inutilis cum puella, crapula, ebrietas aut carniæ comestio nimis immoderata; item audire Confessiones feminarum, studere rebus venereis; denique omnes aliæ actiones sive licite de se, sive illicite extra genus luxuriæ, ex quibus nihilominus solet oriri pollutio. Has porro, uti communiter et probabiliter docent cum S. Antonino Anacletus, Elbel, Roncaglia, Salmanticenses, Sanchez, Sylvester, Suarez alique, non tenemur sub gravi evitare, ideo quia graviter non influunt, nec per se in ipsam pollutionem.

Advertimus tamen actiones, quæ per se remote tantum in pollutionem influunt, posse influere proxime in eandem *respective*, id est relate ad peculiarem alicujus infirmam dispositionem. Et tunc in eo tales actiones essent utique peccaminosæ mortaliter, ut valde probabiliter docent Roncaglia et Salmanticenses. Hinc qui frequenter pollutiones expertus est ex causis per se non graviter culpabilibus in materia turpi,

puta ex curiosa inquisitione turpium verborum, ex aspectu picturæ non ita honestæ, ex coitu animalium, etc., tenetur eas sub gravi evitare. Unusquisque ergo conscientiam suam consulat, et ex propria inclinatione maxime viliose acquisita, consideret ex qua causa sibi pollutionis vel malæ delectationis periculum immineat, ut cognoscat quæ causa respectu ipsius sit gravis, quæ non.

30. *Quid si quis patiatur pollutionem involuntariam ex lectione turpi peracta ob simplicem curiositatem, absque prava intentione et sine periculo se delectandi de rebus quas legit?* Licet speculative loquendo videatur a mortali posse excusari; in praxi tamen eum non excusamus, maxime si ideo jam frequenter pollutionem sit passus: illius respectu lectio illa graviter in pollutionem influit.

31. *Quid si semen humanum noceat? licetne illud expellere?* Negative, non licet; actio enim seminis administra ad solam generationem a natura per liberum agentem permissa est. Neque juvat dicere, quod bene possunt expelli e corpore ceteri humores superflui: disparitas est, quod ceteri humores dantur primario in bonum corporis, et ideo illius bono subduntur; at semen habet finem unicum a natura intentum, nempe generationem. Neque pars est superflua, sed virtus potentiæ generativæ⁴.

Si tamen semen iudicio medicorum transierit in materiam corruptam, tunc poterit medicinis expelli, etsi præter intentionem sequatur aliqua veri seminis effusio, uti affirmant communius et satis probabiliter Billuart, Bouvier, Layman et Sanchez contra Bonacinam, Croix et Lugo: quia tunc veri seminis effusio per accidens sequeretur, cum non intendatur directe. Intellige: 1. si semen certo sit corruptum: in dubio non licet, nam verum semen est in possessione: unde nostrum est probare illud esse corruptum; 2. si alia desint remedia; cum enim hoc periculosum admodum sit, non est tentandum, nisi in extremis; 3. si fieri possit sine sensu libidinis, qui semper malus est. Hinc non licet id procurare tactibus; quia confricatio de se tendit ad commovendos spiritus carnales et verum semen expellendum².

32. Q. 2. *Quid de pollutione in somnis habita?*

R. Pollutio in somno habita per se non est peccatum: quia in somno nulla libertas. Diximus *per se*; nam erit mortalis: 1. si ante somnum

⁴ Quod si opponas illud aliquando a natura expelli, non ideo aliquid concluditur: quod enim a natura fit, non est contra naturam, sed ab Auctore nature; neque ideo fieri licite potest a nobis. Sic contra naturam non est, quod quis ex defectu virium moriatur; at esset, si quis ideo vires sibi vellet adimere. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 477.

² Nunc medici testantur semen non corrumpi, sed tantum non elaborari; ac proinde vanam esse hypothesim seminis corrupti et morbiferi.

directe aut formaliter fuerit procurata, v. g., vel ideo calidam potionem sumendo vel certo situ apposite cubando; tunc pollutio esset voluntaria in causa; 2. si post somnum placuit, et approbata fuit ob delectationem veneream; tunc jam accederet formalis consensus. Hic tamen notandum, quod cum pollutio contingit in somno, et seminis emissio contingit in vigilia semiplena, tunc etsi quædam adsit delectatio, cum tamen non sit plene deliberata, peccatum erit dumtaxat veniale. Item si seminis emissio inceperit in somno, sed consummetur in plena vigilia, modo non adsit in delectationem consensus vel proximum ejusdem periculum (quod ex præterita experientia poterit judicari), non tenetur emissionem illam quis in se cohibere, ne se morbi periculo exponat, videlicet semen corruptum violenter in se retinendo¹.

33. Q. 3. *Quid sentiendum de simplici distillatione?*

R. Hoc nomine intelligimus fluxum quemdam humoris medii urinam inter et verum semen, qui guttatim in parva quantitate decidit. Si distillatio hæc evenit præter intentionem, nempe sine ullo voluntario sensu carnis et sine spirituum commotione item voluntaria, nullum est peccatum, neque plus oportet de ea inquirere, quam de simplici alio quocumque corporis sudore. — Si vero eveniat cum voluntario carnali sensu et cum spirituum generationi inservientium commotione, v. g. ex turpi colloquio, aspectu, tactu, etc., tunc erit peccatum mortale; esset enim inchoata pollutio. Adde: ipsa esse non potest sine magna carnis rebellionem. Unde pro praxi recte advertit Sanchez, quod data opera etiam levem distillationem procurare, mortale peccatum est; quia illa semper vel ut plurimum secum fert aliquam commotionem, et aliquantuli seminis effusionem, aut certe illius proximum periculum.

34. Q. 4. *Quid est sodomia et quale peccatum?*

R. Sodomia perfecta definitur communius ac probabilius cum D. Thoma²: *Concubitus ad non debitum sexum, nempe masculi ad masculum, vel femine ad feminam.* Unde concubitus cum debito sexu, nempe masculi ad feminam, sed extra vas naturale, erit adhuc sodomia, imperfecta tamen. Sodomia suum nomen accepit ab urbe Sodoma, quæ in tanti criminis pœnam igne a cælo delapso fuit una cum suis incolis tota consumpta³. Ex tali autem pœna criminis gravitatem facile colligere est: et sane illud vehementissime natura refugit. Talem ignominiam graviter quoque insectatur Apostolus⁴. *Horrendum scelus*

¹ Adde illud retinere difficillimum esse: et ita communiter Theologi cum Concina. Expedi tamen pro avertendo quocumque periculo peccati, ut talis sese crucis signo muniat, ut mentem ad contraria convertat, ut SS. Jesu et Mariæ Nomina invocet.

² 2, 2, q. 154, a. 11. — ³ Gen. xix. — ⁴ Rom. i.

appellat Pius V, et Chrysostomus sodomitas eloquentia sua conterit, infamiores ipsis canibus eos dicens¹.

Debet autem necessario pœnitens aperire in Confessione circa sodomiam: 1. qualis fuerit persona, quacum peccaverit, an sacra, conjugata, consanguinea vel affinis; idque ob specialem malitiam, quæ tunc superadditur vel sacrilegii vel adulterii vel incestus; 2. in sententia probabiliori tenetur etiam aperire, an fuerit agens an patiens; quia in primo contingit pollutio, non semper in altero; 3. an persona complex sit diversi vel ejusdem sexus; nam in sententia communiore perfecta sodomia est diversæ speciei ab imperfecta; cum sit major ac diversa deformitas contra naturam rationalem, non servare neque debitum sexum, neque debitum vas.

Jure Canonico, si sodomite sint laici, excommunicationi subduntur ac declarantur infames²; Si Clerici vel Religiosi, ex Bulla *Horrendum* S. Pii V, privantur omni officio, omni beneficio atque privilegio clericali. Verum sodomite has pœnas non ineurrunt, nisi sodomia sit: 1. *perfecta*, nempe cum alio ejusdem sexus; 2. *completa*, nempe consummata intra vas: lex enim in odiosis est strictæ interpretationis³; 3. *frequentata*, nam Bulla loquitur *de exercentibus sodomiam*. Hanc pœnam probabilis incurrunt etiam patientes; cum ipsi quoque vere sint sodomite⁴. Solet etiam ab Episcopis hoc crimen reservari, uti reservatum est in Synodo Novariensi (pag. 321), si tamen perfectum sit atque completum.

35. Q. 5. *Quid est bestialitas, et quale peccatum?*

R. Bestialitas est *coitus cum bestia*. Nefandissimum scelus, gravius quocumque alio contra naturam; nam ibi non solum non servatur debitum vas aut sexus, sed neque debita species. In ejus autem execrationem statuebatur in Lege Veteri, ut homo simul et bestia trucidarentur⁵. — In Confessione autem opus non est explicare qualis fuerit

¹ Hom. xiv, in *Ep. ad Rom.* — ² C. i, de *Excess. præl.*

³ Etiam inter fœminas habetur completa sodomia, vel ope instrumenti, vel naturaliter eo modo, quo compleri potest, quoties nempe fit applicatio unius partis ad partem alterius cum aliqua seminatione intra vas. Ita Salmanticenses, Luraschi, etc.

⁴ Non tamen incurritur ipso facto, uti verius dicunt et communis (licet id in lege exprimitur); quia nulla pœna activa privans jure acquisito incurritur, nisi post sententiam saltem declaratoriam; cum nimis sit durum, ut quis debeat in seipsum gravem pœnam exequi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 472.

⁵ Lev. xx. Tactus impudici cum bestia, licet proprie non sint peccata bestialitatis, tamen habent aliquam specialem turpitudinem, uti ait Elbel, saltem venialem (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 475). De bestialitate caute,

bestia; cum in genere morum id non referat. Item non est opus, ut communiter et probabilis docent Azor, Potestas, Renzi, Tournely, etc., contra Croix et Elbel, quod explicetur, an bestia illa fuerit mas an fœmella; quia hic tota essentialis deformitas consistit in accessu ad diversam speciem: unde qualitas bestię, et sexus hac in re accidentalis est¹.

Bestialitas in omnibus ferme Synodis Diœcesanis reservata est, licet extra vas naturale expleatur, ut in Novariensi (pag. 321).

§ III. — De luxuria imperfecta.

36. Luxuria imperfecta consistit in delectationibus, osculis, amplexibus, tactibus, aspectibus, turpiloquiis, comoediis, saltationibus et similibus.

37. Q. 1. *Quid est, et quotuplex delectatio?*

R. Delectatio in genere est *quietio appetitus in aliquo quod placet*. Delectatio triplex est: alia spiritualis sive intellectualis; alia organica sive sensibilis; alia venerea sive carnalis. *Prima* est quietio appetitus spiritualis in bono extra sensus posito; talis est delectatio, quæ exurgit ex contemplatione veritatis. De hac nulla quæstio in hac materia. *Secunda* est quietio appetitus sensitivi in aliqua impressione grata; oritur nempe ex conformitate rei sensibilis cum organo sensus, quin tamen ullo modo commoveantur spiritus genitales. Talis est delectatio visus ex re pulchra, auditus ex musica, tactus ex lenitate, gustus ex sapore, odoratus ex suavitate. *Tertia* vero est quietio appetitus sensitivi sese oblectantis circa res ad generationem tendentes. Est nempe ea, quæ sentitur circa partes venereas, et oritur ex commotione spirituum genitalium².

seu semper interrogandi libidini multum dediti; quia plures istorem estimant illud sufficienter pollutione declarari. Aliunde quot inveniuntur qui cum illud semel aut iterum commiserint (forsan solum in prima adolescentia et potius ex quadam puerili, quam ex vehementi libidine) de illo diutissime in Confessione taceant! *Examen raisonné*.

¹ Congressus cum dæmone, aiunt communissime, reducit ad bestialitatem; nam est congressus cum individuo alterius speciei, in quo est malitia bestialitatis. Imo est etiam culpa superstitionis, quia est societas cum dæmone. Imo habetur etiam malitia fornicationis aut sodomie affectivæ, si dæmon appareat in forma pueri, aut mulieris; et etiam adulterii aut incestus, si quis delectetur de coitu cum dæmone uti cum parente vel conjugata. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IX, n. 28.

² Eadem persona potest esse objectum hujus triplicis delectationis. Si illa amat ob dona naturalia intellectus, est *delectatio spiritualis*; si ama-

An (quæres) in delectatione circa hanc materiam detur parvitas?

R. 1: Quod pertinet ad delectationem veneream, in ea nullimode datur parvitas extra conjugium; talis enim deliberata delectatio est quædam semper inchoata pollutio, seu motus ad ipsam. Hinc Alexander VII damnavit hanc sub n. 40 propositionem: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus et pollutionis.* Hinc non videmus quare non sit graviter improbandus qui delectando manum mulieris attingat, digitos contorquet, pedem premit, etc.

R. 2: Quod pertinet ad delectationem sensibilem, speculative loquendo est probabilis opinio Billuart, Gousset, Collet, Sylvi et aliorum, qui docent dari utique parvitatem materiæ: nam hæc delectatio, sistendo ibi et ex se, mala non est; cum ipse Deus eam sensibus pro fine legitimo annexerit: unde erit tantum mala ratione periculi, quod quidem potest etiam leve esse. Hinc leviter tantum peccaret qui aspiciet pulchram mulierem, aut tangit ejus inanium vel faciem, præcise propter delectationem mere organicam seu sensualem, consistentem in quadam conformitate rei visæ vel tactæ cum organo visus vel tactus; ita ut non sit aliud quam delectatio de re pulchra quæ videtur, aut de re blanda, molli, tenera quæ tangitur; verum absque alia cujuscumque rei turpis delectatione.

Diximus *speculative loquendo*; nam in praxi est omnino tenendum contrarium cum Cajetano, Diana, Filliucio, Roncaglia et Salmanticensibus, quando delectatio sensibilis est cum plena advertentia et consensu circa objecta, quæ hac de re periculum inducere possunt. Nam ob corruptam naturam est moraliter impossibile, ut delectatio sensibilis venereæ locum non faciat, maxime si delectatio sensibilis habeatur a personis ad copulam aptis, vel sit cum aliqua mora et affectu¹.

Bene tamen advertit Continuator Tournely, aliud esse agere propter delectationem, aliud autem agere cum aliqua delectatione naturali, quæ de se consurgit ex qualitatibus corpori adnexis. Quia in hac potest quidem dari parvitas materiæ; cum directe ac per se non habeat ratio-

tem ob quamdam excellentiam corporis, est *delectatio sensibilis*; si amator ob voluptatem carnalem ad concupiscendam eam, est *delectatio venereæ*. Hic etiam notamus, nomine *delectationis* intelligi omnes cogitationes malas in genere luxuriæ, scilicet desiderium, gaudium et delectationem morosam proprie dictam.

¹ Ipse Billuart ait (*De temperantia*, diss. v, a. 2): *A delectatione sensuali ad veneream, maxime in sensu tactus aut visus, facilis est progressus.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 416; et *Homo Ap.*, tract. IX, n. 2.

men periculi proximi: puta in medico, qui ex necessitate mulierem tangit: modo (addendum) curet non sistere in tali delectatione, sed eam detestetur. Alias jam quasi agere inciperet propter delectationem quæ, licet naturalis sit, non est tamen sejuncta a proximo periculo transeundi in carnalem delectationem.

38. Q. 2. *Quale peccatum sunt oscula, amplexus, etc., extra conjugium?*

R. Hæc possunt extra conjugium habere locum: 1. ex intentione delectationis venereæ; 2. ex intentione delectationis sensibilis; 3. ex simplici consuetudine patriæ et benevolentia; 4. ex animi levitate, joco, curiositate vel petulantia.

1. Oscula, amplexus et similia, si fiant ex intentione delectationis venereæ, sunt profecto peccatum mortale; cum talis delectatio tendat ad luxuriam perfectam. Imo sunt ejusdem naturæ cum actibus luxuriæ consummatis, quia attingunt totum objectum ut est in se: hinc in confessione exprimentum, an locum habuerint cum persona conjugata, etc.; 2. si hæc fiant ex intentione delectationis sensibilis, adhuc tenendum, esse mortale peccatum; est enim seipsum exponere proximo periculo in delectationem carnalem labendi. Nam ob maximam naturæ corruptæ infirmitatem et ejusdem in luxuriam proclivitatem, difficile admodum est in sola illa delectatione sensibili ita immorari, ut etiam ad veneream non procedatur¹; — 3. si hæc fiant tantum vel ex patriæ consuetudine, vel causa officii aut benevolentiae, vel alia intentione non mala, non erunt peccata, etsi delectatio venerea suboritur, modo voluntas illam aversetur, et omne absit periculum proximum consentiendi. Non enim hoc in casu per se impudici dici possunt, vel tendere in actionem veneream; — 4. si fiant ex animi levitate, joco, curiositate vel petulantia, cum supponantur in se honesta, et tantum deficient in modo, per se non erunt nisi venialia; si tamen absit consentiendi periculum, nec scandalo sint, uti essent scandalo, si hæc fierent ab Ecclesiasticis. Si vero hæc crebro contingant, cum mora atque ardore, uti cum os ad os fiant quasi gustatis labiis vel lingua introducta, præsertim inter personas diversi sexus, erunt grave peccatum; quia valde ad libidinem solent excitare, et facillime ad veneream declinant, attenta hominis fragilitate².

¹ Hinc merito communiter docent, delectationem sensibilem in praxi vix ac ne vix quidem a venerea separari. Ideo actus inde provenientes esse ut plurimum peccata mortalia, præsertim si exercentur inter personas diversi sexus ad copulam idoneas, et sint cum aliquo affectu et mora, ut dictum est.

² Quare maxime esset exoptandum, ut actus hujusmodi præsertim inter

39. Q. 3. *Quid de tactu partis inhonestæ corporis proprii vel alieni?*

R. Ad 1: Ad corpus proprium quod attinet, si tactus contingat ex necessitate vel ex fine aliquo honesto, v. g., ad abstergendas corporis sordes, nullum erit peccatum, etsi venerea suboriatur tentatio, modo eam voluntas aversetur; res enim honesta est, periculum vero remotum, nulloque modo volitum. Quod si nulla sit necessitas partem pudendam proprii corporis tangendi, neque finis aliquis honestus, sed tactus procedat ex levitate vel joco, culpæ non erit vacuum. Venialis erit, si obiter fiat, non repetitis vicibus, et absque periculo consensus venerei: non enim tunc adest, nisi aliquis turpitudine. Mortalis vero, si fiat studiosè, morosè et cum proximo turpis concupiscentiæ periculo, ut patet. — Idem ad aspectum extendi debet.

R. Ad 2: Quod ad corpus alienum spectat, regulariter a mortali excusari non potest qui absque necessitate tangit partes pudendas alterius, vel partes admodum vicinas, etiamsi persona illa sit ejusdem sexus, et tactus fiat super vestes. Quia talis actio, quamvis poneretur ex animi levitate, per se tamen et natura sua ad venerem excitat vehementissime, et naturali honestati valde adversatur¹. Diximus *regulariter*; quia si tactus hujusmodi contingerent inter impuberes ex levitate et joco, absque ulla delectationis venereæ intentione, a mortali poterunt excusari; cum in hoc casu non videantur in eandem (saltem graviter) influere².

viros atque mulieres e christianorum regionibus prorsus exalant ob periculum, quod iisdem inhæret, affectus libidinosi. — Ceterum non ita statim arguendi de gravi juvenes utriusque sexus, qui in nonnullis locis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis melius foret abstinere.

¹ Graviter est increpanda illorum juvenum prociacia, qui manus ex proposito immittunt in sinum mulieris; affectus enim libidinosus si non antecedit, certe sequitur ex tali tactu, uti experientia docet: adde vel ipsam quæ tangitur, non raro sic exponi pollutionis, vel libidinosæ delectationis periculo. Ait Goritia: tactus uberum femine præsertim jam puberis, sunt mortales cum sunt pressi et morosi; veniales vero, si leves et fiant obiter, superficialiter sineque affectu libidinoso. Ita etiam de puella proprium sinum tangente dicendum erit. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Tactus impudici.

² Quod dicendum quoque est de ancillis vel nutricibus, quæ dum induunt vel spoliunt infantes aut adolescentes, partes eorum pudendas aspiciunt vel tangunt ex levitate; hoc enim ordinariè non est conjunctum cum gravi carnis commotione. Attamen ab hac prava consuetudine graviter sunt arcedæ ancillæ, quia si id in more habent, turpem habitum se tangendi de facili vel ipsi adolescentes contrahunt, qui inde in profundum veniunt. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 416 et seq.

Quid (quæres) de illo, qui permittit se ab alio turpiter tangi? — Admittens tactus graviter impudicus peccat dupliciter et mortaliter; tum quia consentit peccato alterius; tum quia se exponit periculo turpis affectionis. Peccat pariter lethaliter admittens oscula, amplexus, et vel ipsam manus contractationem, nisi fiat ex more patrio, aut alio fine honesto, et absque ullo affectu pravo; aliter enim id esse non posset sine periculo gravi consensus in ipsam delectationem turpem. Hinc illud:

Ni fugias tactus, vix evitabitur actus.

40. Q. 4. *Quid de aspectu partium inhonestarum corporis alieni?*

R. 1. Si aspectus partium inhonestarum refertur ad personas ejusdem sexus, non est per se mortale; quia nec videtur graviter honestati adversari, nec adeo ad luxuriam inclinare. Diximus *per se*; nam excipe: 1. si aspiciens sit ad turpia valde inclinatus; tunc illi periculum esset proximum: item est si pulcher adolescens aspiciatur nudus; 2. si aspectus sit nimis diuturnus; neque enim in hac nature corruptione diu esse potest, quin concupiscentia stimulos acuat suos. Hinc reprehendendi graviter sunt simul natantes, detectis verendis¹.

R. 2. Si vero aspectus partium inhonestarum, cum voluntaria delectatione actus, refertur ad personam diversi sexus, vel ad humanum concubitum, hoc erit mortale (nisi visio contingeret e loco valde longinquo, et tempore brevissimo et absque turpi affectu). Talis enim visio ad luxuriam vehementer inducit, et maximam turpitudinem procul dubio includit². Neque excusari a gravi, si partes turpes velo

¹ Vigilandum item a potestate ecclesiastica et civili, ne natantes, postposita verecundia, alienis oculis, præsertim personarum diversi sexus, nudos se objiciant: quod sine gravi scandalo ac periculo esse non solet. Notat Sanchez, explicandum in Confessione qualitatem personæ, quæ fuit turpiter aspecta; quia aspectus sicut et tactus ab objecto specificantur. Sed verius contradicit Croix: quomodo enim qui aspiciens turpiter consanguineam committit incestum, si aspiciat sine ullo ejus desiderio? Videlicet aspectus afficiunt immediate solam personam, et ideo natura sua non censetur in actum consummatum tendere, et esse quasi aliqua copulæ affectiva inchoatio. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 424.

² Excusant a mortali Salmanticenses, si absit periculum commotionis, ratione ætatis puerilis vel etiam senilis vel frigidæ complexionis; sed hoc nec admittendum puto; cum saltem ex visu turpi oriatur periculum concupiscendi. Sunt autem graviter increpandi pueri illi ac puellæ sibi invicem verenda detegentes, etsi obiter et ex levitate, et quin ullâ adsit visus delectatio; id enim si non erit mortale ad mortale sine dubio conducit. Morosè

tenuissimo et perlucido aspicias; quia talis aspectus potius libidinem auget.

Quid (quæres) si aspiciantur partes honestæ personæ pulchræ diversi sexus? — Dicimus imprimis cum D. Thoma diuturnum mulieris pulchræ aspectum in eo, qui inordinato amore erga eam feratur, esse peccatum grave ob grave, cui se exponit, libidinosæ delectationis periculum: idem est de diuturno colloquio vano cum puella inordinate dilecta. Si vero aspectus iste contingat ex simplici urbanitate, vel ex causa alia honesta, non erit peccatum; vel veniale, si aspectus sit diuturnus aut ex curiositate procedens, videlicet ratione aliqualis periculi.

Aspicere autem partes minus honestas, non tamen turpes mulieris, uti pectus, brachia, crura, partem superiorem pectoris, secluso periculo lapsus atque aspectus diuturnitate, non est mortale; cum in hoc grave periculum non sit.

41. Quid (dices) de eo, qui aspicit picturas obscenas? — Iste per se et speculative loquendo non peccat, quotiescumque nulla sit delectatio turpis, neque proximum ejusdem periculum; quia revera artificialia minus movent, quam naturalia. In praxi tamen putamus difficulter a mortali posse excusari virum, qui partes inhonestas mulieris depictæ morose aspiceret; difficulter enim iste liberare se poterit a turpi delectatione vel saltem a proximo ejusdem periculo, nisi aspiceret per tempus brevissimum vel in magna loci distantia. Idem docet Billuart, si aspectus fiat ex levitate, vel ex curiositate: aut si picturæ infantes tantum representent.

Quod vero pertinet ad illos qui pingunt vel exponunt publice imagines obscenas scilicet detectis verendis vel tenui velo obductis, isti peccant gravissimo scandalo; cum picturæ istæ præsertim adolescentes valde ad libidinem provocent¹. Monet Tridentinum: *Omnis lascivi-*

autem aspicere commixtionem animalium periculosum est. Tangere genitalia brutorum (etiam ex curiositate, joco, vel levitate) usque ad effusionem seminis belluini, est mortale, cum hoc vehementer natum sit ad libidinem excitandam, per se tamen tangere, molliter tractare genitalia bruti non est, nisi veniale. Conjugentes vero equos, tauros et similes ad procreandam prolem, non peccant, etsi motus libidinis exurgat, modo ei non consentiant; cum sit res necessitatis, vel res utilitatis (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 419 et seq.). Olfacere ex curiositate menstruum, semen et cetera fœda videtur inordinatio gravis vel levis juxta periculum.

¹ V. Bravi, *Della convenienza di trattare la scultura e la pittura in relazione all'attuale progresso de' lumi*. Bergamo. — *Amico Cattolico*, Milano, t. XXII, p. 22. — *Memorie di Modena, ecc.*, t. XII, ser. III, art. la decenza nelle belle arti. — Cittadella, *Istruzioni al pittor cristiano*.

via vitetur ita, ut procaci venustate imagines nec pingantur nec orientur¹. Quod etiam valet de iis, qui eas domi retinent omnium aspectui expositas cum sibi et aliis pravam præbeant occasionem.

42. Q. 5. An sit mortale turpia verba proferre?

R. Affirmative; mortale est turpia verba proferre, si ea sint nimis lasciva, uti si nominentur pudenda alterius sexus, aut modus copulandi, maxime si fiat cum aliorum scandalo, quod adest plurimum, cum dicuntur coram puellis aut pueris; vel si sint cum periculo male delectationibus in seipso. Unde aiebat Apostolus: *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*². Si tamen proferantur ex joco aut ex ira inter personas, in quibus vel nulla vel levis carnis commotio excitari solet, non sunt nisi venialia peccata; cum periculum sit valde remotum³.

Illic etiam notandum dicitur, quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, etc., remoto scandali periculo, de se non esse mortalia; quia ea proferentes et audientes parum commoventur. Item neque semper videntur habenda ut mortalia tenera colloquia cum personis diversi sexus; quamvis non sit negandum ea esse periculis plena, præsertim si diuturna sint, aut si in locis solitariis fiant.

43. An (quæres) sit mortale verba obscena audire? Quod dicitur de ea proferente, idem generatim dicendum de ea ex proposito audiente; cum æque sit in morum corruptionem. Ceterum hac in re notamus: — 1. qui audiunt obscena vel auctoritatem habent in proferentes, vel non. Si auctoritatem habent, eos cohibere debent quantum moraliter possunt: si non habent, eos admonere tenentur: aut

Ferrara, 1854. — *Civiltà Cattolica*, ser. II, vol. XI, p. 658. — Rosignoli, *La pittura in giudizio*.

¹ Sess. xxv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 424. — *Analecta juris pontificii*, 1857, p. 157.

² I Corinth. xv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 426. — Ferraris, *Biblioth.*, v^o Luxuria, n. 84.

³ Ut si ista nominentur inter conjugatos, qui venereis assueti parum ordinarie moventur. Videant tamen conjugati, ne alii gravi scandalo sint: « Rarum non est (ait Staff, § 482), ut homines omni spurcicia repleti corruptionis suæ initium a propriis parentibus repetant, quippe quorum pudende conversationis testes fuerunt. Omnem fidem superat quæ sit circa hanc materiam ætatis adhuc teneræ sagacitas: hinc summopere dolendum est ubi parentes proles suas sui jam quodammodo compotes vel in suo secum cubili tenent, vel coram ipsis inhoneste jocantur, etc. Hujusmodi impressiones tenello animo infixæ hærent, et serius vel citius in fœdissima ulcera prorumpunt. » — Item graviter increpanda mater, quæ filios omnino nudos una simul in lectulo collocat, cum tanto periculo pudoris ac verecundiæ. Et maxime si masculos jam grandiusculos una cum ipsa dormire permittat, pretextu, quod lecto careat: id nullimode permittendum esset.

ad minus tacere debent, præsertim mulieres, quibus summopere cavendum est, ne turpibus assentire videantur: hinc enim libido viciorum inflammari solet; — 2. non subito pronuntiandum est eos omnes, qui audientes turpiloquia (ex parte loquentis mortalia) parum rident, mortaliter peccare; fieri enim potest, ut de modo dicendi potiusquam de rebus ipsis rideant. Perro in hoc casu mortaliter non peccant, nisi grave præbeant scandalum, ut facile præberent Religiosi et Clerici; — 3. quod de verbis turpibus diximus, pari ratione dicendum est de cantilenis inhonestis. Carmina valde turpia componere, cantare vel libenter audire, est mortale: idem mortale est, si grave detur scandalum, v. g. si Clericus carmina etiam tantummodo æquivoca conficiat, aut coram aliis, et si præsertim coram sæcularibus ea cantet.

44. *Quid (quæres) dicendum de adolescentibus et puellis, qui se invicem adamant.* — R. Generatim loquendo, isti omnes non sunt indistincte de gravi culpa damnandi, sed ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi. Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres in occasione mortalibus inveniuntur immunes: et si non in principio, saltem in progressu. Tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem: deinde propensio fit passio: et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandula, Episcopus Albanensis, per edictum suos admonuit Confessarios, ne tales adamantes absolvent, si postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab huiusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno aut diu aut clam intra domos (cum facili periculo osculorum et tactuum), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscena, aut cum scandalo (prout si in Ecclesia), aut cum conjugatis, claustralibus aut Clericis¹.

45. *Q. An peccent qui theatris intersunt?*

R. Theatra licet de se mala non sint, sed indifferentia cum bene et male haberi possint: ordinarie tamen loquendo, negari non potest ea esse plena periculi, maxime pro adolescentibus, quorum jam sanguis per se satis ebullit. Nam et luxuriositas et turpiter visum pascunt et animam enervant et passiones nimium acunt; et quod non raro lugendum est, Religionem, ritus, catholicum ministerium atque ministros irridunt, non sine maximo animarum scandalo ac ruina².

¹ V. Liguori, *Praxis Conf.*, § 65.

² V. Rulfus, *Theatrum modernum bonis moribus exitiosum*. Mediolani, 1770. — Riccardi, *Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa*, c. xxv.

Ad meritum tamen quæstionis veniendo, dicimus nullum esse peccatum sive comædiis interesse sive eas agere, si honestæ sint; *officium histrionum, quod ordinatur ad solatium exhibendum hominibus, non est secundum se illicitum*, ait Angelicus¹. Si vero comædiæ sint aliquantisper turpes, eas audiens peccabit tantum venialiter, nisi jam expertus sit suam fragilitatem; nam pro modo periculi peccatum est. Si tandem comædiæ sint notabiliter turpes vel in re vel in modo, mortaliter peccant interessentes ideo ut delectentur; cum talis delectatio nata sit ad venerem incitandam. Quoad illos vero, qui ob solam curiositatem vel solatium vanum intersunt, secluso periculo, licet nonnulli eorum aliquando forsitan excusari valeant a mortali, si sint simplices spectatores: non excusantur tamen: 1. adolescentes, et alii parum timoratae conscientiæ, in quibus de facili semper adest delectatio turpis, vel saltem illius periculum; 2. Clerici et Religiosi, quos merito docet Benedictus XIV non posse iis comædiis interesse absque scandalo gravi².

Diximus *si sint simplices spectatores*; nam semper mortaliter peccare dicendi sunt qui pecunia vel plausu ad comædias notabiliter turpes concurrunt, quamvis sine ipsis comædia adhuc fieret. Etenim etsi in hoc casu materialiter tantum; adhuc tamen positive concurrunt ad opus graviter malum³. A fortiori peccant qui comædias notabiliter turpes impedire tenentur et possunt, neque tamen impediunt. A fortiori qui illas componunt vel repræsentant, cum moraliter certum sit multos inde ad peccatum incitandos. Neque liberantur ex eo quod scandalum non intendunt, sed lucrum; opus enim de se illud satis intendit. Neque amissio magni lucri excusat, nam bonum corporis

— Fénelon, *Lettres sur les occupations de l'Académie*. — Bossuet, *Maximes sur la comédie*. — *Sentimenti di S. Carlo intorno agli spettacoli*. — *Civiltà Cattolica*, ser. II, vol. V: *Del teatro italiano*. — Lucius Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Comædiæ.

¹ 2, 2, q. 168, a. 5. — ² *De Syn. Diac.*, c. x.

³ Aliter tamen dicendum de iis, qui remote tantum cooperantur, v. g. aulam theatralem verrendo, ædificium instaurando, etc. Ceterum theatra non ita forsitan sunt castitati exitiosa ut choreæ. Cum a theatricis ludis non possit populus averti, præstat ut bonæ malis substituatur comædiis, que nempe non sint *sacrarium Veneris, consistorium impudicitæ* (Tertull., *De spectat.*, c. xvii); vel sacrorum derisorium, ubi mysteriosi ritus, ubi sancti antistites, ubi monachi ac moniales, ubi omnia, quæ in Ecclesia non nisi venerabunde ac tremende spectanda sunt, in comica ac satyrica scena impudentissime ac sacrilege exhibentur. Hæc neque permitti, neque agi, neque spectari possunt.

non valet bonum animæ 1. Attamen advertendum est, ab omni peccato excusari milites qui interesse tenentur ad invigilandum; famulos, qui dominorum; filios, qui parentum; uxores, quæ virorum indignationem paterentur gravem, si theatris adesse renuerent. Justa enim ex tante causa, periculosa actio poni potest, salutaribus præsiidiis peccandi periculum avertendo.

46. Hic venit graviter reprehendendus abusus ille maledictus, fructus sacrilegus nostræ præsertim ætatis, videlicet Religiosorum habitu, ac vestibus Sacerdotalibus ignominiose utendi in ludis ac scenicis spectaculis (quod quidem gravissime olim puniebatur. L. *Authent. de SS. epis.* § ult.); itemque in theatris ubi reverentia nulla, petulans licentia imperat, Sacra fingendi, Ecclesiæ hymnos decantandi, personas maxime reverendas ridendi, etc., quod quidem esse non potest sine portentoso fidelium scandalo, atque immani sacrorum contemptu.

47. Q. 7. *An liceat choreas ducere?*

R. Choreæ secundum se et ex natura sua, uti observat Salesius 2, si nempe fiant neque fine malo, neque cum periculo seipsum vel alios ad libidinem excitandi, neque cum aliqua mala circumstantia conjungantur, non sunt malæ, nec actus libidinis; sed potius lætitiæ. Hinc legitur, David quoque regem saltasse viribus totis 3. Unde S. Antoninus docet, choreas per se non esse prohibitas, modo fiant a sæcularibus cum personis honestis, et honesto modo. Verum in praxi sunt attente dissuadendæ; quia, ut plurimum, fieri solent inter juvenes diversi sexus, intercedente etiam colloquio familiari, blanda manuum attractione, musici concentus suavitate, ceterisque, quæ facillime concupiscentiæ motus solent excitare, præsertim in adolescentibus, ut luctuosa docet experientia. Huc facit illud Ecclesiastici: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius* 4. Et S. Ephrem: *Ubi citharæ et chori, ibi mulierum per-*

1 V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 427 et seq. — S. François de Sales, *Introduction à la vie dévôte*, p. III, c. xxxiii.

2 *Introduction à la vie dévôte*, c. xxxii, part. II.

3 II *Reg.* vi. Alicubi panicum et alia grana (jam feriale die præparata) noctu solent pedibus excuti in festis choreas ducendo: quod quidem, quamvis detur, quod non sit contra sanctificationem festorum, attamen sine periculo animæ non est, uti testantur. Parochus in his aliisque similibus prudenter se gerat, ne volens malo occurrere, illud adaugeat intempestivo zelo; nam quidquid agat, non intermittentur: ideo potius invehat indirecte in choreas; et directe in peccata quæ committi solent in illas agendo. Ita Gury et Goussset.

4 Cap. ix. « Præter luxuriam, ait Stapf, § 317, etiam alia peccata quasi

ditio, ibi Angelorum tristitia et festum diaboli 1. Et D. Ambrosius: *Quid verecundiæ ibi potest esse, ubi saltatur, strepitur, concrepatur* 2? Vel ipse Petrarca vocat (Dialogo 34) *choream veneris præludium, libidinum stimulum, lacumentum licentiæ, ubi liberæ manus, liberi oculi, liberæ voces*. Hinc jure, Benedictus XIV concludit, quod etsi choreæ in se videantur licitæ; vix tamen in actu (quomodo fiunt nunc) permitti possunt 3.

Merito ergo Tridentinum Clericis gravissime prohibuit, ne ullo unquam tempore choreis interesse præsumant. Et laicis saltem suadendum, ne iis intersint diebus festis, præsertim horis divino cultui destinatis 4.

« Qui chorearum patroni (ad rem Stapf, § 317) ad S. Franciscum Salesium provocant, meminerint, quid Sanctus præsul de iisdem doceat. In primis tum solummodo choreas admittit, ubi prudentia et pia discretio suadeat, ut votis aliorum concedamus; tum vero monet, ut id raro tantum, honesta semper ratione et cum viva Dei præsentis vel novissimorum memoria fiat. Denique generatim observat, choreas quascumque *fungis* non absimiles esse, qui utcumque scite cocti plus noceant, quam prosint, præsertim nisi parce admodum et in stomachum sat validum transmittantur. »

Art. II. — De luxuriæ filiabus et remediis.

48. Q. 1. *Quænam sunt luxuriæ filix?*

R. Luxuriæ filias D. Thomas octo enumerat, quarum quatuor sunt ex parte intellectus, quatuor ex parte voluntatis.

Ex parte intellectus sunt: 1. *cæcitas mentis*, qua luxuriosus non advertit ad sui operis fœditatem, dicente Daniele

turmatim ex hac arena procedunt, nimirum luxus quoad vestitum et indecentem ornatum corporis, vesana zelotypia quæ non raro in mutuas offensiones et cruentas rixas prorumpit, gula et ebrietas, destructio sanitatis, bonorum profusio, domestica furta, profanatio dierum sacrorum, innumera scandala, etc. Unde aliquis ex SS. Patribus saltationem recte definit esse *circulum, cujus centrum diabolus est*. »

1 S. Hier., *de Scriptura Eccles.*

2 *De Virg.*, l. III. — 3 Notificationibus xxxvii et lxxvi.

4 Sess. xxiv, c. xii de R. Sed quoad Clericos, *vid. De Oblig.*, diss. 1, c. ii, a. 1, § 2. — V. Goutier, *Trattato contro i balli e le canzoni oscene*. — Torricelli, *Documenti per le giovani*. Lugano. — Præ ceteris V. Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. II, leg. xxx: ubi pulchrum exemplum, ac plurimæ auctoritates.

Propheta : *Species deceptit te, et concupiscentia subvertit cor tuum*¹. Patet exemplo Bezæ²; 2. *præcipitatio*, quæ secum importat consilii subtractionem. Revera nullum habet consilium qui sua mala concupiscentia tenetur; 3. *inconsideratio* ad judicia Dei et pœnas in luxuriosos constitutas; 4. *inconstantia*, nam luxuriosus nimis facile a bono proposito declinat.

Ex parte autem voluntatis sunt : 1. *amor inordinatus delectationis sensualis*, quo ita voluptates carnales diligit impudicus, ut ultimum finem in iis constituat; 2. *affectus sæculi præsentis*, in quantum luxuriosus vellet perpetuo voluptatibus suis hæc in vita perfrui; 3. *horror, et desperatio sæculi futuri*; quia dum curat tam anxie delectationes carnis, delicias spirituales fastidit : ideo animo horret sæculum futurum, ubi desperat se voluptates carnales habiturum; 4. *odium Dei*, in quantum nempe Deus luxuriosos spurcitas suas gravissime vetat. Hinc versus :

*Cæcutiens, præceps, inconsideratus et instans;
Corpus, tempus amat; refugitque futura, Deumque.*

49. Q. 2. *Quanam sunt luxuriæ remedia?*

R. Luxuriæ remedia alia sunt negativa, alia positiva :

Remedia negativa luxuriæ sunt : — 1. fuga otii; *multam enim malitiam docuit otiositas*³; — 2. abstinentia a lectione librorum, qui agunt de rebus amatoriis, uti sunt pestiferi illi (vulgo *romans*), qui toti sunt in profanis describendis amoribus. Quam fatale incendium, in teneris præsertim adolescentium animis, excitari nati sint, vix dici potest! — 3. in viris familiaritatis fuga cum mulieribus, licet hæc probæ, imo et devotissimæ videantur. *In medio mulierum noli commorari : de vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobii facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit*⁴.

¹ Dan. xiii. — ² In vita S. Franc. Salesii.

³ Eccli. xxxiii. Quod specialius ab omnibus omnino Ecclesiasticis cavendum, vid. *De Oblig.*, disp. I, c. ii, t. I, n. 441.

⁴ Eccli. xlii et ix; it. xi, xxv et xxvi; et Prov. vii; et Job. xxxi; et III Reg. xi.

In mulieribus autem fuga familiaritatis cum viris, maxime juvenibus, uti patet : si enim vir ignis est qui incendit, mulier est palea, quæ incenditur; aut vicissim. Caveat autem toto cælo puella, ne munuscula ab amasio accipiat; est enim grave peccatum, cum id mutuum amorem maxime excitet ac foveat. Quod si jam munera accipit, videat, ut statim ea vel restituat, vel pauperibus distribuat, vel flammis tradat¹; — 4. *fuga occasionum* juxta illud Poetæ : *Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam*. Et D. Augustinus : *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam*²; — 5. fuga ebrietatis; nam *luxuriosa res vinum*³. Et Apostolus : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*⁴. Hinc versus :

Otia, libri absint, mulierque, occasio, vinum.

Remedia vero positiva luxuriæ sunt : — 1. oratio frequens : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione et jejuniis*, ait Christus de dæmone impuritatis; — 2. frequens Confessio apud eundem Confessarium; quo enim magis infirmi status dignoscitur, eo magis remedium adaptari potest. Item frequens devota Communio, qua manducatur panis Angelicus ac vinum bibitur *germinans virgines*; — 3. memoria Novissimorum. Hinc ait S. Isidorus : *Sicut clavus clavum repellit; ita recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ*; — 4. cultus constans et invocatio frequens B. V. Mariæ sine labe conceptæ; est enim *mater pulchræ dilectionis et sanctæ spei*; — 5. custodia sensuum, præcipue oculorum; clamat enim Augustinus : *Oculi vestri, etsi in aliquem jaciuntur, figantur in neminem : nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos*⁵; — 6. mortificatio car-

¹ Dicimus *videat*; si enim munuscula data sint tantum ad alliciendam feminæ voluntatem et impetrandum usum sui corporis (non vero ex pacto implicito vel explicito pro ipso usu corporis), non peccaret femina contra justitiam illa retinendo, uti dicunt communiter, etsi non consentiat in copulam; quia non est datum pretium sub hoc pacto, sed simpliciter ad tentandum et vincendum ejus animum. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. II, n. 76; et l. III, n. 712.

² Serm. ccc., *Temp.* — ³ Prov. xx. — ⁴ Eph. v.

⁵ Epist. xix. — *V. Stapf*, § 551.

nis, dicente Ambrosio: *Libido gravis ignis est: et ideo non demusei alimentiluxuriæ: pascitur enim convivis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur*¹.—Hinc versus:

Præ, Sacra. Mors, Virgo: de oculis, de carne triumphus.

Concludamus cum sancto Alphonso Liguorio Nostro: « In hac materia sexti præcepti oportet, quantum possibile est, omnem adhibere severitatem; cum in re tam labili nulla cautela unquam nimia existimari debeat: et plures opiniones, quæ speculative sunt probabiles, in praxi improbabiles evadant. Hinc Confessarius, ubi periculum poenitentium inspicit, licet actionem, quam illi vellent perpetrare, de certo peccato mortali damnare non valeat, tamen nullo modo permittat. » *Homo Apost.*, tract. IX, in fine (B).

CAPUT TERTIUM

DE GULA

50. Q. 1. *Quid est peccatum gulæ?*

R. Gula definitur a S. Thoma: *Inordinatus appetitus edendi et bibendi*². Cum enim causa finalis edendi, atque bibendi sit necessitas et utilitas naturæ, ordo rationis expostulat, ut cibus et potus sumatur in ea quantitate, qualitate et modo, quibus natura perficiatur et conservetur; non vero fiat infirma et in sui destructionem proclivis: si quis ergo in edendo et bibendo committatur excessus, erit peccatum gulæ. Committitur autem, vel per excessum in cibo, et dicitur *commes-*

¹ *De Pœnit.*, l. I, c. iv. Addunt, aliquando suadendum esse matrimonium iis, qui nubere possunt, tanquam unicum, aut saltem tanquam efficacius remedium, ut se valeant ab habitu masturbationis liberare. — V. Salvatori, *Istruzioni pei confessori*, § 9. — Segneri, *Inestimabili beni della santa purità e danni incalcolabili del vizio contrario*. — *Il mostro della solitudine*, Breve saggio dei gravi danni che esercita sull'uman genere. Marietti, Torino. — Debreyne, *Essai sur la théologie morale*.

² 2, q. 148, a. 1. — V. Salvatori, *Istruzione pratica*, ecc., § 7

satio seu *crapula*; vel per excessum in potu, et dicitur *ebrietas*. Quoad regulas morum, eadem ferme est ratio; secunda tamen species frequentior esse solet, ac emendatu difficilior.

Gula, quæ adversatur virtuti abstinentiæ et sobrietatis, potest esse peccatum mortale: 1. *ratione finis ultimi*, si hic in cibi et potus delectatione constituatur. Tales erant olim Epicurei, et tales sunt hodie qui eorum vestigiis turpissime inhærent, *quorum Deus venter est*¹; 2. *ratione gravis damni* tum quoad animam, ut si quis prævideat se inde excitatum iri ad luxuriam; tum quoad corpus, si ideo grave sanitati detrimentum afferat; 3. *ratione impotentia servandi gravia præcepta*, v. g. solvendi debita, alendi familiam: qui enim negligit media, peccat in finem; 4. *ratione excessus graviter inordinati*, si quis v. g. vesceretur carne humana, aut humanum sanguinem biberet: cum summa in hoc appareat naturæ inordinatio, nisi forte per medicinam fuerint alterata; vel excuset casus necessitatis extremæ²; 5. *ratione scandali gravis* inde obvenientis, uti si Clericus v. g. commessationibus in loco publico nimis indulgeat.

Extra hos casus gula erit tantum peccatum veniale; quia si gravia hæc mala absint, excessus est levis ob materiæ parvitatem ex S. Thoma³. Et D. Augustinus: *Quoties aliquis in cibo vel potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit*⁴.

¹ Phil. iii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 75.

² Salmanticenses, tract. XXV, c. ii, putant etiam esse veniale comedere carnes crudas animalium et recentes sine causa; cum hoc habeat quid ferini et belluini.

³ 2, q. 148, a. 2. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Gula, ubi plura.

⁴ Serm. iv, in die *Animarum*. Ideo aiunt probabile esse, quod ex genere suo non sit mortale comedere aut bibere usque ad vomitum, scandalo præcluso ac damno gravi. Ita communius Salmanticenses, Cajetanus, Holzman, Navarrus aliique, nam præcluso scandalo gravi, itemque gravi damno, hoc esset tantum peccatum gulæ, quod quidem ex se non est nisi leve. Alii tamen cum S. Antonino putant hoc esse grave juxta illud: *Væ qui saturati estis* (Luc. vi): quod quidem exponunt de re in se spectata. Qui tamen vomitu se exonerat, ut iterum edat, vix ac ne vix quidem excusari potest a mortali; cum maximam deformitatem involvat. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 72.

51. Quinque modis admittitur peccatum gulæ ex D. Gregorio :

Præpropere, laute, nimis, ardentè, studiose.

1. *Præpropere.* Hinc peccant qui ordinarium comedendi tempus absque causa anvertunt ; tunc enim voluptati potius, quam necessitati, velle satisfacere videntur ; — 2. *laute* : id dicitur de iis, qui cibos nimis pretiosos aut liquores conquirunt ob solam delectationem, nisi eos excuset vel infirmitas, vel virium imbecillitas, vel proprii status conditio, vel peculiaris aliqua temporis circumstantia. *O vilissimam ventris servitute ! o inexplebilem cupiditatem !* ita hos perstringit Cardinalis Bona : *Tibi angustus est orbis, non sufficit ventri tuo quidquid natat in undis, quidquid latet in sylvis* ; — 3. *nimis* : intelliguntur hic voluptuosi illi, qui cibis potibusque ita indulgent, ut iisdem saginare se, vel se ingurgitare videantur. Hoc sic insectabatur Lucilius : *Edite, lurcones, comedones, edite ventres*¹ ; 4. *ardenter* : et ii sunt qui, ut ait S. Antoninus, *nimia aviditate cibum et potum sumunt* : ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter et festinanter ; — 5. *studiose*, quod eos respicit, qui cibos nimio studio præparatos inquirunt, ut magis iisdem delectentur.

52. *Quid (quæres) dicendum de voluptate, quæ in cibo potuque percipitur ?* Si illa voluptas est tantummodo causa concomitans, nullum esse potest peccatum ; cum talis delectatio ab ipso naturæ Auctore tam cibo quam potui indita sit, ut homo ab ea sibi sumenda alliceretur, et suam sibi vitam sic sustentaret : *Non solum cibo*, ait Augustinus, *sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter saturandam libidinem, sed propter tuendam salutem*².

Si vero voluptas est causa finalis, erit saltem veniale peccatum ; cum hoc pervertat aliquo modo naturæ ordinem, dirigendo videlicet finem ad medium. Quare merito ab Innocentio XI damnata est hæc sub

¹ Certa autem regula hic haud potest adsignari, cum sit habenda ratio tam complexionis, quam laborum quos quisque sustinet : *Tantum potest quis comedere et bibere*, verba sunt S. Antonini, *quanto credit se indigere ad sustentationem et executionem eorum quæ sibi incumbunt agenda ; ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat* (part. II^a, t. VI, c. 1).

² L. IV. *Contra Julianum*, c. XIV. Ipse tamen Doctor (l. X, c. XXXI, *Confessionum*) sic de naturæ corruptione, quam etiam in hac parte experimur, ingemiscit : *Cum salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo.* — V. etiam, *De Imitatione Christi*, l. III, c. XXVI.

u. 8 propositio : *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini ; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus uti.*

53. Q. 2. *Quid est ebrietas, et quale peccatum ?*

R. Ebrietas est *excessus in potu, usque ad violentam rationis privationem*. Opponitur sobrietati, quæ est virtus moderans inordinatum appetitum potus habentis vim inebriandi. Ut cognoscatur quale peccatum ebrietas sit, audiamus Angelicum : *Contingit (ebrietas) esse tripliciter. Uno modo sic, quod nesciat potum esse immoderatum et inebriare potentem ; et sic ebrietas potest esse sine peccato. Alio modo sic, quod aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen existimet potum esse inebriare potentem ; et sic ebrietas potest esse cum peccato veniali. Tertio modo potest esse, quod aliquis bene advertat potum esse immoderatum et inebriantem... ; et sic ebrietas est peccatum mortale, quia secundum hoc homo volens et sciens privat se usu rationis*¹. Et præfert vini delectationem rationis integritati : ultro se projicit ad brutorum conditionem ; Deique imaginem in se deturpat. Quod sane gravis deformitas et grande malum. Hinc Apostolus ebrios vocat *morte dignos*².

Hæc tria autem perfectæ ebrietatis signa facile possumus indicare : 1. si quis non jam amplius sciat licitum ab illicito discriminare ; 2. si loco stare nesciens, aut in vino ipso quasi sepultus talia pronuntiet et faciat, quæ nunquam nec pronuntiare nec facere antea consueverat, v. g. absurda et turpia proferens, familiam perturbans, uxorem filiosque verberans, etc. ; 3. si ab ebrietate egressus ignoret quid in ea dixerit vel fecerit, nec ubi fuerit, nec quomodo domum redierit. Hæc enim (vel unum etiam ex istis) satis ostendunt usum rationis fuisse amissum (C).

54. *Quid (quæres) sentiendum de malis in ebrietate admisis ?* Gravitas peccatorum, quæ ab ebrio committuntur, accipi debet juxta mensuram advertentiæ et voluntarietatis illorum in causa, scilicet in ebrietate. Si igitur mala ab ebrio nullo modo fuerint prævisa, imputari non possunt ad culpam ; nam

¹ 2, 2, q. 150, a. 2. — ² Gal, v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 78.

ea, quæ non sunt in prævisione, neque sunt in cognitione, ideo neque esse possunt in electione¹.

Si tamen mala in ebrietate admissa prævisa fuerunt aliquo modo saltem confuse et in causa, tunc utique et merito imputantur utpote voluntaria in causa. Imo etsi non sequantur, adhuc imputantur coram Deo; nam cum se inebrians prævideret illa probabiliter ex ebrietate secutura, nec tamen se ab ebrietate voluit abstinere, ea voluisse censetur. Aiunt tamen *ordinarie* non imputari ad culpam contumelias, et mala oris *in hominem* ab ebrio prolata, licet prævisa, quia illa communiter non habentur dedecori, sed potius risu excipiuntur.

Diximus: 1. *ordinarie*; nam aliter esset, si quis proferat aliquod infame delictum in aliquam personam determinatam; quia hoc esse non potest sine læsione famæ; — 2. *in hominem*; nam prolata in Deum semper sunt peccata. Quia ex una parte sunt voluntariæ in causa; ex alia semper Deo sunt injuriosæ et audientibus scandalo, qui semper ab eis cum horrore refugiunt².

Hic notandum ex codice pœnali homicidium in ebrietate patratum, etiam non assueto ebrietati, adhuc puniri quamvis remissius.

55. Q. 3. *Quænam sunt gulæ filix et remedia?*

R. ad 4: Gulæ filix sunt quinque ex Gregorio Magno: — 1. *inepta lætitia*, sive immoderata hilaritas; 2. *scurrilitas*, sive dicax studium commovendi in aliis risum per jocos et ludicra; — 3. *immunditia*, sive impuritas verborum atque factorum: *Venter cibo meroque distentus despumat in libidinem*, inquit S. Hieronymus³; — 4. *multiloquium*, seu nimia loquacitas, quæ potest esse mortalis, si in gravem Dei vel proximi injuriam effundatur (quod hominibus gulæ deditis non raro contingere solet): certo certius *in multiloquio non deerit peccatum*⁴; — 5. *hebetudo mentis*; crapula enim et ebrietas ita mentis aciem obtundunt, ut homo fiat ineptus ad

¹ Angelicus, 1, 2, q. 77, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 78.

² Liguori, *V. Homo Apost.*, tract. VIII, n. 8. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Gula.

³ Ep. ad Ocean. — ⁴ Prov. x.

ea, in quibus aliquid ingenii, consilii vel prudentiæ expostuletur¹. Hinc versus:

Lætus, scurrilis, fœdus, verbosus et hebes.

R. ad 2: Gulæ remedium efficax est, ut helluones considerent: 1. mortem, quæ omnibus gulæ voluptatibus finem erit impositura: *Esca ventri et venter escis*, ait Apostolus, *Deus autem et hunc et has destruet*²; — 2. quot mala ex gula, nempe corporis morbi, incitamenta luxuriæ, memoriæ obscuratio, ingenii hebetudo, etc.; — 3. optimum erit in mensa aliquid propriæ voluptati subtrahere, quod præsertim palato sit gratius; — 4. præstabit meditari Dominum Jesum non solum in vita usum fuisse victu vulgari, sed morti proximum sitim acerbissimam voluisse pati pro nobis. Ubi *poculum bibiturus acceperis* (inquit Joannes Climacus), *memineris acetum et fel Jesu Christo oblatum, atque ita sobrietatis limites non transilies*. Hinc versus:

Mors, mala, subtracta, in cruce Christus Sitio dicens.

CAPUT QUARTUM

DE IRA, INVIDIA ET ACEDIA

56. Q. 1. *Quid est ira?*

R. Ira est *inordinatus appetitus vindictæ, vel quasi vindictæ*. Est ex genere suo mortalis, quia est directe contra charitatem; hinc ab Apostolo ea numeratur inter opera excludentia a Regno Cælorum³.

¹ Hisce omnibus adde corporis infirmitates juxta illud Eccli. xxxvii: *In multis escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad choleram*. Et omnibus notum est illud: *Plus occidit gula, quam gladius*. Hinc movent: *Gulæ pone metas, ut sit tibi longior ætas*.

² Cor. vi. — V. Castelveter, *Direttorio ascetico mistico*. — Scaramelli, *Direttorio ascetico*, etc.

³ Gal. v. — Ferraris, *Bibliotheca*, vº Ira.

Dicitur *inordinatus appetitus*; nam debita cum moderatione et ordine appetere vel sumere mali vindictam, non est vitium, sed boni amor et zelus. Sic Christus Judæos circumspexit, *cum ira*; et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, nempe vendentes et ementes¹. Sic virtutis actum exercet iudex a reo vindictam assumens, pater a filio, dominus a servo. Unde vindictam appetere uti est malum proximi prohibetur; non vero uti est medicinalis delinquentis correctio, aliorum exemplum, conservatio ordinis et violati juris vel irrogati scandali condigna reparatio. — Additum est *vel quasi vindictæ*, ad significandum posse hominem aliquando irasci inordinate etiam in res inanimas, v. g. pictorem in penicillum, quasi manus suæ conatibus male respondeat; agricolam in falcem, quasi fuerit ab ipsa læsus, studiosum in calamum, qui atramentum non effundit, et similia. In his haberetur quasi vindicta.

Dupliciter ira fit culpabilis; ex parte objecti et modi:

1. *Ex parte objecti*: si quis appetat vindictam alicui, qui eam vel minime sibi meretur, vel ultra quam meretur, vel ob finem minime justum, peccabit mortaliter, quia directe lædit charitatem; nisi materiæ levitas aut advertentiæ defectus eum excuset.

2. *Ex parte modi*: si v. g. justam appetens vindictam nimis ardentem animo agitur, vel nimis vehementer exterius iræ suæ signa manifestet. Id rationem peccati venialis non videtur excedere; nisi vel ratione gravis scandali, vel quando quis ideo prorumpat deliberate in blasphemias, in contumelias graves¹, etc.

57. *Quænam (quæres) sunt iræ filix, et remedia?*

R. ad 1: Ira prout est mater aliorum vitiorum, tripliciter spectari potest, vel in quantum est in corde, vel in quantum est in ore, vel in quantum transit ad facta. *In quantum est in corde*, producit indignationem, nempe animi commotionem in aliquem; et mentis tumorem, nempe motum animi diversas vindictæ vias excogitantis. *In quantum est in ore*, produ-

¹ Marc. iii; et Joann. ii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 79.

² S. Thomas, 2, 2, q. 158, a. 3.

cit clamorem, inordinatam nempe locutionem atque blasphemiam. *In quantum transit ad facta*, generat contumeliam, maledictionem et rixam: ad has referuntur damna, quæ ex ira solent proximo obvenire, uti est pugna, vulnus, mors. Quæ omnia per se sunt mortalia; quia charitati et justitiæ adversantur¹. — Hinc facit versus:

Corde fremens, ore exilit, actu vulnerat ira.

R. ad 2: Iræ remedia præcipua sunt: — 1. orare, et Domini N. J. C. mansuetudinem meditari; oratio enim obtinet vires, Christi exemplum robur addit: — 2. in ipso iræ motu nihil neque agere neque loqui, sed expectare quod evanescat: *Mala cuncta ministrat impetus*, aiebat Poeta; — 3. motus iræ impedire aut nascentes statim reprinere, et actus contrarios mansuetudinis, patientiæ, humilitatis excitare; contraria enim contrariis curantur; — 4. secum animo reputare nos plura habere vitia, quæ alios facile offendunt; quæ tamen ab iis patienter ferenda sunt: *Patienter illatam injuriam tolerat qui meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari*, ait S. Gregorius M.².

Hinc versus:

Ores, attendas, colibe, tua vitia pendas.

58. Q. 2. *Quid est invidia et quale peccatum?*

R. Invidia definitur cum Angelico: *Tristitia de bono alterius in quantum est diminutivum gloriæ propriæ*³. Invidia est peccatum ex genere suo lethale; quia invidia per se est contra charitatem proximi, ac voluntatem Dei bona distribuentis. Quare Apostolus peccatum invidiæ reponit in eorum classe, quæ excludunt a Regno Dei⁴. Imo aliquo sensu invidia peccatum diabolicum est juxta illud: *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*⁵. — Quot autem malorum sit

¹ Angelicus, 2, 2, q. 158, a. 7; et Prov. xv, 18. — Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 80.

² V. *Mor.*, c. xxx. — ³ 2, 2, q. 36, a. 1. — ⁴ Gal. iii.

⁵ Sap. ii.

causa invidia, Cain, Esau, fratrum Joseph, atque Saulis historia testatur: unde merito invidia inter vitia capitalia numeratur. Poterit tamen aliquando esse venialis vel ex parvitate materiæ vel ex indeliberatione¹ (D).

59. *Quænam (quæres) sunt invidiæ filiæ et remedia?*

R. Ad 1: Invidiæ filiæ sequentes numerantur a D. Thoma²: nempe *detractio, exultatio in proximi rebus adversis, susurratio, afflictio in prosperis rebus et odium*. Hinc versus:

Detrahit, exultat, susurrat, et angitur, odit.

R. Ad 2: Invidiæ remedia sunt hæc quinque præcipua:

1. Pugnare contra superbiam; ait enim Augustinus: *Invidia filia est superbiæ...; suffoca matrem, et non erit filia*. Et Apostolus: *Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provocantes, invicem invidentes*³; — 2. considerare quod invidia invidio tantum nocet, juxta illud Poetæ: *Invidus alterius rebus macrescit opimis*; et Sapiens: *Putredo ossium invidia*⁴; — 3. quod sicut... *invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*⁵, ita per invidiam intrant in hominem peccata ac crimina sine numero, et cum iisdem mors animæ; — 4. pependere, quod omnes unius Dei et unius Ecclesiæ sunt filii, quorum proinde debet esse cor unum, et anima una; — 5. tandem motus invidiæ prompte cohibere per actus benevolentiae, non tam verbis quam factis, laudando, orando, benefaciendo ei, cui invidemus. Hinc versus:

*Tolle superba; tibi quæ damna et crimina gignat,
Invide, pende, puer; quæ Christi schismata membris;
Invidiam cohibe præstans contraria factis.*

60. Q. 3. *Quid est acedia, quæ acediæ filiæ ac remedia?*

R. Docet D. Thomas acediam accipi posse: 1. late pro fastidio et tepore animi in exercitio virtutum ob laborem aliquem et aliquam arduitatem ipsis inhærentem. Esset si quis ob frigus, quod pati debet in auditione Missæ, eam distracte

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 72. — Ferraris, *Biblioth.*, etc. v^o Invidia.

² 2, 2, q. 36, a. 4. — Quæ explicantur Tract. *De detractioe*, tom. III; it. *De charitate*.

³ *De Gen. ad lit.*, c. xiv. Gal. v. — ⁴ Prov. xiii. — ⁵ Sap. ii.

audiat nimium difficultati incumbens; 2. stricte pro tristitia in Dei amicitia comparanda per mandatorum observantiam, et ideo amicitiam illam non curat¹.

Primo modo accepta acedia est venialis; quia non inficit rei substantiam: aliter esset, si inde omitteretur actus virtutis graviter præceptæ, v. g. recitatio Breviarii, vel auditio Missæ die festivo. Secundo modo accepta semper est ex genere suo lethalis, quia repugnat charitati Dei, avertit a bono spirituali et in peccata conjicit.

Acediæ filiæ præcipuæ sunt: 1. *tepor* in servitio divino, uti negligens præparatio ad Sacramenta suscipienda et administranda; 2. *evagatio mentis* in spiritualibus exercitiis; 3. *pusillanimitas*, seu nimia diffidentia in suscipiendo quæ ad Dei obsequium pertinent; 4. *nausea*, seu odium rerum spiritualium, quo quis vellet eas non esse aut Dei beneficia contemnit, v. g. desiderando se natum non fuisse vel Christum non agnovisse; 5. *desperatio* de salute æterna; 6. *rancor*, quo eos fastidimus, qui spiritualia nos docent. Hinc versus.

*Si tepidus, si mente vagus, si corde pusillus,
Nausea si fuerit, si desperatio, rancor.*

Acediosi considerent: — 1. terribilem Dei vocem in acediosos prolatam: *Utinam frigidus esses, aut calidus! sed quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*²; — 2. innumera beneficia sibi a Deo collata, quæ sane gratitudinem fervidam exostulant; — 3. vitam et mortem Christi, atque Sanctorum actiones, ut eorum memoria in pietate inflammantur; — 4. brevem et exiguum laborem pro mercede in cælis immensa ac nunquam peritura, juxta illud: *Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*³; — 5. quantum

¹ 2, 2, q. 36, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 84. Acedia autem est a græco vocabulo *a* (privatio), *cedos* (cura): quasi nempe sit sine cura.

² Apocal. iii. Hoc dictum est, non quasi torpor per se sit pejor mortalitate peccati, sed ideo quia acedia sic aggravat hominem, ut eum tandem totaliter a bonis operibus retrahat, et in illis firmiter sistat, speciales gratias Deo in penam denegante.

³ Rom. viii.

impendant pro mundo et corpore: ideoque quam sit opprobriosorum, quod si non majorem, saltem æqualem fervorem impendant pro anima. Hinc sequentes versus:

*Vox, benefacta Dei; Christus; revelandaque cæli
Gloria; quæ mundo, quæ carni munia præstas.*

61. *Quomodo (quæres) se gerere debet Confessarius cum tepido?* — Videat imprimis Confessarius in quo acediæ gradu pœnitens sit. Si non adeo sit progressus, eidem jubeat, ut omnia resumat pietatis officia neglecta, ad mentem ipsi revocans jacturam gratiæ, ejus pretium et pericula teporis: neque omittat memorare terribiles Dei minas: *Quia tepidus es, incipiam te vomere ex ore meo.* — Si vero sit in teporem valde progressus, curet eum excitare ad exercitia spiritualia convenienti modo peragenda, etiam domi, si nequeat alio se conferre; veritatum enim æternarum consideratio salutariter terrendo ferventiores nos facit.

Si in profundum jam venerit, caveat, ne de emendatione desperet; sed spem erigat, ac primo omni charitate utatur ostendens pœnitenti emendationem redundaturam in maximam Dei gloriam. Quod si videat his argumentis se parum proficere, ad terrorem deflectat exponendo gravissimis verbis teporis pericula, mortem tepidi valde periculosam et similia¹.

¹ V. Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. I, n. 82, etc. — Stapf, § 655, § 253, hæc notat pro pravi: *Attamen hæc circa divinum cultum tepiditas confundi non debet cum spirituali sensuum ariditate, nam vera devotio non in affectione sensuum, sed in affectu animi consistit; et sæpissime accidit, ut animæ præ reliquis piæ multo tempore omni sensu destituantur et quasi exarescant. Tales ergo frustra sibi de vitio ac pœnis tepiditatis timent; atque per confessarium suaviter erigi debent, ut viam cœptam impigre prosequantur.*

DISPUTATIO TERTIA DE CENSURIS

CAPUT PRIMUM.

DE CENSURÆ NOMINE, NATURA, DIVISIONE AC CONDITIONIBUS

62. Q. 1. *Quid est censura?*

R. Censuræ nomen a latinis repetendum est penes quos vigeat *Censoris* officium; et ejus pars erat præcipua, ut delinquentium mores corrigeret atque notaret; nota ista dicebatur *censura*. Hoc vocabulo Scriptores Ecclesiastici multis abhinc sæculis uti sunt ad pœnam illam significant, qua Ecclesia filios suos quorundam criminum reos corrigere nititur. Et hoc sensu *Censura* definitur; *Pœna spiritualis et medicinalis auctoritate Ecclesiæ inflicta in foro externo, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci tollitur usus quorundam bonorum primario spiritualium.*

Dicitur 1. *Pœna*, nam censura supponit præcedentem culpam. Additur: *spiritualis* tamen; tum quia fertur a potestate spirituali; tum quia in spiritualem Christianorum utilitatem ordinatur: tum quia ligat in cœlo et animas obligat, uti constat ex *Bulla Auctorem fidei*, qua contraria doctrina sub n. 46 damnatur uti *fulsa, pernicioza, in articulo 25º Lutheri damnata, ad minus erronea.* — Additur etiam: *medicinalis*; quia illa est Ecclesiæ mens in censuris ferendis, ut Christianus a peccato suo resurgat: atque ad bonam, uti aiunt, vitæ frugem sese convertat¹.

2. *Auctoritate Ecclesiæ inflicta*; sic indicatur necessarium

¹ Aliquando tamen censurantur etiam illi, de quibus correptio desperatur, scilicet ad terrorem aliorum.

impendant pro mundo et corpore: ideoque quam sit opprobriosorum, quod si non majorem, saltem æqualem fervorem impendant pro anima. Hinc sequentes versus:

*Vox, benefacta Dei; Christus; revelandaque cæli
Gloria; quæ mundo, quæ carni munia præstas.*

61. *Quomodo (quæres) se gerere debet Confessarius cum tepido?* — Videat imprimis Confessarius in quo acediæ gradu pœnitens sit. Si non adeo sit progressus, eidem jubeat, ut omnia resumat pietatis officia neglecta, ad mentem ipsi revocans jacturam gratiæ, ejus pretium et pericula teporis: neque omittat memorare terribiles Dei minas: *Quia tepidus es, incipiam te vomere ex ore meo.* — Si vero sit in teporem valde progressus, curet eum excitare ad exercitia spiritualia convenienti modo peragenda, etiam domi, si nequeat alio se conferre; veritatum enim æternarum consideratio salutariter terrendo ferventiores nos facit.

Si in profundum jam venerit, caveat, ne de emendatione desperet; sed spem erigat, ac primo omni charitate utatur ostendens pœnitenti emendationem redundaturam in maximam Dei gloriam. Quod si videat his argumentis se parum proficere, ad terrorem deflectat exponendo gravissimis verbis teporis pericula, mortem tepidi valde periculosam et similia¹.

¹ V. Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tract. I, n. 82, etc. — Stapf, § 655, § 253, hæc notat pro pravi: *Attamen hæc circa divinum cultum tepiditas confundi non debet cum spirituali sensuum ariditate, nam vera devotio non in affectione sensuum, sed in affectu animi consistit; et sæpissime accidit, ut animæ præ reliquis piæ multo tempore omni sensu destituantur et quasi exarescant. Tales ergo frustra sibi de vitio ac pœnis tepiditatis timent; atque per confessarium suaviter erigi debent, ut viam cœptam impigre prosequantur.*

DISPUTATIO TERTIA DE CENSURIS

CAPUT PRIMUM.

DE CENSURÆ NOMINE, NATURA, DIVISIONE AC CONDITIONIBUS

62. Q. 1. *Quid est censura?*

R. Censuræ nomen a latinis repetendum est penes quos vigeat *Censoris* officium; et ejus pars erat præcipua, ut delinquentium mores corrigeret atque notaret; nota ista dicebatur *censura*. Hoc vocabulo Scriptores Ecclesiastici multis abhinc sæculis uti sunt ad pœnam illam significant, qua Ecclesia filios suos quorundam criminum reos corrigere nititur. Et hoc sensu *Censura* definitur; *Pœna spiritualis et medicinalis auctoritate Ecclesiæ inflicta in foro externo, per quam homini baptizato, delinquenti, et contumaci tollitur usus quorundam bonorum primario spiritualium.*

Dicitur 1. *Pœna*, nam censura supponit præcedentem culpam. Additur: *spiritualis* tamen; tum quia fertur a potestate spirituali; tum quia in spiritualem Christianorum utilitatem ordinatur: tum quia ligat in cœlo et animas obligat, uti constat ex *Bulla Auctorem fidei*, qua contraria doctrina sub n. 46 damnatur uti *fulsa, pernicioso, in articulo 25º Lutheri damnata, ad minus erronea.* — Additur etiam: *medicinalis*; quia illa est Ecclesiæ mens in censuris ferendis, ut Christianus a peccato suo resurgat: atque ad bonam, uti aiunt, vitæ frugem sese convertat¹.

2. *Auctoritate Ecclesiæ inflicta*; sic indicatur necessarium

¹ Aliquando tamen censurantur etiam illi, de quibus correptio desperatur, scilicet ad terrorem aliorum.

esse actum aliquem ex parte Ecclesiasticæ potestatis, ut censura inferatur.— Additur: *in foro externo*; licet enim censura liget homines etiam in foro interno, a nemine tamen inferri potest, nisi in foro externo, et ab iis, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent.

5. *Per quam homini baptizato*; quia Ecclesia nullam a Christo accepit jurisdictionem in judæos, gentiles et turcas; *Quid enim mihi*, ait Apostolus, *de iis qui foris sunt judicare*? — Item *delinquenti et contumaci*; cum enim censura sit pœna, non alios, quam delinquentes afficere debet. Cum vero sit medicinalis, debet in contumaces inferri, in illos videlicet, qui monita aspernantur, atque in peccato malunt obstinate vitam suam peragere.

4. *Tollitur usus bonorum*; est enim de ratione censura non bona ipsa, sed ipsorum usum tantummodo auferre. Sic censura suspensionis a beneficio privat Clericum redditibus Beneficii, non ipso Beneficio. Additur: *Quorundam bonorum*. Quod ut intelligatur, sciendum tria esse genera bonorum in Ecclesia: alia procedunt *a capite*, ut merita Christi, gratia, fides, spes, charitas; alia procedunt *a corpore*, ut Sacramenta, sacrificia, communia suffragia; alia vero procedunt *a membris*, uti sunt preces ac bona opera singulorum fidelium. Jam vero censura non tollit usum bonorum prioris generis, cum ab Ecclesia non dependeant; item per se neque tertii generis, neque enim vult Ecclesia privatorum preces impedire: sed tantum bonorum secundi generis, aliquando in toto, aliquando vero tantum in parte.

5. *Primario spiritualium*; hæc enim pœna, utpote spiritualis, si quandoque privat fructibus beneficiorum et communione fidelium etiam in civilibus, id non est nisi secundarie et indirecte, in ordine videlicet ad bona spiritualia.

63. Q. 2. *Quomodo censura dividitur?*

R. Tripliciter præsertim dividitur: 1. *ratione formæ*, qua fertur, in censuram a jure et in censuram ab homine; 2. *ratione ministri*, ad quem pertinet absolvendi facultas, in re-

¹ I Cor. v. — Ferraris. *Bibliotheca*, v^l Censura, Pœna. — Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 1.

servatam et non reservatam; 3. *ratione actus*, quo fertur, in censuram lætæ sententiæ et ferendæ.

1. *Censura a jure* dicitur ea, quæ fertur per canones et per statuta Ecclesiastica. Hæc, ut plurimum, generalis est et perpetua: *generalis*, quia omnes subditos delinquentes et contumaces complectitur; *perpetua*, quia durat quamdiu durat lex ipsa. — *Censura vero ab homine* dicitur ea, quæ fertur a legitimo superiore per modum mandati aut edicti aut præcepti; vel per modum sententiæ judicariæ, aut in determinatas personas. Et est vel *generalis*, si generaliter et indeterminate feratur, v. g. in Clericos omnes; vel *particularis*, si feratur in personam particularem. Censura ab homine cessat morte vel renuntiatione superioris a quo illata (si tamen nondum sit contracta; nam si jam contracta non tollitur nisi per absolutionem superioris aut successoris superioris, a quo illata): et ideo dicitur etiam transitoria. Sic censura, quæ ab Episcopo feruntur in Synodo, cum sint a jure, perdurant etiam post ejus mortem; aliæ vero si quæ forte ab eo extra Synodum illatæ fuerint, cum sint ab homine, cessant¹, adveniente morte illius aut renuntiatione; cum enim non sustineantur, nisi ab homine, homine deficiente, et illæ deficere debent, nisi jam incursæ.

2. *Censura reservata* est, cujus absolutionem sibi Superior reservavit; *non reservata*, cujus absolutio aliis ministris relicta est.

3. *Censura lætæ sententiæ* est, quando lex vel Superior statuit eam incurrendam ipso facto, quo quis legem violaverit², v. g. hominem interfecerit. *Sententiæ ferendæ* est, cum lex vel Superior statuit, eam non esse incurrendam

¹ Excipe nisi Episcopus clare significet eas habendas esse ut perpetuas. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 6.

² Sunt falsi nominis Canonistæ, qui licet non audeant damnare hanc speciem censurarum, docent tamen, eam non fuisse in usu prioribus decem Ecclesiæ sæculis. Id Benedictus XIV (*De Syn. Diœc.*, l. X, c. 1) erudite ostendit historicæ veritati contrarium: imo excommunicatio severissima olim lata erat in idololatrias, homicidas, adulteros, relapsos etsi occulte, et in Clericos grave facinus occulte admittentes. — V. Item propositio 47 damnata in celebri Bulla *Auctorem fidei*.

ipso facto, quo crimen patrat; sed quando per iudicis sententiam ea infligenda declaratur.

Erit generatim censura *latæ sententiæ* si verba quibus infertur, excludant alterius cujuscumque actionem, seu ministerium. Ac 1. si adsint hæc vocabula: *Ipsa facto, ipso jure, eo ipso, ex tunc, illico, protinus, sine alia sententia et similia*; 2. si verba sint temporis vel præteriti vel præsentis, v. g. *excommunicavimus, excommunico*; 3. si verba sint modi imperativi, v. g. *incidat in excommunicationem, maneat suspensus, interdictus*; 4. si in censura contra hæresim dicatur: *excommunicatus sit, anathema sit*: ut apud omnes in confesso est. At si hæc eadem verba adhiberentur contra aliud crimen, sentiunt Layman et Sanchez non continere censuram latæ sententiæ, cum non ita sint clara, ac determinata; illud enim *sit* sine alio addito sumitur etiam pro verbo futuri temporis. Attamen æque probabiliter id negant Tournely et Suarez; cum aliter se habeat usus¹ (E).

Erit vero censura *sententiæ ferendæ*: 1. si verba, quibus infertur, includant alterius actionem et ministerium, v. g. *excommunicetur per Episcopum*; 2. si verba illa sint comminatoria tantum, v. g. *præcipimus sub pœna excommunicationis, sub interminatione anathematis* (excipe, nisi aliud ex adjunctis colligatur); 3. si verba tempus expriment futurum, v. g. *excommunicabitur, excommunicatus erit*.

Si omnibus rite perpensis, adhuc sit dubium, utrum censura habeatur latæ sententiæ an ferendæ, habenda erit uti ferendæ, quia in dubiis circa pœnas interpretatio benigna est præferenda. Ita Continuator Tournely, Concina, Filliucius, Sanchez, etc.

64. Q. 3. *Quænam conditiones requiruntur ad censuram?*

R. Aliæ requiruntur ex parte illius, qui censuram infert. Aliæ ex parte illius, in quem infertur. Aliæ ex parte materiæ, ob quam fertur. Aliæ demum ex parte modi, qui servandus est in ea ferenda.

¹ *Anathema*, si penultimam vocalem longam facias, rem designat in alto collocatam: et a Græcis adhibebatur ad sacra donaria ac vota designanda, que in alto collocabantur; est a græco *aná* de novo, et *tithêmi*, collocare. Si brevem, separationem indicat, ut in usu est in decretis fidei.

CAPUT SECUNDUM

DE IIS QUI CENSURAS INFERRE POSSUNT

65. Q. 1. *An Ecclesia gaudeat potestate ferendi censuras?*

R. Affirmative: Ecclesia gaudet potestate ferendi censuras.

Probatur 1. *ex scripturis*: Christus Ecclesiæ suæ tradidit potestatem proprio e sinu ejiciendi filios delinquentes et contumaces iis verbis: *Si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cælo*¹. Atqui hæc potestas in se et ratione substantiæ nihil est aliud, quam potestas ipsa inferendi censuras.

2. *Ex Patribus*: sufficiat pro omnibus D. Augustinus, qui ait: *Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: jam judicavi... congregatis vobis et meo spiritu... tradere hujusmodi Satanæ*².

3. *Ex Conciliis*: sit Tridentinum, quod hanc supponens in Ecclesia potestatem dicit illam esse *nervum Ecclesiasticæ disciplinæ ad continendos in officio populos valde salutarem, et spiritualem gladium*³.

4. *Ex universali et perpetua Ecclesiæ praxi*; ab ætate Apostolorum ad nostra usque tempora semper viguit in Ecclesia usus ferendi censuras. Sic Paulus Satanæ tradidit incestuosum Corinthium, Himenæum et Alexandrum blasphemos⁴. Ejus porro vestigiis inhærentes sequentibus sæculis eadem

¹ Math. xviii. Est de fide propositio definita tum in Concilio Constantiensi contra Wiclephistas et Illustitas, qui *excommunicationem Papæ vel cujuscumque prælati dicebant non timendam*; tum Bulla Leonis contra Lutherum siebat *excommunicationes esse tantum externas pœnas, nec privare homines communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus*. Et sub n. 90 damnata est hæc propositio Quesnelliana: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exercent per primos pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis*.

² De fide et oper., c. ii — ³ Sess. xxv, c. iii, de Ref.

⁴ I Cor. v, et I Tim. i.

potestate usi sunt pedetentim Pontifices et Ecclesie Prælati, uti ex historia constat¹.

5. Denique *ex ratione*. Quælibet enim bene ordinata hominum societas habet potestatem arcendi e proprio sinu membra noxia; atqui Ecclesia est profecto societas bene ordinata; ergo hanc ipsam habet potestatem. Habere autem eam non potest, nisi a Christo fundatore sapientissimo, et ideo ea dicenda est *juris divini* (F).

66. Q. 2. *Quid requiritur, ut quis possit valide ferre censuras?*

R. Ut quis possit valide ferre censuras, requiritur: — 1. ut sit masculus, baptizatus et prima saltem tonsura insignitus; qui enim non est in Ecclesia superior, non est capax ecclesiasticæ jurisdictionis; — 2. ut sit compos rationis, et libere agat; exercet enim actum liberum. Censura tamen lata metu gravi est valida; quia sufficienter voluntaria; — 3. ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum: alioquin frustra ageret, cum in exercitio ligatus sit; — 4. ut eam ferat in subjectos servando solemnitates essentielles: alioquin nulla esset censura, cum deficeret in substantialibus². — 5. ut eam non ferat in propria causa mere personali; quod in jure reputatur vindicta³: esset si prælatus censuraret aliquem, qui contra illum recurrit ad superiorem.

67. Q. 3. *Quinam ex Clericis censuras inferre possunt?*

R. Vel sermo est de potestate ordinaria, vel de potestate delegata.

¹ V. Devoti, *Inst. Can.*, l. IV, ubi ad rem plura congerit eruditissimus Episcopus.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 12. Non negamus aliquando in ferenda censura modum non fuisse servatum, qua de re conquerebatur S. Damiani; at hoc est vitium hominis, non rei; et semper censura timenda foret, quia nostrum non est superiorum actis obsistere, sed iis obtemperare. Ceterum, ad rem Tridentinum, sess. xxv, cap. iii de R.: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinæ et ad continendos in suo officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est: cum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem.* — V. Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, Opusc. Istoria Eccles., § 2: uso ed abuso delle censure.

³ Can. xxvii, c. xxiii, q. 4.

Si sermo est de potestate ordinaria, eam habent omnes, qui externam in Ecclesia jurisdictionem exercent: — 1. R. Pontifex independenter a cujuscumque consensu. Unde merito lutherana illa Quesnelli propositio sub n. 90 a Clemente XI Bulla *Unigenitus* damnata fuit: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet, ut eam exercent per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis*; — 2. Archiepiscopi in Diocesis propriis, et etiam in Suffraganeis tempore visitationis, et cum agitur de causa ad eorum tribunal per appellationem delata; cum tunc de jure ordinario in Suffraganeos jurisdictione polleant; — 3. Episcopi in Diocesi sua, si electi et confirmati et possessionem adepti; quia tunc tantum (ex hodierna disciplina) habent jurisdictionem expeditam¹. Item Cardinales in Ecclesia proprii tituli. Item Legati in territorio propriæ Legationis; — 4. Vicarii Episcoporum generales, uti recte dicunt Fagnanus, Suarez, Tournely; unum enim cum Episcopis tribunal constituunt; — 5. Generales, Provinciales et Superiores locales Religionum respectu subditorum. Item Congregationes Religionum, Concilia et Capitula provincialia; — 6. Capitulum cathedralis Ecclesie, Sede Episcopali vacante, primis octo diebus; dein Vicarii capitulares; — 7. omnes qui per communem errorem cum titulo præsumpto habentur uti legitimi Superiores².

68. Si sermo est de potestate delegata, ea est in iis quibus committitur ab habente ordinariam. Ubi notandum: 1. delegata potestas expirat morte delegantis, nisi causa a delegato jam fuerit incepta, etiam per solam citationem; 2. delegatus non potest alterum subdelegare, nisi vel expressam habuerit licentiam a delegante; vel sit delegatus a Pontifice; vel ad universalitatem causarum³.

¹ V. *De Legibus*, c. iv, a. 1. — Et *De Ordine*, append. de beneficiis, c. ii.

² Quæ omnia in jure definita habentur, ut videre est penes S. Alphonsum nostrum, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 9 et seq. Hæc censurandi potestas acquiri etiam potest: — 1. præscriptione, ad quam requiruntur 40 anni, si adsit titulus coloratus; sin autem tempus immemorabile ex cap. i et xv *de præser.*; — 2. consuetudine ex cap. xiii, *de off. jud. ord.*; — 3. privilegio, ut constat ex cap. xxiii, *de verb. sign.*

³ Ex cap. iii. *Si pro debilit.*, et cap. xx *Gratum*, de offic. jud. deleg.

69. Q. 4. An Parochi possint ferre censuras?

R. In praxi recepta ac tenenda sententia, contra Thomassinum, negat. Audiatur D. Thomas: *Quia per excommunicationem* (id est per censuram; nomen enim *excommunicationis* primitus generatim sumebatur) *homo a communione fidelium separatur; ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Et illi solum possunt excommunicare, qui habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, et majores Prælati possunt excommunicare; non Presbyteri Parochiales*¹: quippe qui non habent, nisi administrationem ad rectum Parochiæ ordinem, cum potestate tantum cognoscendi causas hominis ad Deum.

Quod autem de Parochis dictum est, illud a fortiori de simplicibus Sacerdotibus ceterisque Clericis inferioribus erit affirmandum.

70. Q. 5. An sæculares valeant censuras inferre?

R. Certum est feminas non posse censuras inferre, quia fœminæ jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt incapaces. Imo neque ipse Pontifex probabilius potest cum illis dispensare, ut docent Salmanticenses, Sotus et D. Thomas contra Croix, Suarez et alios. Nam potestas hæc data est Apostolis et eorum successoribus, quibus nempe traditæ sunt claves Ecclesiæ. At potestas clavium nullo modo mulieribus tradi potest: *Mulier*, ait S. Thomas, *non potest habere aliquam jurisdictionem: quia non habet neque clavem ordinis neque clavem jurisdictionis*².

Quod vero pertinet ad viros sæculares, item pariter certum est, quod neque ipsi de potestate ordinaria valent censuras inferre; quia hæc potestas tantum residet in ipsis Ecclesiæ Superioribus. Communiter tamen docent Continuator Tournely et Salmanticenses, posse Pontificem sæcularibus viris delegare hanc facultatem ex ea, qua præditus est plenitudine potestatis: cum radicitus non habeantur incapaces, ut fœmina.

71. Sed (dices) quid de prælati hæreticis, excommunicatis atque suspensis? Generalim isti valide non possunt censuras inferre; cum jurisdictionem non habeant expeditam quoad usum³. Diximus generalim; quia docent communiter eos, si non sint notorie tales, valide (etsi non licite) censuras inferre; cum Ecclesia ob bonum publicum eisdem adhuc usum jurisdictionis conservet. Imo Avila, Bonacina, Diana

¹ In 4, d. 48, q. 5, a. 3. — V. Gonzales, c. III, de off. et potest. jud. deleg. — Bouix, De Parocho, pars I^a, c. IV. — Benedictus XIV, De Synodo, l. V, c. IV. — Liguori, Op. Mor., l. VII, n. 407.

² Suppl., q. 49, a. 5. Unde si quando dicitur in jure abbatissas sibi subiectas ab officio vel beneficio suspendere posse, id intelligitur de simplici tantum interdictione. — V. Liguori, Op. Mor., l. VII, n. 12.

³ C. except. de except. — V. Pavone, Spicilegio, ecc., nn. 314 et seq.

docent supradictos, etsi notorios, adhuc valide censuras ferre, quia ex Constitutione Martini V, ut quis jurisdictione privetur, requiritur quod sit vel denunciatus nominatim, vel publicus Clerici percussor, adeo ut sit vitandus (G).

CAPUT TERTIUM

DE CENSURÆ SUBJECTO ET MATERIA

72. Q. 1. Quodnam est subjectum censuræ?

R. Subjectum censuræ est homo, viator, baptizatus, rationis capax, et subditus¹; est enim censura actus jurisdictionis ad correctionem instituta voluntarie delinquentis. Hinc versus:

*Iste viator erit, sacro et Baptismate lotus,
Sitique sui compos, liganti subditus esto.*

Diximus *rationis capax*; ergo amentes, si ita perpetuo sunt, non possunt ligari: cum habeantur uti pueri, qui sicut sunt incapaces culpæ, ita et censuræ. Si vero nonnisi ad tem-

¹ Item debet esse persona particularis ac determinata, si sit excommunicanda, ex c. Romana, de sent. excomm., in 6. Ubi etiam notandum: — 1. jure sunt privilegiati Officiales Romanæ Curiæ, et Nuntii Apostolici (cap. 1, de priv., in 6), qui inde non possunt ab Episcopo loci censurari; — 2. etiam Reges ac Reginæ, eorumque filii, quamvis in spiritualibus subdiciantur Episcopis, non possunt censura ligari, nisi a R. Pontifice ex privilegio, quod eis hodie communiter tribuunt Doctores, uti dicunt Salmanticenses cum S. Antonino aliisque. V. Liguori, Homo Apost., tr. XIX, n. 4; Op. Mor., l. VII, n. 17. Aliter omnino dicendum de regis consiliariis, de populorum representatoribus, parlamentis, etc. His nullum privilegium; neque aliunde Episcopalis potestas coercenda, nisi certa extent argumenta. Adde id Regibus datum esse non ideo præcise, quia leges ferunt; sed ob eorum, sacram, et excellentissimam dignitatem. Est certum. Item potest Episcopus contra aliquem e suo capitulo procedere quin Capitulum audiat; excipe nisi Capitulum sit exemptum, tunc enim ex Tridentino non potest Episcopus contra aliquem de Capitulo procedere, nisi cum duobus Canoniceis conjudicibus a Capitulo ipso electis, et habentibus unam vocem, dum Episcopus habet alteram. — V. Bouix, De Capitulis.

pus amentes sint, ligari utique possunt; quia habitualiter capaces sunt contumaciæ, licet per accidens priventur ad tempus usu rationis. Hinc etiam ebrii et dormientes censuras incurrunt, si tempore quo erant rationis compotes, causam iisdem dederint.

73. Impuberes autem etsi doli capaces, ob eorum tamen infirmitatem non ligantur censura¹, nisi lex expresse exprimat contrarium: uti exprimit, si fuerint ingressi Monialium Monasteria²; vel si Clericos graviter percusserint³.

74. Item nemo seipsum censura ligare potest; nemo enim fit sui subditus vi coactiva, sed tantum directiva. Unde Episcopi et Cardinales non ligantur censuris a se latis: qui item ex privilegio neque suspensione et interdicto latis a jure, nisi illorum mentio fiat specialis⁴.

75. Q. 2. Quænam est censuræ materia?

R. Censuræ materia est *culpa mortalis, propria, externa, in genere suo completa, contra legem Ecclesiasticam, et contumaciæ conjuncta*.

1. *Culpa*; nemo enim puniri debet, nisi peccaverit. Si quis autem esset innocens, sed ex probatis juste esset censura ligatus; etsi in conscientia obstrictus non remaneat, nec fiat irregularis ministrando in Sacris; in foro tamen externo se gerere debet uti censuratus, ad vitandum scandalum.

2. *Culpa mortalis*; pœna debet esse culpæ proportionata: hinc si quid præcipiatur sub censura gravi et totali, sed omnibus inspectis sit leve, illud non obligat ad mortale, et censura non incurritur⁵.

¹ Hoc tamen currit, quando censura est generaliter lata vel a jure vel ab homine; censuram enim etiam impuberes incurrerent, si ea lata sit per modum præcepti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 14.

² Tridentinum, sess. II, c. v. — ³ C. *Pueris fin. de sent. excomm.*

⁴ C. *Quia periculosum de sent. exc.*, in 6.

⁵ Diximus 1. sub censura gravi et totali; quia latentur culpam venialem sufficere ad excommunicationem minorem (vel levem suspensionem aut leve interdictum), v. g., ad breve temporis spatium, et privantem aliquo tantum usu; — 2. omnibus inspectis, nam aliquando materia ex se levis potest fieri gravis ex adjunctis, uti scandali, periculi: quod dignoscitur, si prohibita sit sub censura latæ sententiæ, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 30; et *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 4.

5. *Culpa propria*; nam peccata (ideo et pœna) suos auctores tenere debent. Si vero agatur de communitate, ea quidem ob patratum crimen per modum sententiæ potest interdici; imo suspendi ob bonum commune, licet non singuli deliquerint (quæ tamen suspensio quoad non delinquentes est potius dicenda inhabilitas, quam censura). At quoad excommunicationem, cum sit pœna gravissima, quæ animam afficit, ut Episcopus valide in totam communitatem eam infligat per modum sententiæ, oportet ut singuli ex communitate deliquerint: imo debent singuli, qui sunt in culpa, nominatim excommunicari¹. Si tamen feratur per modum statuti aut præcepti, in quo scilicet aliquid præcipiatur sub excommunicatione, tunc omnes transgressores eam incurrunt, etsi ea lata sit in aliquem incertum ex communitate, v. g., in eum qui tale crimen patraverit.

4. *Externa*; censura enim est actus fori externi ad externam disciplinam pertinens. Neque Ecclesia de iis legem ferre potest, de quibus judicare non valet, uti sunt actus mere interni.

5. *In genere suo completa*, nisi aliud exprimat. Ratio: odia restringenda sunt, favores ampliandi: quare censuram latam in homicidas non incurrit qui graviter aliquem percussit cum intentione etiam eum interficiendi, si homicidium non sequatur. Eadem de causa censuram non incurrit homicidium mandantes et consulentes: nisi censura expresse iis imposita sit, et præcise ob mandatum vel consilium; nam delictum jam esset penitus consummatum, semel dato illo consilio, vel mandato².

6. *Contra legem Ecclesiasticam*; quia censura est pœna Ecclesiæ constituta adversus eos, qui præcepta Ecclesiastica violaverint.

7. *Contumaciæ conjuncta*, ita ut adhuc post monitionem delinquatur; secus censura non esset pœna medicinalis, sed mere vindicativa. Hinc non debet imponi ob peccata mere præterita in eos, qui ad meliorem frugem se receperunt, nisi

¹ C. *Romana de sent. exc.*, in 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 18 et 19.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 38, ubi alia disputat.

agatur de suspensione et interdicto, quæ aliquando infliguntur per modum puræ pœnæ¹.

76. Quid (dices) in dubio circa materiæ gravitatem? R. In tali dubio obligat præceptum Superioris hic et nunc censurantis; possidet enim ejus potestas, et judicium². Idem est, si dubium sit de justitia causæ, qua Superior movetur ad ferendam censuram: hinc cui mandatur hujus censuræ executio, eam exequi tenetur; quia ad inferiorem non causæ cognitio, sed executio pertinet. Quod valet, licet privatim sciat talem esse innocentem; si tamen secundum allegata et probata innocens non sit³, ne scilicet ordo judicii pervertatur.

CAPUT QUARTUM

DE SOLEMNITATIBUS IN CENSURA FERENDA ET CAUSIS EXCUSANTIBUS

77. Q. 1. Quotupliciter ferri potest censura⁴?

R. Ferri solet censura: 1. per modum legis generalis: tales sunt omnes censuræ, quæ in jure Canonico ac Pontificum Bullis habentur: 2. per modum præcepti particularis ut si superior alicui minetur censuram, si tale opus agat: 3. per modum puræ pœnæ, seu punitionis peculiaris, ut si v. g. Episcopus Titium sacerdotem hic et nunc suspendat a celebratione, volens ita eum punire ob admissam ebrietatem; 4. per modum sententiæ judicialis, ut si quis, v. g., furatus

¹ Ad contumaciam constituendam sufficit contemptus interpretativus auctoritatis Ecclesiasticæ aliquid sub pœna præcipientis, qualem habere censor qui scit quidem legis illius transgressionem adnexam esse censuram, sed eam nihilominus committit.

² Diximus hic et nunc censurantis personam quæ aliquod patravit; si enim jam sit lata censura in jure, et dubites num factum tuum illam attingat, ut si dubites an tua percussio in clericum sit gravis, non teneris te gerere ut censuratum: hoc est conforme doctrinæ D. Thomæ, qui Quodl. 4, a. 14, docet quod post determinationem judicis standum est ejus sententiæ, secus ante. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 67 et seq.

³ C. *Pastoralis*, de offic. et pot. jud. deleg.

⁴ V. Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, lib. X, c. 1, n. 7.

sit, et judex sententiam ipsi mandat, ut intra tot dies restituat, alias ipso facto incidat in excommunicationem.

78. Q. 2. An censuræ sit præmittenda monitio?

R. Generatim loquendo, censuræ monitio a iudice vel ab alio ejus nomine est præmittenda; cum enim censura sit pœna medicinalis, necessario supponit contumaciam; atqui nemo contumax dici potest, nisi fuerit de errore præmonitus. Quid enim est monitio nisi intimatio qua superior declarat eos qui legi seu sententiæ non paruerint, incursuros fore in censuram? Confirmatur ex illis Evangelii verbis: *Si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*¹; ergo coercitio fieri debet *in non audientes*, id est in contumaces. Sic etiam in ipso jure habetur².

Diximus *generatim loquendo*; nam si feratur censura per modum simplicis punitionis, ut evenit in suspensione et interdicto particulari, nulla requiritur monitio, cum tunc hæc habeat rationem puræ pœnæ. Item est, si feratur per modum legis generalis vel præcepti particularis, nulla requiritur monitio; quia ipsa lex ac præceptum solemniter et aperte monet. — Monitio ergo proprie dicta seu canonica tunc requiritur, cum censura alicui vel aliquibus imponitur per modum sententiæ judicialis. Et quidem requiritur trina monitio vel saltem una pro tribus, modo hæc abbreviatio enuntietur, et tempus tribus monitionibus æquivalens concedatur, spatium nempe duorum dierum pro singula, ideoque dierum sex³. Hæc ad validitatem; ad licitatem requiritur etiam, ut censura scripto authentico feratur, adnotatis persona, censura, culpa et copia infra mensem censurando exhibita, si petat⁴. Neque ipsa ferri debet diebus feriatis, nisi contumacia sit admodum evidens.

¹ Matt. xviii. — ² C. *Statuimus* de sent. excomm.

³ Sufficit, v. g., si dicatur: *Mandamus ut intra sex dies restituat, alias excommunicatur ipso facto*; tunc elapsis sex diebus sine restitutione, statim incurritur censura. Quod si periculum sit in mora, v. g. urgeret necessitas violentiam hic et nunc reprimendi, sufficeret una monitio, modo terminus designetur censuram incurrendi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 52 et seq. ubi fuse.

⁴ C. *Cum medicinalis l. de sent. excomm.*, in 6; et c. *final. de feriis*.

79. Q. 3. *Quænam causæ excusant a censura?*

R. Solent adsignari: *Ignorantia, metus, impotentia, consensus illius in cuius favorem censura lata est, et appellatio legitime interposita.*

1. *Ignorantia invincibilis* tum juris, tum facti, tum pœnæ: *juris*, ut si scias a te percutiendum, v. g., esse Clericum, sed nescias hanc percussione adnexam habere excommunicationem; *facti*, ut si scias hanc excommunicationem adesse, sed ignoras a te percussum esse Clericum; *pœnæ*, uti si scias et percussione Clerici ab Ecclesia prohiberi, et quem verberas esse Clericum, sed invincibiliter nescias percussorem Clerici censurari; nam semper deesset contumacia et censuræ contemptus; voluntas enim non fertur in ignoratum. Imo hoc currit, etiamsi ignorantia sit concomitans, ut si quis percussit Clericum ignorans esse Clericum, sed eo animo, ut adhuc percuteret, si sciret; nam ille licet censuram contemneret, si sciret, actu tamen dici non potest, quod contemnat, cum ipse actu eam ignoret. Si vero ignorantia sit graviter culpabilis seu crassa, *per se* non excusat a censura, ut merito ac communiter docent; quia hæc involvit summam negligentiam in veritate indaganda et grave peccatum, et jam satis Ecclesia contemnitur: talis esset ignorantia illius Clerici qui spectaculis scenicis interesse præsumit fortiter dubitans, an id sit sub censura prohibitum, quin aliquam de dubio expurgando curam agat. Diximus *per se*; nam plerumque ignorantia crassa seu supina excusat, cum plerumque in ea infligenda dicatur: *Qui hoc fecerit scienter, consulto; vel qui præsumpserit ausu temerario*¹, etc.

2. *Metus*: quæstio est de metu gravi respective ad personas: metus enim levis nulla habetur ratio. Porro generatim loquendo certum est, quod metus gravis excusat a censura quando res vetita est solummodo jure ecclesiastico; quia leges humanæ, etsi valeant in quibusdam rerum adjunctis, non tamen regulariter solent obligare cum gravi incommodo: hinc si quis, v. g., cogeretur gravi metu ad omittendam au-

¹ Ideo tunc ad hanc incurrendam expresse requiritur scientia. Utrum autem in hoc casu excuset etiam ignorantia affectata, negant communius: quia hæc includit dolum formalem et æquivaleret scientiæ.

ditionem Missæ festo die, sicut esset immunis a culpa, ita etiam a censura, casu quo talis omissio sit sub censura. An vero metus gravis excuset etiam quando res vetita est ipso jure naturali, ut est homicidium, furtum, adhuc certum est excusare, si metus eo usque hominem perturbet, ut auferat liberum arbitrium; tunc enim aufert etiam peccati gravitatem. Si vero gravis metus adhuc relinquat voluntarium sufficiens ad lethale peccatum, ut ordinarie contingit, tunc utrum gravis metus a censura excuset, non consentiunt: alii cum Collet negant, tum quia Ecclesia plura lege naturali vetita prohibuit sub pœna censuræ, modo absoluto, nullaque adhibita restrictione; tum quia scopus illius in statuendo has censuras fuit, ut homines efficacius retraherentur ab his quæ sunt jure naturæ prohibita.

Verum nos dicimus cum Suarez, Salmanticensibus, Palao, Coninchio, Bonacina et aliis valde probabiliter, quod metus gravis regulariter loquendo excusat a censura, licet crimen super quod ipsa inflictæ est, sit vetitum lege divina; quia mens Ecclesiæ est illos solum censuris afficere qui animo contumaci leges canonicas transgrediuntur. At qui, non sua sponte, sed ex gravi metu violat legem naturalem censura ecclesiastica sancitam, non censetur contumax: hinc excommunicationem non incurrunt christiani a Turcis capti, præliantes ex metu mortis in bello contra christianos, etiam supposito quod sit contra jus naturæ, et adsit censura. Ad hanc resolutionem nos conduit ipsa censuræ ratio et natura. Excipe tamen juxta omnes: 1. si Ecclesia sub censura rem de se graviter periculosam præscripserit, ut si præscriberet dispensationem Sacramentorum morbo pestifero infectis: potest enim; 2. si res vetita sub censura cederet in animarum perniciem, ut si quis metu ductus sine jurisdictione sacramentaliter absolveret; 3. si res prohibita contingeret in dedecus Ecclesiæ et in injuriam gravissimam, uti si quis coactus episcopum, vel cardinalem vulneraret; 4. si ageretur de tuendo bono communi religionis, ejus independentia, ac generali disciplina; vel de evitando actu qui censeretur abjuratio fidei, aut contemptus auctoritatis ecclesiasticæ; his enim in casibus certum est, Ecclesiam velle sub omni hypo-

thesi et sub præcepto et sub pœna obligare in omnium sensu¹.

5. *Impotentia* sive physica sive moralis; quia *nemo potest ad impossibilia obligari*. Hinc qui non habet unde restituat, vel non possit sine gravi incommodo, non incurrit censuras latas in non restituentes.

4. *Consensus illius, in cujus favorem censura lata est*. Casus esset si censura lata sit in debitorem, qui intra datum tempus debitum creditori non solvat; sed creditor ei prorget tempus².

5. *Appellatio legitime interposita*; hæc enim devolvit causam ad Superiorem, et suspendit usum jurisdictionis in inferiore. Ut tamen appellatio sit legitima, requiritur: *a.* ut adsit causa sufficiens; nam appellacionis remedium (dicente Innocentio III) *non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentie institutum*; *b.* ut fiat a iudice inferiori ad Superiorom; neque enim quod majus est, coercetur a minori; *c.* ut fiat ante illatam censuram; etenim, re consummata, seu jam lata censura, nullus est amplius consilio locus. Sed censura obtinet, donec a superiore cui appellatum est, cassetur.

CAPUT QUINTUM

DE CENSURÆ CESSATIONE, SEU DE MODIS QUIBUS CENSURA DELETUR

80. Q. 1. *Quot modis censura deleri potest?*

R. Multipliciter: nempe *abrogatione, revocatione, cassa-*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 46; *Homo Apost.*, tr. XIX, n. 8. Ceterum non est tam facilis inquisitio, quando res instituitur de casu aliquo particulari, num scilicet liceat eo in casu agere, non obstante ecclesiastica lege, quin culpa incurrat ac censura. Id pendet a variis locorum, temporum ac personarum circumstantiis, quæ veniunt mature pensandæ; quare sine consilio nihil est resolvendum. Plerumque etiam ad vitanda majora mala præstat dissimulare.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 65.

tione, morte ferentis, morte censura irretiti, lapsu temporis et absoluteione.

1. *Abrogatio* censuræ fit, cum lex nova, vel legitima consuetudo revocat legem veterem, a qua censura illata erat. — Abrogationis effectus non est, ut qui in censuram inciderit, statim incipiat ab eadem esse solutus (nam qui semel ligatus est, non liberatur sine obtenta absoluteione); sed tantum ut si post legem abrogatam aliquid commiserit adversus ipsam, non amplius censuram incurrat.

2. *Revocatio* contingit in censura, quando Superior, causa melius perspecta, latam censuram revocat.

3. *Cassatio* fit auctoritate Superioris in iudicio appellacionis. In hoc differt a revocatione, quod revocatio locum habeat extra iudicium appellacionis; cassatio vero in eo tantummodo obtineat.

4. *Morte ferentis* cessat censura, si sit ab homine. Ponamus Prælatum sub censura alicui indixisse, ut se abstineret a certa re: si præcepto illo nondum violato, Prælatus moriatur vel etiam a jurisdictione suspendatur aut ad aliam Ecclesiam transferatur, subditus qui post ejus mortem vel suspensionem aut translationem præceptum illud violat, nullam censuram incurreret.

5. *Morte censura irretiti*: intelligitur tamen de suspensione et excommunicatione minori; non vero de interdicto et excommunicatione majori, quæ durat in privatione sepulturæ, suffragiorum, etc.

6. *Lapsus temporis* censuram extinguit, si per modum pœnæ ad tempus determinatum fuerit inflictæ. Idem dicitur de censura lata sub aliqua conditione, ut nempe tamdiu duret, quamdiu censuratus hoc vel illud egerit: conditione impleta, censura ex se cessat, uti patet.

7. *Absoluteio*, quæ est relaxatio pœnæ formis ab Ecclesia præscriptis peracta. Hæc adeo necessaria est, ut etiam præstita satisfactione et secula emendatione (nisi interveniant causæ mox dictæ), adhuc censura etiam coram Deo maneat, quoadusque absoluteio sequatur: ab Alexandro VII diris devota hæc propositio: *Quoad forum conscientie, reo correpto ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.*

81. Q. 2. *Quot modis spectari potest absolutio a censura?*

R. Triplici modo: vel ratione fori, in quo conceditur; vel ratione modi, quo datur; vel ratione personæ, cui vel a qua tribuitur¹.

1. Ratione fori: cum forum Ecclesiæ sit duplex interius et exterius, cumque censuræ absolutio in utroque habeat locum, duplex ideo est absolutio: alia ad forum *interius*, alia ad *exterius* pertinet.

2. Ratione modi est multiplex. Alia est *pura et simplex*. Alia *sub conditione* vel de præterito, v. g., si jam satisfecisti, ego te absolvo; vel de præsentis, v. g., si nunc satisfacias, te absolvo; vel de futuro, v. g., si satisfacies in posterum, nunc pro tunc te absolvo (et absolutio obtinet satisfactione exhibita). Alia *ad cautelam*, qua si forte quis ligatus est censura, ad cautelam absolvitur in foro interno. Alia *ad reincidentiam*; quæ datur sub certo onere, quo non impleto, censura reviviscat. Alia *totalis*, qua censura ex integro tollitur tam in se, quam in omnibus effectibus. Alia *partialis*, qua non tolluntur nisi effectus partiales, v. g., privatio vocis activæ in electione canonica: hæc est absolutio impropria.

3. Ratione personæ considerari potest ex parte tum illius qui absolutionem elargitur; tum illius qui eam recipit. Qua in re hoc maxime requiritur, ut absolvens potestatem habeat censuram auferendi; et absolvendus nullo detineatur impedimento, quo prohibeatur absolvi.

82. Q. 3. *Quinam a censuris absolvere possunt?*

R. In ipso mortis articulo seu periculo quilibet Sacerdos etiam nondum approbatus ad Confessiones (imo etiam excommunicatus, si alii desint), habet facultatem absolvendi a quibuscumque censuris, uti receptum est. Sane æquum est, ut omnis tunc reservatio cesset, atque omnibus modis juvetur moribundus. Exigenda tamen est ab infirmo (ut ratio suadet, et docent communissime²) promissio satisfaciendi parti læsæ, et se præsentandi Superiori, si convalescerit: nempe pro con-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 416 et seq.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 85 et 91; l. VI, n. 585. — Pavone, *La luce*, etc., n. 75.

grua pœnitentia ab eo suscipienda: secus ex jure reincidit in censuram.

Sivero non agatur de casu necessitatis, tunc distinguendum: vel sermo est de censuris non reservatis, vel de censuris reservatis.

1. Si sermo sit de censuris *non reservatis*, quilibet Sacerdos approbatus absolvere potest censuratos omnes etiam de aliena diœcesi, nec solum ab excommunicatione, sed etiam a suspensione et interdicto; excipe *nisi censuræ latæ sint ab homine per sententiam specialem*; vel *etiam a jure, sed in aliquam designatam communitatem*. Ita se habet Ecclesiæ universalis usus, ut docent communiter Concina, Sporer, Roncaglia, Salmanticenses et Tournely cum D. Thoma¹; et colligitur ex jure canonico²; et confirmat formula: *Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis*, etc., quæ absolutioni sacramentali præmittitur. Idque affirmatur tam pro foro interno, quam pro externo; cum probabilius qui habet potestatem absolvendi in foro interno, id possit etiam extra Confessionem; quia hæc absolutio magis externum forum respicit. Excipe tamen Episcopos, qui extra Sacramentum Pœnitentiæ nequeunt absolvere a censuris Papalibus occultis, uti declaravit Gregorius XIII. — Diximus: 1. *Nisi latæ sint ab homine per sententiam specialem*, nempe contra determinatam personam; nam censuræ in hoc casu vim retinent, ut ille solus eas valeat solvere qui easdem intulit, vel ejus delegatus, vel superior³; 2. *vel etiam a jure, sed in aliquam designatam communitatem*; eo enim in casu nemo potest absolvere qui in illam jurisdictione non polleat; cum locus foro pœnitentia non subjiciatur.

2. Si sit sermo de censuris *reservatis*, quarum nempe absolutionem superiores censuram ferentes sibi reservant, ne frustranea evadat hæc reservatio, dicendum est Sacerdotes

¹ Suppl. q. 42, a. 1.

² C. Nuper, 29 de sent. excomm.

³ Nota: *Per sententiam specialem*, etenim si censura sit quidem ab homine, sed per sententiam generalem absque ulla reservatione, est communissimum eas tunc æquiparari censuris latis a jure non specialiter reservatis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 72.

etiam ad Confessionem approbatos nullam habere ex se facultatem super censuras istas, nisi speciali mandato ad id deputentur. Ideo *id unum pœnitentibus persuadere nitantur*, verba sunt Tridentini, *ut ad Superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant*¹.

83. Quæres: *Quinam sunt Superiores et legitimi iudices, qui possunt a censuris reservatis valide absolvere?*

Generatim sunt qui possunt censuras inferre; nam per quas causas res nascitur, per easdem dissolvitur. Cui tamen generali principio hæc specialia subdimus:

1. Episcopi possunt ex Tridentini decreto absolvere suos subditos ab omnibus censuris R. Pontifici reservatis; modo tamen non sint reservatæ in Bulla Cœnæ, ut verius docent cum Benedicto XIV²; item contractæ sint per delictum occultum, nec fuerint ad forum contentiosum deductæ; et etiam suspensione et irregularitate excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario³.

2. Concessa alicui particulari facultate absolvendi a casibus Papalibus, non intelligitur simul ei concessa facultas absolvendi a casibus in Bulla Cœnæ expressis; quia in generali concessione non veniunt quæ Superior sibi specialiter reservavit, uti sunt casus illi.

3. Concessa alicui particulari facultate absolvendi etiam a casibus in Bulla Cœnæ expressis, non comprehenditur facultas absolvendi ab hæresi, quamvis occulta, uti tradit Benedictus XIV in Bulla *Convocatis*. Si tamen causa ad forum Episcopi deducta sit et respiscat hæreticus, Episcopus poterit eum tunc absolvere, uti dicunt auctores.

4. Vi juris communis potest Episcopus per se vel per alios absolvere suos subditos in utroque foro ab omnibus casibus reservatis impeditos Romam adire, ut communiter habentur senes, pueri, filii familias, regulares, carceribus detenti, in-

¹ Si non certo constat, censura non est habenda uti reservata (etsi ipso facto incurratur); nam in odiosis benignior interpretatio præfertur.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 82. — Et tract. *De virtut. theolog.*, ubi de fide.

³ Ita Tridentinum ex cap. *Liceat* vi, sess. xxiv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 84, etc.

firmi, mulieres, pauperes, impuberes, collegialiter viventes, obstricti cura alendi familiam vel gerendi publicum officium, et ceteri qui nequeunt Romam proficisci sine gravi damno suo vel suorum, sive temporali sive spirituali. Et tunc si impedimentum sit *perpetuum* (et tale habetur si durare possit per decennium) absoluti ab Episcopo jugiter remanent liberi⁴. Si sit *ad longum tempus*, nempe si duret per annum vel sex menses, potest adhuc absolvere Episcopus, sed emitti debet ab impedito (pueris exceptis), ut possit absolvi, juramentum de se quantocius Superiori præsentando, sub pœna reincidentiae. Si sit *ad breve tempus*, nempe per dies, potest tantum absolvere Episcopus, si urgeat necessitas celebrandi aut communicandi, ad vitandam infamiam vel scandalum, in suo statu manente censura et cum obligatione se præsentandi Superiori; nam censura non pugnat cum statu gratiæ, sed tantum Ecclesia facit pœnitentem indispositum, et prohibet a Sacramentis: quæ prohibitio desinit obligare ubi contra ipsam concurrat præceptum fortius, vitandi grave sui damnum.

5. Concessa facultate ab Episcopo absolvendi a casibus reservatis, non intelligitur de iis peccatis, quibus adnexa est censura reservata. Secus si talis concessio fiat a R. Pontifice; quia omnes casus Papales sunt reservati cum censura et propter censuram, si duo excipiantur, uti videbimus de Pœnitentia agendo.

6. Facultas concessa in Jubilæo absolvendi ab omnibus reservatis intelligitur ex communi usu etiam a reservatis ab Episcopis (H).

84. Q. 4. *Quidnam requiritur in absolvendo a censura?*

R. In absolvendo a censura hæc jure requiruntur: 1. Ut absolutionem postulet: *Nisi gratiam absolutionis impleret, non debet audiri, ne sententiam Ecclesiasticam contemnere*

⁴ Ex c. *De cetero* de sent. excomm. — Neque perpetuo impediti tenentur R. Pontificem vel per epistolam adire vel per procuratorem, cum nihil tale præscribatur. Quod autem ad Pœnitentiarum fiat recursus, non concludit; hoc enim privilegium est favorabile, quo nemo uti tenetur: vel etiam ad illam fit recursus ob temporarium impedimentum, ut eo tunc cessante, obligatio minime reviviscat.

*videatur*¹. Cum textus non dicat *non potest, sed non debet*; ideo ex Angelico censuratus, si emendatus, etiam renitens valide posset absolvi²; — 2. ut primum satisfaciatur parti læsæ, in cuius damnum commissum est crimen cum censura (nisi pars remittat): quod si non possit, juret se quamprimum poterit satisfactionem daturum³; — 3. ut si sermo sit de crimine enormi, v. g. de scandalosa Ecclesiæ violatione, gravi Clericorum percussione, ante absolutionem juramentum exhibeat de tali crimine amplius non patrando⁴; tanta enim solemnitate criminis enormitas magis aperitur, atque magis homines terrentur ab illo.

Etiam absens valide absolvitur; absolutio enim a censuris non est Sacramentum, sed mera relaxatio vinculi ab Ecclesia impositi, quæ potest etiam in absentes pronuntiari per nuntium vel litteram⁵. Non id tamen licet sine gravi causa, cum sit contra usum.

CAPUT SEXTUM

DE SINGULIS CENSURÆ SPECIEBUS

85. Ex recenti disciplina omnis censura revocatur ad *excommunicationem, suspensionem et interdictum*. Id deducimus ab illo Innocentii III responso: *Quærenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat intelligi... respondemus, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis et excommunicationis sententia valeat intelligi*⁶.

¹ C. *Per tuas* de sent. excommunicat. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. XIX, n. 14.

² P. III, q. 24, a. 2. — ³ C. *Odoard.* de solut. et c. xxii de verb. sign.

⁴ *De cetero*; et c. *Ex tenore*, de sent. excomm. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 557; l. VII, n. 116, etc. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Excommunicatio, art. 12.

⁵ Decr. II, par. caus. 2, q. 1, c. xvii, de manifesta.

⁶ C. xx, de verb. signif. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Excommunicatio.

Art. I. — De excommunicatione¹.

86. Q. *Quid est excommunicatio?*

R. Excommunicatio, quasi a *communione exclusio*, definiri solet: *Censura, per quam ab Ecclesiæ communione aliquis separatur; et bonis quæ inter fideles communia sunt, vel ex parte vel ex toto privatur*. Diximus *bonis quæ inter fideles communia sunt*; quia tam Lutheri quam Jansenistarum in Pseudosynodo Pistoriensis sedentium doctrina tradens *excommunicationem esse poenam tantummodo externam, neque privare fidelem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus*, damnata est ab Ecclesia Catholica, in Lutheranis a Leone X Bulla *Exurge*, in Jansenistis a Pio VI Bulla *Auctorem fidei*; cum enim sit pœna spiritualis, maxime spiritualia afficere debet.

87. Excommunicatio duplex est: 1. una major, quæ semper intelligitur, cum absolute fit mentio excommunicationis, et privat excommunicatum omni Ecclesiastica communione, sive omnibus bonis quæ in Ecclesia communia sunt; 2. alia minor, quæ eundem privat dumtaxat usu passivo seu receptione Sacramentorum (I).

§ I. — De excommunicatione majori in genere.

88. Q. 1. *Quomodo distinguuntur excommunicatione majori irretiti?*

R. Distinguuntur in duas quasi classes: alii dicuntur *non tolerati et vitandi*, quos scilicet fideles vitare tenentur; alii *tolerati et non vitandi*, quos fideles non tenentur vitare. Veteri disciplina omnes excommunicati erant vitandi et non tolerati; sed post *Extravagantem Martini V Ad vitanda scan-*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 153 et seq. Olim triplex excommunicatio major: *Simplex, anathema, et maranatha*: 1. solo verbo; 2. pluribus ceremoniis pronuntiabatur; per III^m excommunicatus ab Ecclesia perpetuo arcebat, solius Dei iudicio relictus. V. Benedictus XIV, *De Synod.*, l. X, c. 1.

dala anno 1418, non tolerati et vitandi illi tantum habentur qui expresse et nominatim excommunicati sunt, atque uti tales denunciati: necnon publici et notorii Clericorum aut Regularium percussores. Non adest ergo obligatio vitandi excommunicatos, etiam notorios, licet hæreticos, nisi isti sint nominatim excommunicati, expressis nomine et circumstantiis personæ, et insuper nisi sint publice denunciati, nempe declarati excommunicati in loco publico aut scripto aut voce¹.

Verum etsi ex juris dispositione non teneamur toleratos vitare, adsunt tamen circumstantiæ peculiare, in quibus etiam isti vitandi sunt ex præcepto prudentiæ vel charitatis, quoties nempe eosdem non vitando adesset periculum scandali aut damni spiritualis: vel cum ex illorum fuga spes prudens oriretur eorum emendationis: quæ omnia in hæreticis præsertim locum habere solent. Quare Apostolus: *Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita*². In dubio vero an quis sit vitandus, non tenemur eum vitare; nam *odia sunt restringenda*.

89. At (quæres) ipse toleratus poteritne cum fidelibus communicare?

Vel ab ipsis fidelibus rogatur; vel nullimodo rogatur. Si non rogatur, communicare non potest sine gravi peccato neque in Divinis neque in humanis: quia Martinus V facultatem communicandi concessit in favorem fidelium, non in gratiam

¹ Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 15. — Ferraris, v° *Excommunicatio*, art. 9.

² Tit. iiii. Cum Pius VII celebri Bulla *Quam memoranda* 10 junii 1809 (quam refert card. Pacca, *Memorie storiche*), excommunicasset ipso facto qui usurpaverant civilem R. Ecclesiæ Principatum (quo quidem divina providentia illam donatam voluit ad ejus dignitatem, atque ad liberum supremi Apostolatus exercitium tuendum, ut ait Pius IX, *Encycl.*, 17 apr. 1848), dubitatum fuit, an essent vitandi, qui in contextu Bullæ indicabantur his verbis: *Mandantes, fautores, consultores, adherentes vel alii quicumque prædictorum executionem procurantes, vel per seipos exequentes*. Responso fuit negativa: quia nonnisi generatim ipsi designabantur, nec ullus eorum erat nominatim denunciatus, neque ipse Napoleo I, contra quem principaliter excommunicatio lata erat (V. *Correspond. authent. de la Cour de Rome avec la France*, p. 129). Hæc tamen excommunicatio jam erat incursa, utpote jam lata in Bulla *Cœnæ*, et alibi; sed iterum fuit renovata ad terrorem, etc.

excommunicati. Si vero rogatur ab ipsis fidelibus, tunc haud peccat cum iis communicando; ex quo enim facta fuit fidelibus ab Ecclesia facultas communicandi cum excommunicato tolerato, indirecte indultum est etiam excommunicato, ut communicare valeat sine peccato cum iis, a quibus rogatur. Hoc omne etiam de suspenso et de interdicto tolerato valet; nam Constantiense in Constitutione *Ad evitanda* universe loquitur de quacumque censura¹.

90. Q. 2. Quinam sunt effectus excommunicationis majoris?

R. Octo sunt effectus majoris excommunicationis: 1. *privatio activa* usus Sacramentorum, id est privatio facultatis ea conficiendi et ministrandi; 2. *privatio passiva* ejusdem usus, id est privatio facultatis ea suscipiendi; 3. *privatio participationis* publicorum suffragiorum, et precum in Ecclesia communium; 4. *privatio* usus divinatorum Officiorum; 5. *privatio* communionis forensis et civilis; 6. *privatio* jurisdictionis; 7. *privatio* sepulturæ ecclesiasticæ; 8. *inhabilitas* ad obtinenda Beneficia, Officia Ecclesiastica et Rescripta².

N. 1. — *Privatio activa et passiva Sacramentorum.*

91. Q. 1. An excommunicatus valide atque licite Sacramenta conficiat et ministret?

R. Ad validam confectionem et administrationem quod attingit Sacramentorum, excommunicatus sive toleratus sive non, ea valide conficit et ministrat: nam ubi omnia ad Sacramentum necessaria concurrunt, nequit Ecclesia illud invalidare. Excipitur *Penitentia* pro excommunicato vitando; nam certum est a vitando invalide hoc Sacramentum admi-

¹ Idque non modo in humanis negotiis licet, quod omnes fatentur; sed etiam in divinis, ut fert opinio probabilior. Neque enim facultas fidelibus concessa distinguit; sed universim data fuit, uti notant Sanchez, Sotus, Salamancaenses, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 140.

² Si tot sunt excommunicationis effectus, certe illam irridere non possunt qui sunt ex animo catholici. Excommunicatio nullam utique directam corpori coactionem infert. Quid inde? animam ligat; quamquam et in hoc mundo censurarum contemptores non raro punit Deus.

nistrari, cum requiratur potestas non tantum Ordinis, sed etiam jurisdictionis, qua excommunicatus vitandus caret ex Ecclesiae præscripto, extra necessitatis casum, aut nisi error communis cum titulo colorato suppleat jurisdictionem.

92. Si vero quæatur, an excommunicatus etiam licite Sacramenta conficiat ac ministret, distinguendum inter toleratum et non toleratum.

1. Toleratus potest utique licite Sacramenta conficere, atque administrare, quotiescumque a fidelibus expostuletur. Imo docent complures eundem posse etiam probabiliter celebrare, tametsi non expostuletur, si dies festus occurrat, neque alius adsit Sacerdos qui Missam valeat pro populo celebrare; nam tunc juste præsumitur populus Missam petere ad implendum præceptum; — 2. non toleratus nequit ne rogatus quidem Sacramenta conficere aut ministrare; quia omnis cum fidelibus communicatio expresse interdicta est a jure. Excipe nisi in ea circumstantia constituatur, in qua non administrans grave sit passurus incommodum, v. g. jacturam bonorum; cum Ecclesiae præcepta non obligent cum gravi incommodo. Item potest Viaticum et Extremam unctionem ministrare infirmo, quando iste nequeat rite confiteri peccata ob infirmitatis suæ indolem, ideoque nec rite et complete Pœnitentiæ Sacramentum suscipere: quia forte illis potest omnino indigere. Sane proximus in extremis constitutus, omni quo potest modo, juvandus est¹.

93. *Quid (quæres) de illo, qui a vitando Sacramenta recipit?* — Qui a vitando Sacramenta scienter recipit sine necessitate, peccat graviter; cum transgrediatur præceptum grave, et ex jure incurrit etiam in excommunicationem minorem. Imo qui scienter suscipit Ordinem ab Episcopo vitando incurrit suspensionem ab illius exercitio².

¹ Hic autem notandum est, quod excommunicatus illicite Sacramenta ministrans incurrit irregularitatem sive sit vitandus sive non. Nam Martinus V declarat irregularem quemlibet constitutum in Sacris qui post excommunicationem præsumperit quasi in officio suo agere sicut prius. Quod vero pertinet ad Baptismum et Nuptiarum benedictionem, irregularitas non tenet, si privatim tantummodo hæc fiant; tunc enim non est proprie officium suum exercere. — *V. Liguori, Op. Mor., l. VII, n. 166.*

² *C. Cum illorum, § fin. de sent. excomm.*

94. Q. 2. *An excommunicatus possit Sacramenta suscipere?*

R. Si sermo sit de valida susceptione, certum est excommunicatum sive toleratum sive non toleratum valide omnia Sacramenta saltem quoad substantiam suscipere, excepto Sacramento Pœnitentiæ. Imo verius ne isto quidem excepto, si invincibiliter ignoret id sibi prohiberi nec cetera desint requisita in excommunicato; cum ex una parte non sit indispositus, quia ignorando prohibitionem ignorat etiam suam indispositionem: et ex altera nequeat Ecclesia directe inhabiles reddere ad Sacramenta eos, qui jure divino habiles sunt.

Si vero quæatur de licitate, dicimus cuilibet excommunicato sive vitando sive non, nefas esse Sacramenta suscipere, nisi eum excuset ignorantia invincibilis, vel metus gravis, qui non sit incussus in contemptum censuræ. Alioquin frustraretur Ecclesiae lex in re gravi.

95. *Quid si Minister Sacramentum conferat excommunicato?*

Si Minister scienter confert Sacramentum excommunicato vitando, peccat graviter; quia communicat in Divinis cum indigno, et incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiae, et excommunicationem minorem, imo aliquando etiam majorem¹. — Si vero Sacramentum scienter conferat excommunicato non vitando, peccabit quidem gravissime contra præceptum divinum, quod prohibet Sacramenta indignis ministrari, tanto magis si aliis id notum sit, cum tunc addatur etiam scandalum; non tamen peccabit vi censuræ, id est contra legem Ecclesiasticam; quia hæc probabilius non impedit communicationem cum excommunicato tolerato neque in Divinis². Hinc licet ministrare Sacramenta excommunicato, qui sit in bona fide, quia tunc non dantur indigno: vel si publice petat, et indignitas sit occulta, ne prodigatur ejus fama.

Quid (dices) si dubium sit, an quis absolutionem ab incurta censura jam sit consecutus, necne? — Sacramentum fas erit ei administrare si petat, maxime si ipse affirmet se fuisse ab-

¹ *V. infra de excomm. minori.* — ² *Extravagans Ad evitanda.*

solutum; quia non est præsumendus velle de novo delinquere. Ita Croix, Suarez, etc.

N. 2. — *Privatio Suffragiorum, Precum ac divinorum Officiorum.*

96. Q. 1. *An possint fieri suffragia pro excommunicatis?*

R. 1. Si sermo sit de precibus suffragiisque privatis, provenientes ex bonis operibus, quæ fideles proprio nomine et persona sua particulari peragunt (uti sunt jejunia, orationes et alia, quæ a privatis fidelibus, aut ab Ecclesiæ ministris, sed in persona privata fiunt), privatus quilibet potest pro excommunicatis etiam vitandis ea peragere; ideo orare et facere secreta suffragia etiam in Ecclesia et loco publico. Imo Sacerdos uti persona privata potest etiam pro iis actionem sacrificandi offerre ex sua propria privata intentione et nomine (et accipere ab iis stipendium ex Billuart); vel eorum in specie meminisse in *Memento*, ad hoc nempe ut Deus eos convertat. Ratio est quia excommunicati etiam vitandi privantur quidem communione Ecclesiæ hoc sensu quod Ecclesia sua bona non participet, nisi iis, qui sunt ejus membra; at non privantur communione charitatis, quippe quæ omnes etiam infideles amplectitur. Quare est quidem sub gravi vitatum publicam mentionem de illis habere intra sacra et publica mysteria, vel illis applicare merita Ecclesiæ, quatenus Ecclesiæ; non vero applicare opera charitatis.

R. 2. Si vero sermo sit de precibus ac suffragiis, quæ fidelibus proveniunt ex operibus nomine Ecclesiæ ab ejusdem ministro actis, uti sunt Missæ, exequiæ, Officia aliaque pia opera, quæ fiunt ab Ecclesiæ Ministris prout sunt tales, et in nomine Ecclesiæ (ad quæ etiam Indulgentiæ revocantur), tunc certum est hæc pia opera non posse applicari *excommunicatis vitandis*, uti constat ex variis juris capitibus¹, et Ecclesiæ usu. Hinc nullæ sunt preces, quæ pro talibus

¹ Cap. *Sacris, et a nobis de sent. excomm.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, i. VII, n. 162.

in persona Ecclesiæ intercedentis pro ipsis Deo offeruntur. Quod longe probabilius valet, etsi taliter excommunicati contriti sint et in gratia, nec per ipsos stet quominus absolvantur; nam vinculum ab Ecclesia positum, ab ipsa Ecclesia auferendum est, ut habeantur apud ipsam absoluti.

Tota quæstio est de *excommunicatis non vitandis*, an pro ipsis (præsertim si sint manifesti) possint offerri Sacrificia, fieri suffragia et communes in Ecclesia preces fundi ac Officia decantari? Alii probabiliter negant cum Bellarmino et Suarez; tum quia concessio facta a Concilio Constantiensi communicandi cum excommunicatis toleratis est tantum in favorem fidelium, non vero in levamen excommunicatorum. At hi multum sublevarentur, si liceret hoc modo pro iis orare; tum quia hæc communicatio est tantum concessa ad vitanda scandala, et pericula, et subveniendum timoratis: porro si ista suffragia fiant, nedum scandalum auferatur, augetur.

Sed alii non minus probabiliter cum Navarro, Palao, Coninchio, Hurtado et Diana docent licitum esse pro illis offerri Sacrificia, etc., etiam nomine Ecclesiæ; quia leges favorabiles cum omni amplitudine intelligendæ sunt: dum igitur fidelibus concessum fuit communicare cum toleratis, id concessum etiam fuit quoad divina Officia; ubi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Nec obstat, quod Concilium non intendat per hoc sublevare excommunicatos; quia id intelligendum de sublevatione directa; nam indirecte et ex consequenti, hoc ipso quo aliis conceditur facultas cum iis communicandi, aliqua utique sublevatio conceditur. Quod additur fore scandalosum, si publice pro tolerato excommunicato Sacrificium offeratur vel aliud simile, non semper verum est: imo sæpe potest magna turbatio timeri, si id omittatur uti esset ex Coninchio si in aliquibus locis in Sacrificio vel alia prece publica semper nominetur Princeps vel Episcopus, sed statim eorum nomina omnes omilterent, postquam illi aliquod fecissent prohibitum sub excommunicatione majori latæ sententiæ¹ (J).

¹ Ceterum si revera offendantur fideles, id non liceret; sed scandalum esset prius amovendum: quo remoto, aiunt, Parochum v. g. posse, si aliter gravissima timeat incommoda ac turbationes, excommunicatis toleratis fu-

97. Q. 2. *An excommunicatus possit divinis Officiis interesse?*

R. Per Officia divina hic intelliguntur: Missa, publicæ processiones, Horæ solemniter decantatæ, solemnis benedictio, consecratio chrisimatis, et similes cæremoniæ, quæ fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiæ; aut quæ propriæ sunt Ordinis clericalis, ut cantus Epistolæ vel Evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica, etc. Hoc posito:

Dicimus: excommunicatus prohibetur sub mortali his interesse: quia censura privat eorundem usu, nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandali. Unde excommunicatus si Sacrum faciat, et excommunicationis recordetur, tenetur illico ipsam Missam interrumpere, nisi jam consecraverit; quia tunc debet continuare Sacrificium, ne illud faciat mutilum. Duæ tamen ponuntur exceptiones.

1. *Excipitur auditio concionis*; nam eam excommunicatus potest audire, cum in hoc nulla sit communicatio proprie dicta. Sed non potest per se eam peragere, nisi sit toleratus et ab aliis requiratur, vel ad hoc per se obligetur ex officio; quia tunc requiri præsumitur.

2. *Usus excipitur Sacramentalium*; nam ista licet summam venerationem mereantur, inter officia divina non recensentur. Unde excommunicato non prohibetur eorum usus, non quidem ut participet fructuum, quem producunt ex benedictione Ecclesiæ; sed tantum ut ea veneretur¹. Ita potest uti imaginibus, Reliquiis, aqua benedicta et aliis rebus

nebres honores concedere, Sacrificia offerre, etc., in tali necessitate passive se habendo, seu patiendõ actionem. Quod enim iis debeant suffragia negari, non est de jure divino, quod tantum vetat Sacramenta ipsis ministrari, ne Sanctum detur canibus; neque de jure naturali, cum orationes publicas agere per se bonum sit (modo tamen si agatur de suffragando defuncto, non constat ipsum esse mortuum impenitentem). Nam per suffragia honor Deo exhibetur, et sic non prosunt defuncto, cedunt directe in commodum fidelium tum spirituale ob meritum charitatis, tum temporale ob stipendia, etc., quæ hi percipere possunt ex oblationibus pro ipso oblatis. Unde prohibitio esset tantum ab Ecclesia: porro hæc vel id non prohibet, vel si prohibet generatim, talis prohibitio in præsentî gravissimæ necessitatis casu cessat, cum lex humana non obliget cum gravi incommodo.

¹ Imo neque eidem prohibetur Ecclesiæ ingressus ad orandum private, quando divina Officia non celebrantur. Poterit etiam ingredi cum recitan-

sacris, ut eas honorando, gratias quibus indiget, obtineat. Hinc versus:

*Missa, preces, Horæ, processio publica, quidquid
Clerus agit solenne. Sacramentalia, Verbum
Excipe; namque illis uti, hoc audire licebit.*

98. Q. 3. *An obligatus ad Horas per excommunicationem liberetur?*

R. Negative; nam *nemo debet reportare commodum a propria iniquitate*. Eas tamen recitando non debet dicere: *Dominus vobiscum, sed Domine, exaudi orationem meam*; quia illa formula importat quamdam salutationem ad populum: secus venialiter peccaret. Sunt tamen qui censent, eum omnino non peccare etiam illam salutationem usurpando, si solus recitet; quia tunc est tantum privata oratio pro aliis. — Imo Horas privatim recitare cum aliis non videtur, nisi veniale pro ipso vitando. Quia licet iste prohibeatur cum aliis communicare etiam in oratione privata; attamen, secluso scandali periculo et Ecclesiæ contemptu, non censetur materia gravis socium sibi sumere ad recitandum privatim Officium divinum vel Rosarium vel preces hujusmodi¹.

99. Q. 4. *An possit Sacerdos Sacra peragere, et fideles Sacris interesse una cum excommunicato?*

R. Affirmative, si excommunicatus sit toleratus; quia tunc ipsis permittitur cum tali excommunicato communicare. Si vero excommunicatus sit vitandus, hoc nefas est ob rationem contrariam: hinc qui assistit eidem Missæ, quam audit talis excommunicatus, incurrit minorem excommunicationem, et probabilius peccat mortaliter; quia audientes simul conveniunt in una oblatione.

Sed (dices) quid agendum erit, si adsit talis excommunicatus vitandus in templo? — Si monitus non velit egredi, tenentur Clerici eum (etsi Sacerdotio insignitum), expellere si possunt; sine percussione tamen et scandalo. Si non pos-

tur Officia divina, dummodo id fiat justa de causa, quæ communionem in Divinis minime importet cum fidelibus, v. g., ut satellitum manus effugiat.

¹ Diximus *pro vitando*; nam si agatur de non vitando, ex dictis, nullo modo peccat, si iste recitet cum alio, a quo sit requisitus. — *V. Liguori, Op. Mor., l. VII, n. 173.*

sunt, Divina Officia cessabunt: videlicet Sacerdos, si Missam celebrat, abrumpat extemplo, Canone nondum inchoato. Si Canonem inchoaverit, poterit (ceteris abeuntibus) Sacrum perficere, vel in aliorum sententia æque probabili illud adhuc abrumpere. Si vero jam consecraverit, solo manente Ministro, pergat usque ad Communionem inclusive; alia perficiat in Sacratio vel alio loco decenti, quia integritas Sacrificii est de jure Divino, ideo anteponenda juri ecclesiastico.

Excommunicatus nolens ad Sacerdotis monitionem ab Ecclesia egredi incurrit excommunicationem Papæ reservatam. Idem dicendum de interdictis denunciatis, et de iis qui impediunt, quominus illi egrediantur.

N. 5. — *Privatio communionis forensis atque civilis; jurisdictionis et sepulturæ Ecclesiasticæ.*

100. Q. 1. *Quid de privatione communionis forensis et civilis?*

R. Privatio communionis forensis in eo consistit, quod excommunicatus privetur omni actu ad iudicium pertinente in foro sive civili sive ecclesiastico, adeo ut nequeat esse iudex, scriba, testis, notarius, advocatus, procurator; atque reo convento facultas semper erit in iudicio eum repellendi, etiamsi non sit vitandus. Imo iudex, si sit excommunicatus vitandus, privatur etiam jurisdictione, et idcirco ejus sententia prorsus erit invalida. Insuper excommunicatus nequit esse neque tutor, curator, neque executor testamentarius (si repellatur a parte cujus interest), neque licite inire contractus, neque licite testari etsi valide¹.

Privatio communionis civilis importat prohibitionem communicandi cum fidelibus etiam in civilibus, ita ut nec ipse excommunicatus cum aliis; imo si sit vitandus, nec alii cum ipso communicare valeant in civilibus, per modum sive commercii sive societatis sive conversationis, adeo ut aliter incur-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 184. Hæc amplius non admittuntur pluribus in locis.

rant minorem excommunicationem, nisi urgeat necessitas cum tali vitando communicandi¹.

101. Q. 2. *Quid dicendum de privatione jurisdictionis, et sepulturæ ecclesiasticæ?*

R. ad 1: Excommunicatus vitandus pro foro tam interno, quam externo privatur usu jurisdictionis, si quam antea habebat. Unde valide nequit eligere neque præsentare ad Beneficium, tanto minus illud conferre, neque leges condere, aut sententias dare: quæ si ipse perageret, nulla prorsus essent. Diximus excommunicatus *vitandus*; quia si talis non esset, peccaret quidem graviter, si in re gravi jurisdictionem exerceret absque necessitate; sed valide ageret, cum nullibi id invalidetur.

R. ad 2: Excommunicatus vitandus privatur a jure sepultura Ecclesiastica, ita ut nequeat in loco sacro ejus cadaver tumulari: et si contrarium fiat, erui debeat (si adhuc possit), et locus sacer reconciliari: excipe nisi decessisset cum signis pœnitentiæ, quo in casu absolvendus est, si pro eo veniam petant hæredes². Qui scienter sepelire præsumunt excommunicatum vitandum, incurrunt ipso facto majorem excommunicationem: per *sepelientes* autem non intelliguntur qui funus associantur, aut canunt preces, aut deferunt Crucem, luminaria, sepulcrum effodiunt, cadaver deferunt, etsi graviter peccent; sed qui de facto sepeliunt. An autem intelligantur etiam procurantes sepeliri, qui scilicet auctoritate, suasionem aut pecunia in causa sunt cur excommunicatus vitandus in loco sacro sepeliatur, alii probabiliter affirmant cum Suarez: quis enim magis reus est, quam qui impellit ad violandas Ecclesiæ leges? Alii item probabiliter negant cum Cajetano; quia omnis pœna est strictæ interpretationis, ut non sit extendenda ultra casum expressum.

102. Diximus autem *vitandus*; non vitandus enim licite sepelitur in loco sacro, si cum pœnitentiæ signis e vita mi-

¹ V. infra de *minori excommunicatione*.

² *Clement. I de sepult.*— V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 186 et seq. Si sit impossibile, ut excommunicati vitandi eruantur, uti maxime evenit tempore belli, in quo tot confuse sepeliuntur, satis est ut totum cæmeterium postea reconcilietur.

graverit: unde si ei sit deneganda sepultura, non jam esset ratione censuræ, sed potius publicæ indignitatis; etenim post *Extravagans Martini V*, vitandus non est nisi qui sit publice denuntiatus, aut publicus Clerici percussor. Ergo ceteri excommunicati sepultura per se non privantur; nam *quibus vivis communicamus, mortuis communicare possumus*. Ita probabilis Navarrus, Layman contra Avila et Engel (K).

N. 4. — *Inhabilitas quoad Beneficia, Dignitates, Pensiones et Rescripta.*

103. Q. 1. *Quid de inhabilitate ad Beneficia, Officia ac Rescripta?*

R. Ad 1: Ad Beneficia quod attinet, dicimus excommunicatum etiam *non vitandum fieri prorsus inhabilem ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda*; ita expresse in jure¹. — Diximus 1. *etiam non vitandum*; nam etiamsi aliis concessum sit cum isto communicare, ipse tamen de se semper est incapax; non enim per se potest sua officia beneficio adnexa præstare, cum debeat unaquaque vice expectare ut aliquis ea petat. Exciperem casum quo officia revera essent præstanda in commodum conferentium beneficium; nam eo ipso quod conferunt, censentur postulare ab electo officia beneficio ipsi inhærentia². Diximus 2. *fieri prorsus inhabilem*:

¹ C. *Postulastis*, de Cler. excomm. min. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 479, 480.

² Extra hunc casum omnis Beneficii collatio, electio, præsentatio et institutio facta *in favorem ejus, qui actu excommunicatione majori illaqueatur*, nulla est et invalida. Imo conferentes ipsi graviter peccant, et præter excommunicationem minorem incurrunt etiam in suspensionem a collatione, nisi sit ipse summus Pontifex, qui scienter Beneficium conferat excommunicato; vel in ejus concessionem adsit clausula absolutionis a censura ad effectus valide consequendos: adhuc tamen excepta excommunicatione lata ob hæresim; quæ quidem non comprehenditur sub generali absolutione. — Addimus: *In favorem ejus, qui actu excommunicatione majori illaqueatur*; quia si ante illatam censuram facta fuerit præsentatio et electio, valida tunc est, et valida erit etiam Beneficii acceptatio et possessio, etiamsi tempore illius acceptationis et possessionis excommunicatio existat: quia

unde communius docent, id quoque locum habere in illo, qui invincibiliter hic et nunc ignorat se esse excommunicatum; quia ignorantia tollit culpam, non inhabilitatem, nisi collatio fiat a superiore cum absolutione *ad cautelam*, ut solet fieri. Diximus 5. *ad Beneficia ecclesiastica obtinenda*; jam enim obtentis beneficiis non privat excommunicatio, nisi in casu hæresis.

R. Ad 2: Quod dictum est de Beneficiis, idem communiter dicunt de collatione et receptione dignitatum, quibus inhæreat jurisdictio, ut sunt prioratus, guardianatus, episcopatus, etc. Idem est de pensione clerici, quæ datur in titulum beneficii ob ministerium ecclesiasticum: et de pensione ecclesiastica licet temporali, quæ datur ob officium ecclesiasticum, prout Vicario Episcopi, etc.

Excommunicatus sive vitandus sive non, fit etiam ineptus ab obtinenda quæcumque Rescripta tam gratiæ quam justitiæ, ita ut quidquid fuerit impetratum, ipso jure nullum extet atque invalidum⁴.

104. *Quomodo (quæres) se gerere debet excommunicatus circa fructus sui Beneficii? Vel ipse excommunicatus fuit ante Beneficii receptionem, vel post. Si 1, non potest suos*

tam acceptatio, quam possessio sunt actus privati, non vero actus jurisdictionis. *Quid si ex adverso quis esset excommunicatus tempore præsentationis, et tempore acceptationis sit absolutus?* — Distinguere oportet: si non constat quod collator sciens et volens perseverat in prima sua voluntate, nova collatio requiritur; nam possidet nullitas. Si constet, probabile existimant Salmanticenses eandem minime requiri; censetur enim virtualiter de novo ipsa representatio fieri.

⁴ Ex cap. *Dilectus* xxvi de rescript. Hinc in Apostolicis Litteris, in quibus confertur aliqua gratia, præmitti solet absolutio a censuris: quæ quidem est tantum ad effectum gratiam illam specialem consequendi: unde non est vera absolutio, sed potius dispensatio, qua conceditur, ut non obstante censura, quæ quoad alios suos effectus adhuc subsistit, possit quis frui hac vel illa gratia, cujus aliunde incapax foret utpote censuratus. Hujus rei recens exemplum habemus in Brevi *Quamquam* Pii IX dato die 6 sept. 1855, pro reductione festorum in Pedemontano Regno, ubi legitur: *Itaque omnes et singulas personas, quibus hæ Litteræ favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, quovis modo vel quavis de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, etc.*

facere fructus perceptos tempore excommunicationis, etiamsi pœtea absolvatur et rite Beneficium obtineat; quia nec valide nec licite illud obtinebat. At si pro illo tempore vel per se vel per alium oneribus satisfacit, tunc beneficio rite obtento, potest fructus omnes retinere, si vigeat usus ut fructus beneficii vacantis cedant successori. Qui si non sit talis usus, tunc si ille bona fide beneficium recepit et servitium præstiterit, poterit tantum fructus retinere qui servitio præstito correspondeant, ut recte dicunt; nam dignus est operarius mercede sua. — Si 2, debet quidem fructus Beneficii restituere, quia est privatus officio, fructus autem dantur propter officium, veluti merces propter opus; sed non ante sententiam iudicis, casu quo vel per se vel per alium onera impleverit; nam nimis dura est pœna, qua quis debeat sponte sua se expoliare mercede pro jam præstito servitio.

Hinc commune est, ut pœnæ requirentes actionem ex parte delinquentis indigeant semper sententia iudicis, saltem declaratoria¹.

105. Q. 2. *An excommunicatus teneatur curare absolutionem ad implendum præceptum Missæ, Confessionis et Communionis?*

R. Quoad Missam negant communiter, excommunicatum teneri obstaculum abmovere, ut eam audiat, nisi agatur de impedimento levi: quia nemo tenetur ad impedimenta extraordinaria auferenda, ut se habilem reddat ad præceptum Ecclesiasticum adimplendum, cum non obliget eum incommodo gravi. — Secus dicunt quoad Confessionem et Communionem; cum radicaliter sit unum ex præceptis divinis; nam præcepta divina magis urgent, quam humana, minusque humanam patiuntur interpretationem.

Ceterum qui per annum animo pertinaci et cum potestatis contemptu perseverat in eadem excommunicatione, sive ut jura loquuntur, *insordescit*, fit suspectus de hæresi²; et con-

¹ Hac declaratione data, tenetur restituere, nisi sibi jam fructus applicasset ut vere pauperi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 183; et l. III, n. 670; et l. I, 148.

² Tridentinum, sess. xxv, c. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 457.

tra eum uti talem procedi potest. Quod explicant Auctores etiam de aliis censuris.

§ II. — De excommunicatione majori in particulari.

106. Jure Ecclesiastico universali multæ habentur excommunicationes late sententiæ, quarum aliæ nemini; aliæ Episcopo, aliæ Pontifici reservantur, ut videre est penes S. Alphonsum¹. Nobis principales adnotare satis erit, præter eas, quas notabimus in Tractatu *De Pœnitentia*, ubi de casibus reservatis.

N. 1. — Excommunicationes nemini reservatæ.

1. In extorquentem absolutionem a censuris (c. unic. *de iis quæ vi* in 6); — 2. in contrahentes intra gradus prohibitos consanguinitatis aut affinitatis, vel cum monialibus (*Clem. unic. de consang.*); — 3. in occupantes bona Ecclesiæ vacantis (c. *generali de elect.* in 6); — 4. in mandantes occasionem Christifidelis per assassinos (cap. 1 *de homic.*); — 5. in Clericos dignitate præditos, necnon in Sacerdotes sine licentia docentes legem vel medicinam (c. *fin. ne Cler. vel Monachi*). Item in Sacerdotes præfecturas laicales suscipientes (c. *Clerici eodem*). Item in Clericos alienantes vel locantes ultra triennium bona Ecclesiæ (*Extr. Ambitiosæ de rebus Eccl. non alienandis*); — 6. in fide renuntiantes aut commutantes beneficia (*Pius V*); — 7. in raptos mulierum, et cooperantes (*Tridentinum, Sess. 24, c. 9*); — 8. in docentes non esse necessariam Confessionem ante Eucharistiam in casu peccati (*Tridentinum, Sess. 15, can. 11*); — 9. in ingredientes monasteria Monialium sine licentia in scriptis (*Tridentinum, Sess. 25, c. 5 de Reg.*). Item in impediens sine justa causa sanctam voluntatem mulierum accipiendi velum, vel emittendi votum. Item in cogentes (idem de cooperantibus) quamcumque mulierem invitam, præterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum Religionis, vel ad emittendam professionem (*Tridentinum, Sess. 24, c. 9; et Sess. 25, c. 18*).

N. 2. — Excommunicationes Episcopo reservatæ.

1. In eum, qui leviter percutit Clericum (c. *Percutit de sent. excomm.*); — 2. in eos, qui procurant abortum fetus animati effectu

¹ *Op. Mor.*, l. VII, nn. 208 et seq.; et *Homo Apos.t.*, tract. XIX, nn. 28 et seq.

secuto (Bulla *Sedes Apostolica* Gregorii XIV 31 maii 1591); — 3. in eos, qui communicant in crimine criminoso cum excommunicatis ab Episcopo id est in crimine, propter quod aliquis fuit excommunicatus (c. *Nuper* 29, et duobus 55 de sent. excomm.); — 4. in eos, contra quos Episcopus tulit talem sibi reservatam censuram, uti patet. Item in eos, qui in mortis periculo a non habente facultatem absoluti a censura Episcopo reservata non se eidem presentaverint, si postea convalescerint (c. *Eos qui de sent. excomm.* in 6); — 5. in incidentes in casus papales publicos, si perpetuo impediuntur Romam adire pro absolute, uti infirmi, senes, mulieres (c. *de cetero de sent. excomm.*).

Item in incidentes in casus papales occultos, qui sint extra Bullam *Cænæ*. Ex Tridentino enim (sess. 24, cap. 6 de Ref.): *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diocesi sua per se ipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolvere, imposita penitentia salutari. Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientie eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum*¹.

N. 5. — *Excommunicationes Pontifici reservatæ.*

Contra Clericos ac Religiosos: — 1. in concionantes de tempore iudicii novissimi contra sensum sanctorum Patrum (*Extr. Viam de r.* in 6); — 2. in obtinentes a Papa Ecclesias parochiales cum iuramento inserendi personaliter infra certum tempus, sed postea iuramentum non implentes. Ita Pius V Bulla *Inter multiplices* (sed observat Bonacina, quod hoc obsolevit, quia huiusmodi iuramentum non solet nunc Parochis deferri); — 3. in Moniales exeuntes claustra sine licentia obtenta (Pius V); — 4. in Religiosos, qui sine licentia Viaticum vel Extremam Unctionem ministrare vel Matrimonium solemnizare præsumunt (*Clem. 1 de priv.*); — 5. in Confessarios absolventes complicem peccati turpis (*Benedictus XIV*).

*Contra omnes in generali*²: — 1. in hæreticos, eorumque fau-

¹ Ubi viget Concilium Provinciale Romanum sub Benedicto XIII celebratum, est lata excommunicatio Episcopo reservata in medicos, qui post triannam infirmi visitationem a cura infirmi non absteineant, usque dum ipse Penitentiam susceperit (lit. XXIII, c. 1).

² Diximus omnes; igitur et quacumque fulgenti dignitate præditos; ubi

tores. — In scienter retinentes, legentes, imprimentes et defendentes libros hæreticorum de Religione tractantes vel hæresim continentes. — In schismaticos et apostatas. — In surripientes bona christianorum naufragantium. — In falsificatores Litterarum Apostolicarum. — In vexantes Romipetas devotionis causa, aut alios pietatis causa peregrinos. — In piratas in mari Pontificio, eorumque fautores. — In usurpantes jurisdictionem Beneficiorum (Bulla *Cænæ*); — 2. in incendiarios ab homine excommunicatos et denunciatos (c. *Tua nos de sent. excomm.*); — 3. in communicantes in crimine cum excommunicato a Papa (c. *Nuper eod.*); — 4. in vexantes censurantes (c. *Quicumq. de sent. excomm.* in 6); — 5. in violantes interdictum Papale (*Extr. Etsi de pœn.*). Item in violantes interdictum, modis prohibitis (*Clem. Gravis de sent. exc.*); — 6. in simoniacos confidentiales (Pius V et Pius VI); — 7. in docentes aut sustinentes propositiones damnatas (*Decr. S. Congr.*); — 8. in perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ (c. *Quærenti de off. del.*); — 9. in ingredienti septa monasteriorum Monialium prætextu licentiarum (Gregorius XIII). Item in violantes clausuram Monialium aut Religiosorum ad malum finem, nempe libidinosum (*Decr. S. C. jussu Clementis XIII*). Item in fœminas ingredienti clausuram Religiosorum (Benedictus XIV). Item in dantes vel accipientes aliquid grave ex pacto ob admissionem in Religionem (*Extrav. Com. 1 de Simonia*); — 10. in defendentes praxim interrogandi nomen complicitis in Sacramentali Confessione (Benedictus XIV); — 11. in absolutos ab excommunicatione sub conditione, si eam postea non adimpleat (c. *eos qui, etc.*); — 12. in impediennes executionem Litterarum S. Penitentiarie (Julius III); — 13. in laicos collectores elemosynarum pro Missis, si minora quam acceperint, stipendia tribuant (Benedictus XIV); — 14. in adscriptos sectis occultis et clandestinis: in eorum fautores:

enim lex non excipit, nullus excluditur. Hinc Clemens XIII et Bullam *Cænæ* et ceteras Constitutiones ac Conciliorum statuta renovans Bulla *Pastoralis R. Pontificis*, anno 1759, omnes includit, et addit: *Nullus per alium, quam per R. Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus (nec etiam tunc nisi de stando Ecclesiæ mandatis et satisfaciendo cautione præstita) absolvi possit, etiam prætextu cuiusvis facultatis et indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis... necnon laicis etiam imperiali, regali et alia mundana excellentia fulgentibus... concessorum, etc.* Et Pius VII cum Napoleonem I excommunicavit (ut quoad posset gravissimam penam temperaret, nec illum vitandum faceret), ipsum non nominavit expresse. — V. *De immunitate Ecclesiast.* Taurini, 1850. — Bonacina, in Bulla *Cænæ*, disp. 1, q. 4.

item in eos non denuntiantes (*Leo XII, ceterique dein Pontifices*);—
15. in percussores Clericorum, de quibus sit:

COROLLARIUM. — *De Clericorum percussione.*

107. In Lateranensi II (anno 1159) contra Clericorum percussores hic latus est Canon: *Si quis, suadente diabolo, hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subiaceat, et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo), donec Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.* En privilegium canonis.

Præter ipsos percussores (cujuscunque sexus, conditionis et status, licet impuberes, modo rationis compotes et doli capaces, item licet Clerici¹) ex jure excommunicationem incurrunt²:

1. Quicumque percussione efficaciter mandant, consulunt, vel in illam consentiunt, quando per mandatum, consilium, consensum graviter et efficaciter influant in percussione quæ de facto contigerit. Excipe (in probabiliori saltem sententia), nisi ante executionem mandatum, consilium, consensum revocaverint, prout magis potuerint, percussione impediendo; quia tunc non adest contumacia³.

2. Qui ratam habent percussione ipsam: sed si hæc tria concurrunt: a. si percussio facta sit ab alio quidem, sed sub nomine et in favorem ipsius, qui id postea ratum habeat: b. si rati habitio patefiat aliis externe; c. si rati habitio actu, quo percussio contingit, aptus fuerit ipsi mandato vel consilio saltem habitualiter; nam si fuerit amens, non incurrit censuram; secus si ebrius vel dormiens⁴.

¹ « An autem sit excommunicatus Clericus, qui seipsum percussit ira percussus, affirmant Layman, Navarrus, Suarez. Sed probabiliter negant Castropalaus, Toletus, Barbosa, Croix, Tournely, etc.; quia revera Canon videtur loqui tantum de diversa persona, quæ Clericum lædit. » V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 264; *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 51. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Excommunicatio, art. 10.

² C. *Pueris* de sent. excomm. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 271

³ C. *Quantæ*; et c. *Mulieres* de sent. excomm.

⁴ C. *Cum quis* de sent. excomm.

5. Qui percussione non impediunt; si ex justitia vel officio impedire tenentur, ut Principes, Prælati, judices, tutores, domini: nam qui tenentur tantum ex charitate, non censentur efficaciter influere¹.

108. Q. 1. *Quinam huc veniunt nomine Clerici vel Monachi?*

R. Ad 1: Nominem *Clerici* venit omnis Clericus prima saltem tonsura initiatus, licet excommunicatus, suspensus, interdictus: dummodo deferat habitum et alicui Ecclesiæ inserviat². Quod si habitum dimiserit neque post tres Prælati sui monitiones eundem resumpserit, privabitur privilegio Canonis³. Item privatur etiam realiter degradatus.

R. Ad 2: Nominem *Monachi* intelligitur quilibet Religiosus utriusque sexus sive professus sive non, etiam conversus et novitius. — Item omnes vitam agentes in communi sub Prælato ex Pontificis auctoritate saltem tacita, quamvis eorum Religio nondum sit approbata. — Veniunt denique Hæremite, qui voto aut pacto sese addicunt servitio alicujus loci sacri, sub Episcopi tamen obedientia et approbatione. Non tamen vagi illi, quos interdum videmus habitu singulari indutos huc illuc discurrentes ad eleemosynas colligendas, licet de Episcopi licentia alicui Ecclesiæ inserviant. Ex decisione Rotæ Romanæ.

Q. 2. *Quid significant ea verba: Suadente diabolo?*

R. Significant ad excommunicationem requiri, ut percussio sit mortaliter peccaminosa. Hinc a censura ista communiter eximitur: 1. qui Clericum percussione non peccat graviter ex defectu advertentiæ aut consensus ob subitam iram. Imo jure excusatur qui Clericum turpiter agentem cum

¹ C. *Quantæ*, XLVII, de sent. excomm.

² V. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., vº Eremita. Ex Continuatore Tournely immunis est a censura qui in mortuum Clericum deservit, quia is non est vere Clericus percussor, sed Clericus cadaveris. Contrarium vero docet Alasia cum Felino, quia hæc percussio est adhuc injuriosa statui Clericali, ob quam rationem hic canon latus est: et sunt qui citant declarationem S. C. Concilii.

³ Attamen non perdunt privilegium qui habitum clericalem non gestant, quia impediti, uti in Anglia; modo qui percussit, sciat illos Clericos esse; per ipsos enim non stat, si clericalem habitum non deferant.

sua matre filia, sorore aut uxore occidit; 2. qui percussit jocosè vel casualiter, quamvis percussio sit gravis et sanguis effundatur e naribus, et quamvis cum aliqua etiam ira conjuncta sit, quæ tamen non pertingat ad peccatum mortale; 3. qui percussit ad defensionem sui aut suorum, vel etiam ad defensionem propriorum temporalium honorum; 4. qui auctoritate positur in Clericum, uti Prælati, magister, pater; et etiam frater ætate major qui curam in Clericum exerceat, modo percussit moderate atque ad correptionem¹.

109. Q. 3. *Quid indicant verba*: Violentas manus injecerit?

R. Significantur requiri, ut percussio sit violenta, sive fiat manibus, sive pedibus, sive baculo, sive alio quocumque modo, quæ tamen revera cadat in personam, vel in rem ipsi personæ adhærentem. Hinc qui lapidem injicit in Clericum quin eum tangat, non incurrit censuram; quia deest complementum, seu realitas percussiois. Censetur autem percussio de se violenta, ac sufficiens ad censuram incurrendam, si sit graviter injuriosa ratione reverentiæ Clerico exhibendæ, etsi in se levis, et tactum physicum levissimum complectatur; nam hic interpretatio fieri debet late, utpote favorabilis cœtui Ecclesiastico.

Quare docent incurrere hanc censuram eos omnes: 1. qui vel expuant in faciem Clerici vel eundem luto contaminant, vel aqua per contemptum perfundant; 2. qui Clericum in carcerem vel in locum carceri similem conjiciant; 3. qui eum insequantur, ut in foveam cadat, vel ut ab equo excutatur; 4. fur qui rebus Clerico adhærentibus vim inferret, puta

¹ « Dicunt Bonacina, Filliucius, Layman, Molina, Salmanticenses, et Castropalaus censuram non incurrere pueros tonsuratos aut in minoribus, qui se invicem pugnis percussant, licet sanguis e naribus emanet; quia tales percussiones non reputantur graviter injuriosæ, cum proveniant primum ex levitate jocosæ. Et hoc, addit Sotus, tenent, etsi percussio sit gravis; sed hoc intelligendum modo non fuerit deliberata... Rationabiliter vero Suarez, Sayrius, Sylvius, Salmanticenses, etc., excusant mulierem quæ percussit Clericum qui eam sollicitat, cum illa non potest alia via se liberare, etiamsi ille eam tentasset solis pravis verbis: intellige quando mulier pro tali sollicitatione est in periculo labendi. » — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 52.

vestes, quas indutas habet, lacerando, aliquid quod in manibus habet, injuriosè rapiendo; nam persona ipsa læditur. Non autem incurreret hanc censuram qui actu subdulo aufert aliquid a Clerico, v. g., marsupium cingulumque quo ipse cingitur, etsi interveniat præcisio; vel qui vestes a Clerico dormienti surripit aut lacerat; vel qui Clericum metu cogit, ut a certo loco exeat, modo metus incutiatur solum per verba, aut actiones quæ personam ipsam non attingant; nam tunc est fraudulenta, non violenta manuum injectio.

110. *Quid si Clericus in suimet percussione, vel actionem injuriosam assentiatur?* Percussus adhuc incurrit excommunicationem; neque huic privilegio cedere potest Clericus, cum sit in favorem totius Ordinis. At consentiens excommunicationem ferendæ sententiæ meretur ex jure¹.

111. *Quid (quæres) de illo, qui Clerico venenum præbet?* Croix cum Beja et Sperelli ait, venenum Clerico præbentem excommunicationem statim incurrere; quia venenum de se est aptum statim lædere. Verum communior opinio, quæ nobis probabilior videtur, docet eam non incurri, nisi actu quo venenum lædere inceperit. Nam ad censuram incurrendam requiritur effectus secutus, nempe violentia illata: atqui antequam venenum lædere inceperit, nulla adest effectiva violentia, sed tantum actio apta ad violentiam. Ita Diana et Viva cum Squillante et Rencio.

112. Q. 4. *Quotplex distinguitur percussio Clericorum?*

R. Triplex communiter distinguitur: enormis, mediocris et levis. *Enormis* est, cum magna intervenit vulneratio; vel magna sanguinis effusio, aliunde tamen quam a naribus; vel magna injuria. *Mediocris* est cum fit carnis contusio, qua sanguinis quidem copia effundatur, sed absque gravi læsione vel injuria, ut si extrahatur dens vel capillorum copia evellatur. *Levis* tandem (non quidem in se, quæ nempe importet tantummodo peccatum veniale, cum ad incurrendam excommunicationem requiratur culpa gravis; sed relate ad mediocrem et enormem) dicitur eâ, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, lapide, dummodo neque maculam ullam importet, neque carni contusionem relinquat, neque sanguinis effusionem producat.

¹ Ex c. *Contingit*, de sent. excomm. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. VII, n. 264.

Levis percussio potest gravis fieri ratione circumstantiarum: ac 1. ratione personæ læsæ, v. g., si sit Episcopus, Prælati, Judex vel alius in dignitate constitutus; vel personæ lædentis, v. g., si officialis laicus auctoritative percussit Clericum; vel personæ, coram qua percussio contingit, v. g., si coram Prælato; 2. ratione gravis scandali, vel loci et temporis, v. g., si percussio fiat in Ecclesia, vel tempore functionum sacrarum; 3. injuriæ in se valde gravis, v. g., si quis Clerici vultum stercore scædaret. In dubio percussio est judicanda gravis ex ipso jure, ne occasio præbeatur lædendi status Ecclesiasticum.

113. Q. 5. *Quid requiritur, ut Clericorum percussores sint vitandi?*

R. Ex variis juris capitibus et qui Clericum percussit et qui in percussione Clerici efficaciter influunt, omnes ipso facto excommunicantur. Attamen ex Constitutione *Ad vitanda* solummodo ipsi percussores vitandi sunt: et quidem eo tantum in casu, quo eorum crimen sit notum non solum notorietate juris, sed etiam notorietate facti; et insuper eo in casu, quo factum non possit ulla tergiversatione celari. Ex quo deducitur:

1. Neminem teneri vitare ac fugere illum Clerici percussorem, qui sibi quidem est notus ut talis, aliis tamen est occultus. Nam ut crimen sit notorium notorietate facti, requiritur, ut notum sit *vel* majori parti communitatis, *vel* magno personarum numero, *vel* saltem ut credatur in earum notitiam quamcito esse venturum.

2. Neminem regulariter teneri vitare Clerici percussorem, qui nondum judicialiter sit uti talis vel per sui confessionem aut testium, vel per sententiam denunciatus. Etenim ad inducendam obligationem vitandi percussorem illum requiritur, ut constet non solum de facto publice notorio, sed etiam de censura ob factum illud illata. At reus usquedum non fuerit in judicio confessus, declaratus, vel condemnatus, fere semper potest aliquo suffragio excusari, v. g., dicendo se id egisse ad defensionem sui, vel suorum. Quare pro praxi, nisi saltem constet facto, quod percussor advertenter voluerit

censuram incurrere, probabiliter nunquam est vitandus¹.

114. Q. 6. *Quinam potest absolvere ab hac excommunicatione?*

R. Vel agitur de percussione levi, vel de mediocri, aut de enormi. Si agitur de percussione *levi*, quamvis ea sit publica, ab illa absolvere possunt Episcopi, uti dicunt communiter². Et cum Episcopis competat hæc potestas de jure ordinario, eam habent etiam eorum Vicarii generales; quia unum cum ipsis tribunal faciunt. Si agitur vero de *mediocri* et *enormi* percussione, tunc si illa non est publica, eadem inest facultas Episcopis³: si est publica, nemo generatim potest absolvere, nisi Papa aut Legatus a latere⁴, aut Legatus missus⁵.

Diximus *generatim*, quia jure excipiuntur: 1. mulieres et impuberes, etsi post pubertatem petant absolutionem⁶; 2. collegialiter viventes, si percussio non sit enormis⁷; 3. alii impediti adire Romam: qui omnes ab Episcopo absolvi possunt⁸. — Pro absolutione ab hac censura recurritur ad S. Pœnitentiarum, ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV.

SCHOLIUM. — *De Monitoriis.*

115. Q. *Quid est monitorium, et quid de illo?*

R. Monitorium seu publicum edictum, est *mandatum Ecclesiæ seu Judicis ecclesiastici*, quo sub *excommunicatione præcipitur manifestatio auctorum criminis gravis Reipublicæ, vel privato perniciosi*⁹. Obligat sub gravi, cum res gravis sit; et si delictum vergat in damnum commune etsi occultum, est revelandum, nisi adesset firmissima emendationis spes delinquentem corrigendo. Quod si vergat solummodo in damnum tertii, tunc tantum est revelandum, cum crimem probari potest. Si tandem non vergat in ullius damnum, ne-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 144; et dicenda, t. III, Append. *Casus*.

² Ex c. *Pervenit de sent. excomm.* — ³ Ex c. *Liceat vi*, in sess. xiv. Trid.

⁴ Ex c. *Ad eminentiam de sent. excomm.* — ⁵ C. *Pœn. de Off. Leg.*

⁶ C. *Mulieres de sent. excomm.*; et c. *Pueris*, fin. eod. tit.

⁷ C. *Quoniam de vita et hon. Cler.* — ⁸ C. *Quamvis de sent. excomm.*

⁹ Excommunicatio imponitur vi monitorii non tantum ad revelanda aliqua crimina, sed vel ad restituendum alienum, et similia. — V. Lucius Ferraris, *Biblioth.*, v^o Monitorium.

mo tenetur illud revelare, nisi præcedat infamia, sive rumor de illo; quia tunc neque iudex potest de eo inquirere.

Qui autem delictum noverint sub secreto ad consilium præbendum, non tenentur ad denuntiationem, uti docet Angelicus¹; quia jus positivum non potest juri naturæ derogare.

§ III. — De excommunicatione minori.

116. Q. 1. Quando incurritur excommunicatio minor?

R. Una tantum est causa, ob quam incurritur excommunicatio minor, et est quando fidelis communicat cum excommunicato vitando in casibus, qui memoriæ juvandæ causa his versiculis continentur:

*Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communicio, mensa negatur.*

1. *Os*: et significat communicationem per colloquium, aut litteras: item quodcumque benevolentiam signum, uti esset dona mittere, vel acceptare, etiam privatim; — 2. *Orare*: et significat omnem communicationem in Divinis, uti esset assistere publicis functionibus Missarum, processionum, funerum, etc.; — 3. *Vale*: et significat quamlibet salutationem et honoris exhibitionem, nisi hæc fiant ad vitandum damnum atque indignationem ipsius excommunicati²; — 4. *Communicio*: et significat omnem societatem, contractum, et cohabitationem per modum mutue societatis; — 5. *Mensa*: et significat societatem in eadem mensa, quod ipse vetat Apostolus³. Non tamen si id casu eveniat: nam mensæ communionem nemo diceretur habere, qui ederet cum excommunicato in publico diversorio, ubi quisque sibi intendit.

Ad excommunicationem minorem incurrendam sufficit

¹ 2, 2, q. 70, a. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 248; l. VII, n. 214; *Homo Apost.*, tr. XIII, n. 75, ubi plura.

² a Item communissime S. Antoninus, Navarrus, Filiucius, Sotus, Avila, Sayrius, Bonacina, Castropalaus, Salmanticenses, Escobar, etc., admittunt probabile esse licere certa signa urbanitatis exhibere erga excommunicatum. Quia hujusmodi actus non exhibentur ut ei honor præstetur; sed ut inurbanitatis et contumeliæ nota vitetur, maxime si excommunicatus est superior, aut persona publica, » etc. Ita Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 21; *Op. Mor.*, l. VII, nn. 488 et 491. — ³ I Cor. v.

culpa venialis, quæ tamen sit plene deliberata; quia ad incurrendam pœnam requiritur actus perfectus in genere suo. Hinc licet in Confessione omitti possit peccatum veniale; non tamen omitti poterit illud, ob quod illata est excommunicatio minor, quia Sacramenti susceptionem impedit.

117. Q. 2. Quale peccatum est communicare cum vitando?

R. Regulariter est peccatum veniale communicare cum vitando, et regulariter minor tantum excommunicatio incurritur ex communi doctorum sententia.

Diximus 1: *Regulariter est peccatum veniale*. Peccat enim etiam mortaliter: — a. qui communicat in contemptum prohibitionis Ecclesiæ; contemptus enim semper est gravis culpa; — b. qui communicat in Divinis in re gravi, ut esset cum illo recitare Horas, eum ritu Ecclesiæ sepelire, ipsum ad sacra admittere, illius sacrificio assistere, ab eo beneficium obtinere; — c. qui communicat in crimine criminoso, nempe in crimine, vel in contumacia, ob quam ille fuit excommunicatus: esset, v. g., si post excommunicationem latam ob furtum quis adhuc communicaret cum excommunicato, ut eidem consilium aut opem suppeditet: vel ne locum habeat restitutio, vel ne ab excommunicatione respiscat; — d. qui communicat valde frequenter in rebus ipsis civilibus; quia tali modo communicans in periculum animæ suæ communicat¹, ut si suscipiat eum in sua familia, cum eo societatem ineat, quod quidem sine mutua et continua consuetudine esse non potest.

Diximus 2: *Regulariter minor tantum excommunicatio incurritur*; nam communicatio cum vitando importat etiam excommunicationem majorem: a. si Clericus scienter communicat in Divinis cum excommunicato nominatim a Pontifice et denunciato; b. si excommunicatio lata est contra aliquem, et simul contra participantes; c. si quis communicet in crimine criminoso. — In his casibus qui communicat, non potest absolvi, nisi ab illo, a quo est absolvendus principalis. Ita passim in jure.

118. Legitimæ tamen sunt causæ ex jure et communi do-

¹ Ex c. vii, de except.

ctorum communicandi cum excommunicato vitando, nempe :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1. *Utile* : utilitas nempe tam ipsius excommunicati, v. g. ut aliquod spirituale auxilium recipiat; quam aliorum, v. g. ut ipsi ab eo recipiant opem vel spiritualem vel temporalem.

2. *Lex* : intelligitur lex matrimonialis, ob quam conjuges possunt invicem communicare et debitum petere et reddere. Excipe, si sint per divortium separati; quia tunc non amplius mutua obsequia debentur. Vel si excommunicatio lata sit ob dubium de matrimonii valore; vel propter compartis hæresim; vel si communicent in Divinis.

3. *Humile* : intelligitur subjectio debita majoribus, quæ nempe adhuc licite eis exhibetur, etsi excommunicatis vitandis. Hanc igitur debent filii, etiamsi jam emancipatione donati, erga proprios parentes; et extenditur usque ad pronepotes atque in eodem genere affines, uti nurus, privigna, etc. Idem dicatur de Religiosis et Clericis erga Prælatos, de militibus erga Duces, de servis erga dominos et vicissim; sed in iis rebus, quæ ex famulatu debentur.

4. *Res ignorata* : intelligitur quando quis ignorat aliquem esse excommunicatum, sive ignoret ipsum deliquisse, sive ignoret tali delicto adnexam censuram¹. Est autem probabilius et communius excusare etiam ignorantiam crassam, uti eruitur ex jure.

5. *Necesse* : intelligitur gravis necessitas tam spiritualis quam temporalis, tam ipsius communicantis quam excommunicati et aliorum; nam Ecclesiæ leges de se non obligant cum gravi incommodo.

119. Q. 3. *Quinam est effectus excommunicationis minoris?*

R. Duo recensentur : primus dicitur directus, alter indirectus : 1. *effectus directus* excommunicationis minoris consistit in privatione usus passivi Sacramentorum, ita ut gravior sit peccaturus qui excommunicatione minori illaqueatus ea suscipiat²; — 2. *effectus indirectus* est inhabilitas sub gravi

¹ Ex c. *Quoniam multos* xi, q. 3. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 200 et seqq.; et n. 147.

² C. *Si celebr. de Cleric. excomm.* — Dicimus *usus passivi*; nam com-

ad ecclesiastica beneficia recipienda. Electio tamen non esset irrita, sed irritanda; cum in textu habeatur : *Si scienter excommunicatus electus fuerit, ejus electio est irritanda*. Quæ scientia esse debet, saltem in probabiliori sententia, ex parte ipsius electi; nempe quod recordetur se esse excommunicatum, dum sibi Beneficium ecclesiasticum confertur.

120. Ab excommunicatione autem minori absolvit omnis Sacerdos, qui ad Sacramentales Confessiones excipiendas sit approbatus : ita usus.

Art. II. — De suspensione.

§ I. — De suspensione in genere.

121. Q. 1. *Quid est suspensio?*

R. *Suspensio est censura, qua Clericus funciones aliquas Ecclesiasticas exercere vetatur*. Ex quo patet : 1. suspensio- nis subjectum solum esse Clericum; 2. per hanc censuram non privari Clericum passiva Sacramentorum receptione, neque ingressu Ecclesiæ, neque communibus suffragiis, neque Ecclesiastica sepultura. Hinc si quis sit suspensus ab audien- dis Confessionibus, a Missa, etc., et hæc suspensio sit reser- vata, simplex Confessarius non poterit quidem auferre su- spensionem, sed bene poterit suspensum a peccato absolvere, atque ad Communionem admittere, si ipsum vere peniteat de admissio scelere. — Suspensio autem Clericum comitatur ubique; cum ea immediate afficiat personam¹.

122. Hanc pœnam, ut gravissimam, Prælati non debent infligere sine scriptura, ita ut si Superior oretenus Clerico suo dicat : *Ego te suspendo*, hæc loquendi formula habenda sit potius uti simplex cele- brandi prohibitio, quam veri nominis suspensio : et qui eam viola- verit, gravis inobedientiæ reus evadet, sed irregularitatem non in-

mune est non peccare graviter, imo satis probabiliter nec leviter qui ea irretitus Sacramenta ministrat; cum textus Canonicus dicat : *Non videtur a collatione, sed a perceptione Sacramentorum remotus*. Excipe nisi sit sermo de eo, qui antequam Sacramentum ministrat, debeat illud ipse susci- pere : ut esset, v. g. Sacerdos ministrans in Missa.

¹ Glossa, in *Can. xxiv*, q. 1. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 312; et *Homo Apost.*, tract. IX, n. 64

curret¹. — Neque suspensio incurritur, nisi ob peccatum mortale; cum pœna debeat culpæ proportionari. Excipe si sit partialis, aut totalis, sed ad breve tempus, puta per hebdomadam; aut ferendæ sententiæ, nec indicta a jure: poterit tunc sufficere culpa venialis.

123. Q. 2. Quotupliciter accipi potest suspensio?

R. Triplici modo suspensio accipi potest ex communi DD. sensu:

1. *Ratione functionum*, quas Clericus exercere prohibetur. Et alia est ab Officio; alia a Beneficio; alia ab utroque totalis vel partialis, prout totaliter vel partialiter afficit Officium vel Beneficium. — Porro suspensus pure; simpliciter et absolute, sive absque ulla determinatione (ut si dicatur *qui talia egerit, suspensionem incurrat*) intelligitur totaliter et ab utroque suspensus, ita ut ipsi sit interdictus omnis usus Ordinis ac jurisdictionis et fructuum Beneficii perceptio. Hinc Parochus suspensus pure et simpliciter nec Missam celebrare, nec prædicare, nec Officiis præesse, nec Parochiam regere, nec Sacramenta ministrare potest: nam non est ratio, cur suspensio intelligatur de uno, non de alio.

Suspensus ab officio tantum (nempe ab actibus tum jurisdictionis tum Ordinis, seu officii, ad quod exercendum requiritur, ut quis sit Clericus) non censetur suspensus a beneficio: quare adhuc poterit illius fructus percipere. Si tamen 1. per alios impleat onera; 2. delictum non sit enorme; 3. per annum in suspensione non *insordescat*.

Tandem suspensus a Beneficio, nempe ab emolumentis et administratione Beneficii, non censetur suspensus ab Officio: neque ab aliis Beneficiis quæ extra Diœcesim haberet, si Episcopus non exprimat; nam odia sunt restringenda. Hinc etiam probabilius est, quod si suspensus a Beneficio, tempore suspensionis aliud Beneficium acquirit, ejus collatio non est irrita, cum nulla lege id sit expressum; ideo tantum irritanda.

2. *Ratione temporis*, quo perdurat. Et alia est temporanea, quæ ad tempus; alia indefinita seu absoluta, quæ obtinet donec tollatur.

¹ S. Congregatio Concilii in Vercellen. 18 aug. 1703, penes Monacelli *Formul. Legal. Pract. for. Eccl. Suppl.*, ad tom. III, p. 120, n. 6.

3. *Ratione causæ*, ob quam infligitur. Et suspensio alia est medicinalis, si ad emendationem; alia pœnalis et impropria, si detur ad vindictam; alia denique ad cautelam. — Hæc porro suspensio, quæ dicitur *ad cautelam*, in eo posita est, ut per Episcopale præceptum Clericus arceatur ab exercitio ministerii sacri, non quia criminis reus sit, aut de crimine jam convictus vel confessus; sed quia non decet sancta tractari ab illo, contra quem fama publica male refert, vel jam criminis publici accusatio aut inquisitio judicialiter fuerit instituta: idque Episcopi prudentiæ et sapientiæ prorsus relinquendum est. Postulat nempe *politix Ecclesiasticæ* ratio, ut ad sacrorum exercitium non accedant, nisi ii, qui integræ vitæ et bonæ famæ sint penes populum christianum: et hujus quidem censuræ exempla habemus non pauca in jure.

Ex dictis sequitur: 1. ultimam suspensionis speciem esse partialem, scilicet a solo exercitio Ordinis, non a Beneficio; 2. eandem strictè censuram appellari non posse; ideo non requiri ad eam formulas canonicas pro censuris infligendis præscriptas: nec irregularitatem incurri, si violetur; 3. eam graviter obligare, cum lata sit ob gravem causam¹ (L).

124. Q. 3. Quænam est Episcopi potestas in suspensione ferenda?

R. Ex canonico jure tanta est Episcopi potestas in suspensione ferenda, ut eam valeat in Clericos sibi subditos irrogare non solum per modum censuræ, sed etiam per modum simplicis punitionis ob crimen præteritum, et ex causis sibi notis, sive ut aiunt, *ex informata conscientia* et absque prævia ulla Clerici monitione: sicque Clericum prohibere tam ab ascensu ad Ordines, quam ab eorum exercitio, v. g. a celebratione Missæ. Ita Tridentinum², et Benedictus XIV³. Idem patet ex Bulla *Auctorem Fidei*, quæ sub n. 49 propositionem Synodi Pistoriensis docentis *nullas et invalidas esse suspensiones ex informata conscientia*, solemniter damnavit uti *falsam, perniciosam, et in Tridentinum injuriosam*.

Imo potest etiam eodem modo Episcopus suspendere Pa-

¹ V. Berardi, *Commentaria in Jus Ecclesiasticum*, t. IV, p. 262.

² Sess. XIV, c. 1. — ³ *De Syn. Diœc.*, l. XII, c. viii.

rochum ab omni curæ suæ exercitio : et S. Congregatio Concilii in *Sagonensi* 24 junii anno 1625 declaravit irregularitatem contraxisse Parochum, qui a proprio Episcopo *ex informata conscientia* ab omni suæ Parœciæ exercitio indeterminate suspensus, appellatione interposita, adhuc in celebratione et curæ exercitio manebat ¹ (M).

125. Q. 4. *Quinam sunt effectus suspensionis?*

R. Effectus suspensionis sunt :

1. Quod peccet graviter qui suspensus exercet actum sibi vetitum per suspensionem; quia violat in re gravi Ecclesiæ præceptum. Imo suspensus ab Ordine sacro et graviter peccat et irregularitatem incurrit, si ejusdem Ordinis officium scienter et solemniter exerceat ². Attamen excusatur et a peccato et ab irregularitate, si gravis adsit causa functiones exercendi, et alioquin actus, qui ponitur, sit validus; præcepta enim Ecclesiæ per se non censentur obligare cum tanto onere ³. Item excusatur tum ob censuræ ignorantiam, quia ubi nulla cognitio, nullum peccatum; tum ob materiæ parvi-

¹ « Quæ suspensio in his duobus ex Tridentino concluditur : interdicere ascensum ad sacros Ordines, et suspendere ab iisdem Ordinibus, necnon a dignitatibus, officiis, gradibus, honoribus ecclesiasticis, ideoque a curæ exercitio. At probabilius suspensio a beneficio hoc modo non potest ab Episcopis ferri, cum de hoc nullum verbum sit in Tridentino. » *Bouix*.

² C. 18, *cui de sent. ex.*, in 6, etc.

³ Ad rem *Continuator Tournely* : « Non fieret irregularis homo censuratus, si ex gravi metu ministraret in Sacris; quia censura aufert quidem usum Ordinis, ad eum vero inhabilem non facit. Unde infert Navarrus, homicidam post debitam contritionem et Confessionem, etiam nondum obtenta dispensatione, posse Sacrum facere, si probabiliter timeat se homicidii hujus suspectum fore, nisi celebret. — Idem dicit tum de excommunicato occulto in simili periculo infamiæ constituto; tum de Moniali, quæ occultissime in censuram reservatam incidisset : ea enim, inquit, ante moram petendæ absolutionis posset Choro interesse et communicare, cum aliæ ad id tenerent, si ab iis abstinendo fama ejus aut Monasterii periclitaretur. Idem cum aliis dicunt Sayrius, Bonacina, Auctor Collat. Andeg. Unde etiam colligunt excommunicatum occultum posse sine peccato et irregularitatis metu audire Sacrum, celebrare, absolvere, etc., ad vitandum grave scandalum, vel infamiam, vel detractionem, vel grave proximi periculum aut necessitatem. Nomine scandali, ait Suarez, non intelligo admirationem hominum cum frequenti sermocinatione de ea re; sed occasionem peccati, ut detractionis et judicii temerarii. »

tatem exercendo actum levem jurisdictionis, puta si benediceret mensam aut Ordinem non sacrum exerceret, vel sacrum sed non solemniter. Ita S. Antoninus, Habert, Collet, etc.; quia non videtur tanta irreverentia ¹.

2. Suspensus non toleratus et publicus exerceret invalide actus jurisdictionis, cum jure illa privatus existat : hinc si quis nominatim suspensus sit, invalide absolvit extra casum necessitatis. Toleratus vero (vel non toleratus, sed occultus) eam exerceret quidem valide, at illicite, nisi ab aliis sit requisitus. *Valide*; quia in communitatis bonum illius actus firmantur ab Ecclesia : *illicite*; quia illius tolerantia non est in sui, sed in aliorum gratiam tantum.

Actus vero Ordinis a suspenso etiam non tolerato positi, si non dependeant a jurisdictione, sunt validi; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Hinc si Sacerdos suspensus a celebratione Missæ, celebret, verum Sacrificium facit, etsi gravissime peccet contra latam prohibitionem, grandia sacrilegia committat, atque irregularitatem incurrat.

126. Quæres : *Incurritne irregularitatem Clericus exercens actum, a quo erat suspensus, si suspensio lata sit pro tempore determinato?* Alii absolute negant cum Avila; nam sic lata sententia habet rationem puræ pœnæ, quæ nullam inducit irregularitatem. — Alii absolute et communius affirmant cum Viva, si suspensio in scriptis lata sit, quia tunc ipsa induit etiam rationem censuræ : sic in jure Canonico quidam Clericus qui fuerat suspensus ad tempus et tamen ministraverat, fuit expresse declaratus irregularis ².

Alii tandem (et mihi videtur absolute probabilius) distinguunt cum Roncaglia : vel suspensio lata est ob crimen futurum, aut etiam ob crimen præteritum, quod tamen tractum habeat successivum (ut si quis pro injuria atroci jam irrogata satisfacere contumaciter detrectet); vel suspensio lata est ab homine ob meram punitionem criminis omnino præteriti. In primo casu incurritur irregularitas, si violetur suspensio,

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 64. — Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº Suspensio.

² C. 1 de sent. et re jud., in 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 314.

quia hæc revera habet rationem censuræ : in altero non incurritur ob rationem contrariam. Exemplum autem ex jure non est ad rem ; quia ibi agitur de suspensione lata a jure ipso per edictum generale, quod quidem respicit crimina futura.

127. Q. 5. *Quisnam absolvere potest a suspensione?*

R. Sacerdos suspensus potest absolvi a simplici Confessario a peccatis antequam solvatur a censura per superiorem ; ratio est quia effectus suspensionis non est privare receptione Sacramentorum. Sed requiritur, ut sit dispositus ad curandam liberationem suspensionis, et quod interea abstineat ab exercendo illo, a quo est suspensus.

Si suspensio rationem habeat censuræ, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem et quidem ab omnibus confessariis, si non sit reservata ; a superiore vero si ea reservata, vel lata ab homine. Quod si lata sit ad certum tempus vel sub conditione, cessat per se, tempore illo transacto, vel statuta conditione impleta. Si autem sit imposita in perpetuum propter præteritam culpam, tollitur ut mera pœna per solam Prælati dispensationem, vel ejus delegati ; ratio est quod tunc non est vera censura.

Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem illa generali forma (quæ adhibetur in Sacramento pœnitentiæ) : *Absolve te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, etc.* Si sit publica, in foro interno eadem iterum adhibetur forma ; in foro vero externo adhibenda est forma Ritualis, et fieri debet ab ipso superiore vel ab ejus delegato tantummodo.

§ II. — De suspensionibus in particulari.

Suspensiones præcipuæ latæ sententiæ, Papæ reservatæ.

I. *Contra Episcopos*, qui suspensionem incurrunt : — 1° ordinantes non subditum absque licentia sui Episcopi (*Trid.* sess. 25, c. viii de *Reform.*) ; — 2° ordinantes Religiosos non professos (*S. Pius V, Const. Romanus Pontifex*) ; item Monachum sine licentia (*Decr.* part. I, dist. 55, can. 2) ; — 3° conferentes tonsuram conjugato, aut infanti, illiterato (*Sexti* lib. I, tit. ix, c. iv) ; — 4° conferentes Ordines extra Diœcesim sine licentia Episcopi loci, licet ordinatus sit subditus ; —

5° conferentes Ordines sacros ante ætatem præscriptam (*Decretal.* lib. I, tit. XI, cap. xiv) ; — 6° conferentes Ordines simoniace (*Extravag.* l. V, de *simonia*, cap. ii) ; — 7° submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ sine consensu Capituli et licentia R. Sedis (*Sexti* l. III, tit. IX, c. ii) ; — 8° alienantes bona Ecclesiæ (*Extravag. Ambitosæ*) ; — 9° ingredientes in monasteria Monialium sine necessitate.

II. *Contra Regulares*. Hi incurrunt suspensionem : — 1° non deferentes habitum regula determinatum ; — 2° recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis (*Sexti* l. III, tit. XIV, c. ii) ; — 3° apostatæ suscipientes Ordines sacros in apostasia (*Decret.* l. V, tit. IX, c. vi) ; — 4° Suscipientes ordines sacros ante professionem (*S. Pius V, Constit. Romanus Pontifex*) ; — 5° introducetes mulieres in claustra Monialium (*S. Pius V*) ; 6° introducetes mulieres in sua monasteria (*ibid.*).

III. *Contra Clericos* : incurrunt suspensionem : — 1° suscipientes duos Ordines majores eodem die, vel duobus diebus continuis (*Decret.* l. I, tit. XI, c. xiii et xv) ; — 2° suscipientes Ordines furtive, id est sine prævio examine et sine admissione ab Episcopo facta ; — 3° recipientes Ordinem sacrum post matrimonium initum, etiam non consummatum (*Joan.* XXII, tit. VI) ; — 4° suscipientes Ordines sacros simoniace ; — 5° celebrantes Missam sine Communionem (*Can. nullus de consec. dist. 1*).

Suspensiones, præcipuæ latæ sententiæ, Episcopis reservatæ.

Sequentes præcipui casus exhibentur : — 1° susceptio Ordinis per saltum, vel non servatis interstitiis, ut habet *Tridentinum Concilium*, sess. 25, cap. xiv, de *Reform.* ; — 2° susceptio Ordinis ab Episcopo alieno sine dimissoria proprii Episcopi ; vel a proprio Episcopo extra Diœcesim, sine Ordinarii licentia (*Trid.* sess. 25, c. vi, de *R.*) ; — 3° susceptio Ordinis sine titulo clericali, vel cum titulo ficto sine dispensatione ; — 4° benedictio nuptialis a quocumque sacerdote, sine licentia Parochi sponsorum (*Trid.*, sess. 24, c. i, de *Ref.*) ; — 5° interruptio totalis Missæ sine gravi causa ; — 6° Ordinatio, Sede vacante, cum dimissoria accepta a Vicario capitulari ante annum elapsam (*Trid.* sess. 7, c. x, de *R.*) ; — 7° adde omnes suspensiones papales occultas ; imo publicas, si recursus ad Pontificem est moraliter impossibilis.

Art. III. — De interdicto¹.

§ I. — De interdicto in genere.

128. Q. 1. Quid est Interdictum?

R. Interdictum est *censura*, qua prohibetur usus *divinorum Officiorum*, *aliquorum Sacramentorum*, et *sepulturæ Ecclesiasticæ*: illud possunt ferre omnes, qui possunt excommunicare. Ad interdicendum locum vel communitatem requiritur peccatum atrox commissum a capite, vel a principalibus. Sed si sit ad breve tempus, et in ordine ad unum vel aliud usum, sufficit veniale.

Interdictum aliud est *locale*, quod immediate afficit locum; aliud *personale*, quod immediate afficit personas; aliud *mixtum*, quod immediate afficit et personam et locum. Utrumque subdividitur in *generale*, quod locum generalem, v. g. totam regionem, communitatem vel regnum complectitur; et in *particulare*, quod complectitur locum peculiarem, v. g. datum Oratorium vel personas in dato loco degentes.

129. Interdicto populo, non intelliguntur interdicti qui non sunt pars populi, ut Clerici, studiosi, peregrini. Item interdicto Clero, non interdicuntur laici neque Religiosi, imo neque alii Clerici, qui ibi nullum habent officium, ita ut cum Clero unum corpus constituant. Quando interdictum est generale-locale, interdicta civitate, interdicuntur etiam suburbia et Ecclesiæ exemptæ Regularium: et omnes illud tenentur servare, etiam Episcopus qui tulit, uno excepto Pontifice. Licet tamen in hoc casu iis, qui interdicto causam non dederunt, alio ire, ut divinis Officiis assistant. Si vero interdictum est generale-personale, excipiuntur: 1. Episcopi, qui eximuntur etiam a suspensione generali; 2. innocentes, si alibi domicilium collocant; 3. exteri; 4. infantes et amentes doli incapaces, qui tamen adhuc privantur sepultura Ecclesiastica².

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 528, etc.; et *Homo Apost.*, tract. XIX, nn. 68, etc.

² C. x, xvi, xvii, *de sent. exc.*, in 6. Quando Ecclesia est interdicta, Ca-

130. Q. 2. Quinam sunt effectus interdicti?

R. Sunt sequentes tum ex jure¹, tum ex communi Doctorum:

1. Prohibitio divinorum Officiorum, eorum nempe, quæ solemniter a Clericis exercentur in loco designato, excepta concione. Idque singulis diebus, præter dies Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. V., die et per octavam Corporis Christi², in quibus mittuntur divina Officia solemniter celebrari, admissis etiam personis interdictis (quæ quidem tenentur iis festis Missam audire): modo qui causam interdicto dederunt, ad altare non accedant, neque ad offertorium, neque ad communionem. Diximus quæ solemniter a Clericis exercentur; nam licet religiosis et Clericis (si ipsi interdicti non sint) in interdicto generalia Officia celebrare, sed sine campanarum sonitu et clausis Ecclesiæ januis.

2. Prohibitio administrandi Sacramenta. Excepto Baptismo (qui potest dari etiam solemniter, sed non a specialiter interdicto); item Confirmatione et Pœnitentia (non tamen in eorum gratia, qui causam vel favorem interdicto dederunt, vel qui specialiter interdicti sunt, nisi præstent satisfactionem, aut juratorium cautionem). Item permittitur Eucharistia morituris atque Extrema Unctio. Et probabilius etiam Matrimonium, cum in jure habeatur illud *posse contrahi quovis tempore*; solemniter tamen benedictio tunc sponsis dari nequit³.

nonici non assistentes non ideo amittunt distributiones, si non dederint causam interdicto. Idem est quando Ecclesia est polluta; non privantur distributionibus qui pollutioni causam non dederunt. Secus tamen est in cessatione divinorum Officiorum; tunc enim etiam non dantes causam privantur distributionibus ex c. *Si canonici*. V. Scituri, *de Offic. de Ordín.*, in 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 150.

¹ C. *Alma Mater*, xxiv, de sent. exc., in 6. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., v^o Interdictum.

² Cap. 11, *de interd.* In ecclesiis tamen specialiter interdictis, in quibus Eucharistia servatur, fas est tantum semel in hebdomada Sacrum facere ad renovandam Eucharistiam. — Si solum interdicatur altare, prohibentur functiones tantum in altari, non in Ecclesia.

³ Ex c. *Alma Mater* xxiv, de sent. exc. in 6. — Notat autem L. Ferraris: « Casu magnæ necessitatis et penuriæ Sacerdotum etiam Sacramen-

3. Prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ, cum hoc discrimine Clericos inter et laicos, quod isti sepeliendi sint in loco non sacro, etiamsi agatur de infantibus, et si sepulti fuerint, exhumari debeant: illi vero, si non sint nominatim interdicti, possint sepeliri in Ecclesia etiam cum Missa, sed sine pompa. Si vero Ecclesia illa sit nominatim interdicta, adhuc poterunt in ea sepeliri; sed sine Missa (N).

131. Q. 3. *Quid dicendum de iis, qui interdictum violaverint?*

R. Cum distinctione: vel Clerici sunt, vel laici violatores interdicti.

Si Clerici, peccant graviter, quando agatur de re gravi, et interdictum directe Clericos afficiat; et ubi Ordinem exerceant, incurrunt etiam in irregularitatem¹. Si vero ipsi interdicti non sint, sed violent interdictum locale, privantur jure sepulturæ, quod alioquin haberent²; et voce activa et passiva electionis³. Si autem laicos interdictos admittant ad divina Officia, interdicuntur ipso facto ab ingressu Ecclesiæ⁴. Tandem si quem sepeliant in loco interdicto, ipso facto excommunicantur⁵.

Si laici sint violatores interdicti, peccant mortaliter: 1. si interdictum sit personale, cum ipsos quoque directe afficiat; 2. si compellant Clericos ad divina Officia celebranda, maxime ratione injuriæ: imo incurrunt excommunicationem Papæ reservatam⁶; 3. si Sacramentum, vel quid aliud in tali loco administrari prohibitum, ipsi recipiant; cooperarent enim ad id, quod sub gravi Clerici prohibentur agere. Si tamen in loco interdicto ipsi non personaliter interdicti simpliciter divinis Officiis intersint, probabilius solum venialiter peccant, ut docet Layman; nam cum tunc interdictum directe

tum Ordinis Clericis specialiter non interdictis conferri potest, ut cum multis colligit Pirhing, Innocentius et Abbas ex c. *Non est de sponsalibus*, in 6. »

¹ C. II, de sent. exc., in 6. — ² C. XX, de pœn. et rem.

³ C. I, de postulat. prælator.

⁴ C. VIII, de priv., in 6. — ⁵ Clement I, de sepult.

⁶ Loco cit., de sepult.

et principaliter ipsos non respiciat, non videtur eos obligare sub gravi.

132. *Quid de iis, qui tantum interdicti sunt ab Ecclesiæ ingressu?*

R. Isti nequeunt Ecclesiam ingredi, ut Missæ aliisve divinis Officiis intersint, ideo enim interdicti sunt: item neque possunt in eadem Ecclesia vel ejus cœmeterio sepeliri. Missam autem adhuc audire possunt in Oratoriis privatis, quia hæc Oratoria proprie Ecclesiæ nomine non veniunt: imo juxta plures possunt ipsam ingredi Ecclesiam extra tempus divinatorum Officiorum, ut ibi preces fundant privatim; nam tunc non ingrederentur formaliter, ut aiunt, et cum effectu¹.

§ II. — De nonnullis interdictis latæ sententiæ².

133. *Interdicta personalia generalia.* — 1. In dantes causam interdicto locali, licet sit universitas (c. *si sentent. de sent. excomm.* in 6); — 2. in Capitulum, quod, Sede vacante, dimissorias litteras concedit infra annum non arctatis (*Trid. sess. 7, c. x*); — 3. in universitatem et Capitulum, quod appellat a sententiis Pontificis ad futurum Concilium (*Bulla Cœnæ*): reservatum est; — 4. in universitatem permittentem usurariis conducere domum in suis terris ad fœnus exercendum (c. *usurar. de usur. c. vi*); — 5. in universitatem, quæ concedit repræsalias in Ecclesiasticos, si concessionem non revocet intra mensem (c. *unico de inj. in 6*).

Interdicta personalia specialia. — 1. In recipientem de manu laici Episcopatum vel aliam dignitatem. Item in dantem (c. *si quis 16, q. vii*): ab ingressu Ecclesiæ; — 2. in violantes interdictum generale locale (c. *Episc. de priv. in 6*): ab ingressu Ecclesiæ; — 3. in conferentes Ordines simoniace (ita *Sixtus V*): ab ingressu Ecclesiæ, et reservatum est; — 4. in Episcopos aliosque Prælatos recipientes beneficia in confidentiam (*Pius V*): reservatum est; — 5. in Prælatos

¹ Cap. *Is cui x*, de sent. excomm., in 6.

² V. *Operum Moralium* t. III, Episcopi Martini Bonacinæ, ubi accurate auctor disserit de censuris omnibus in particulari, easque fuse explicat. In *Theologia* autem Edmundi Voit censurarum collectio habetur alphabetico ordine disposita. — Non disputamus hoc loco neque de *Irregularitate*, neque de *Cessatione a divinis*, neque de *Depositione* et *Degradatione*. Quæ quidem censuræ proprie non sunt, sed potius quædam pœnarum aut inhabilitatum species. Erit de hisce tractatu *De Ordine*.

scholia edentes in Concilium Tridentinum (*Pius V*): ab ingressu Ecclesie.

Interdicta localia. — In territorium et loca illius, qui injuriose aut tenere Episcopum percutit aut rapit, vel hoc fieri mandat (*Clem. I de pæn.*); — 2. in regna, terras, loca eorum, qui impedire præsumunt Legatum seu Nuntium Pontificium, ne sibi subjectas terras ingrediatur (*Extr. super gentes de cons.*); — 3. in locum, in quo scienter sepultus fuit hæreticus, aut ejus fautor (*c. Quicumq. de hær. in 6*); — 4. in civitatem, quæ insequentibus hostiliter Cardinales auxilium præbet vel delinquentes non punit intra mensem (*c. Felic. de pæn. in 6*).

ADNOTATIONES

AD SEQUENTIAM TRACTATUS QUARTI

(A) Page 4.

134. Quotupliciter ex vanæ gloriæ cupiditate peccari potest?

S. Thomas docet vana gloria peccari directe et indirecte (2, 2, q. 132, a. 3):

1. Directe peccatur tam verbis, quam factis. *Verbis* dum quis inordinate de se ipso prædicat, quod laudem et gloriam sibi comparet. Hæc dicitur *jactantia*, et est mortalis, si cedat in grave proximi damnum; aut in gravem Supremi Numinis injuriam, aut sit de rebus graviter malis; nam approbatio operis eandem cum illo speciem induit. *Factis* vero, dum quis agit res novas et peregrinas ad laudem sibi comparandam: et dicitur *inventio novitatum*, quæ si ad mores corrumpendos confert, erit mortalis; secus, si in nullius damnum vergat, erit tantum venialis. Ad hanc refertur *hypocrisis*, qua nempe quis simulat sanctitatem quam non habet, aut majorem quam habet. Quod erit saltem veniale, cum sit mendacium facti. Erit autem peccatum mortale, si eidem conjungatur *vel* contemptus virtutis, *vel* grave proximi damnum, *vel* si ad finem graviter malum dirigatur: ut si quis, v. g., sanctitatem simulet ad proximum in re gravi decipiendum, *vel* ad beneficium acquirendum, etc. (*Vid. Stapf, § 109.*) Hinc versus:

Si jactes tua facta; velis novus esse videri.

2. Indirecte peccatur, dum quis alteri non vult nec esse, nec inferior videri. Huc spectant: — 1. *pertinacia intellectus*, qua quis mordicus adhæret propriæ opinioni. Et erit mortalis, vel si oppugnetur veritas magni momenti, vel si grave proximo damnum obveniat, ut si medicus, v. g., cum gravi ægroti periculo firmus maneat, atque immobilis in sententia propria; — 2. *discordia voluntatis*, nempe voluntatum contrarietas in rebus illis præsertim, in quibus oportet nos esse concordēs. Hæc licet sit venialis ex levitate materiæ, ex genere tamen suo est mortalis, quia directe opponitur charitati, cujus defectus a regno Dei excludit. Diximus *voluntatis*; nam adhuc charitas subsistit in discordia intellectus, sive in discrepantia opinionum, quarum usus licet, ut fuit dissensio inter Paulum et Barnabam (Act. 5); *nam concordia, quæ est charitatis effectus, est unio voluntatum, non unio opinionum* (Angelicus, 2, 2, q. 57, a. 1).

3. *Contentio verborum*, impugnatio nempe veritatis cum altercatione verborum. Hæc pariter mortalis erit aut venialis, prout grave aut leve Dei honori et bono proximi damnum inferitur; — 4. *inobedientia*, qua quis nempe ex contemptu exequi recusat illud, quod ex præcepto debet. Unde versus:

*Durities mentis, cordis discordia, et oris
Jurgia; mandatis nolle subesse probis.*

De hac habet D. Bernardus in Ps. xc: *Ambitio est malum subtile, secretum virus, doli artifex, virtutum ærugo, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languores.* Cujus quidem ex D. Chrysostomo (Hom. in Matth. xv) *ratio est quia omne malum a malo nascitur; vana autem gloria de bono procedit; et ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur.* Ex quo patet in extirpando hoc vitio quanta sollicitudine opus sit. V. Ligouri, *Op. Mor.*, l. V, n. 66. — Item Descuret, *la Médecine des passions*; art. *orgueil et ambition*, ubi plura exempla ponit. Non tamen omnia quæ habentur in hoc libro probamus.

(B) Page 40.

135. Quoad luxuriæ materiam, quedam notanda specialius pro praxi, ac recto Confessariorum regimine.

1. Quoad *pollutionem*; nullum vitium est tam forsitan emendatu difficilius et tam noxium sub omni respectu juvenibus et præsertim masculis, quam habitus se polluendi. Etenim prava hac consuetudine deprehensi obdurantur, hebetantur, virtutes fastidiunt, Religionem

scholia edentes in Concilium Tridentinum (*Pius V*): ab ingressu Ecclesie.

Interdicta localia. — In territorium et loca illius, qui injuriose aut tenere Episcopum percutit aut rapit, vel hoc fieri mandat (*Clem. I de pæn.*); — 2. in regna, terras, loca eorum, qui impedire præsumunt Legatum seu Nuntium Pontificium, ne sibi subjectas terras ingrediatur (*Extr. super gentes de cons.*); — 3. in locum, in quo scienter sepultus fuit hæreticus, aut ejus fautor (*c. Quicumq. de hær. in 6*); — 4. in civitatem, quæ insequentibus hostiliter Cardinales auxilium præbet vel delinquentes non punit intra mensem (*c. Felic. de pæn. in 6*).

ADNOTATIONES

AD SEQUENTIAM TRACTATUS QUARTI

(A) Page 4.

134. Quotupliciter ex vanæ gloriæ cupiditate peccari potest?

S. Thomas docet vana gloria peccari directe et indirecte (2, 2, q. 132, a. 3):

1. Directe peccatur tam verbis, quam factis. *Verbis* dum quis inordinate de se ipso prædicat, quod laudem et gloriam sibi comparet. Hæc dicitur *jactantia*, et est mortalis, si cedat in grave proximi damnum; aut in gravem Supremi Numinis injuriam, aut sit de rebus graviter malis; nam approbatio operis eandem cum illo speciem induit. *Factis* vero, dum quis agit res novas et peregrinas ad laudem sibi comparandam: et dicitur *inventio novitatum*, quæ si ad mores corrumpendos confert, erit mortalis; secus, si in nullius damnum vergat, erit tantum venialis. Ad hanc refertur *hypocrisis*, qua nempe quis simulat sanctitatem quam non habet, aut majorem quam habet. Quod erit saltem veniale, cum sit mendacium facti. Erit autem peccatum mortale, si eidem conjungatur *vel contemptus virtutis, vel grave proximi damnum, vel si ad finem graviter malum dirigatur*: ut si quis, v. g., sanctitatem simulet ad proximum in re gravi decipiendum, *vel ad beneficium acquirendum, etc.* (*Vid. Stapf, § 109.*) Hinc versus:

Si jactes tua facta; velis novus esse videri.

2. Indirecte peccatur, dum quis alteri non vult nec esse, nec inferiori videri. Huc spectant: — 1. *pertinacia intellectus*, qua quis mordicus adhæret propriæ opinioni. Et erit mortalis, vel si oppugnetur veritas magni momenti, vel si grave proximo damnum obveniat, ut si medicus, v. g., cum gravi ægroti periculo firmus maneat, atque immobilis in sententia propria; — 2. *discordia voluntatis*, nempe voluntatum contrarietas in rebus illis præsertim, in quibus oportet nos esse concordēs. Hæc licet sit venialis ex levitate materiæ, ex genere tamen suo est mortalis, quia directe opponitur charitati, cujus defectus a regno Dei excludit. Diximus *voluntatis*; nam adhuc charitas subsistit in discordia intellectus, sive in discrepantia opinionum, quarum usus licet, ut fuit dissensio inter Paulum et Barnabam (Act. 5); *nam concordia, quæ est charitatis effectus, est unio voluntatum, non unio opinionum* (Angelicus, 2, 2, q. 57, a. 1).

3. *Contentio verborum*, impugnatio nempe veritatis cum altercatione verborum. Hæc pariter mortalis erit aut venialis, prout grave aut leve Dei honori et bono proximi damnum inferitur; — 4. *inobedientia*, qua quis nempe ex contemptu exequi recusat illud, quod ex præcepto debet. Unde versus:

*Durities mentis, cordis discordia, et oris
Jurgia; mandatis nolle subesse probis.*

De hac habet D. Bernardus in Ps. xc: *Ambitio est malum subtile, secretum virus, doli artifex, virtutum ærugo, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languores.* Cujus quidem ex D. Chrysostomo (Hom. in Matth. xv) *ratio est quia omne malum a malo nascitur; vana autem gloria de bono procedit; et ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur.* Ex quo patet in extirpando hoc vitio quanta sollicitudine opus sit. V. Ligouri, *Op. Mor.*, l. V, n. 66. — Item Descuret, *la Médecine des passions*; art. *orgueil et ambition*, ubi plura exempla ponit. Non tamen omnia quæ habentur in hoc libro probamus.

(B) Page 40.

135. Quoad luxuriæ materiam, quedam notanda specialius pro praxi, ac recto Confessariorum regimine.

1. Quoad *pollutionem*; nullum vitium est tam forsitan emendatu difficilius et tam noxium sub omni respectu juvenibus et præsertim masculis, quam habitus se polluendi. Etenim prava hac consuetudine deprehensi obdurantur, hebetantur, virtutes fastidiunt, Religionem

contemunt; eorum indoles fit tristis, fortitudinis incapax, nullius propositi tenax: vires corporis deficiunt, graves nascuntur infirmitates, advenit caducitas præmatura, et sæpe mors ignominiosa (*medicis et experientia quotidiana testibus*). Sollicite ergo studeant Confessarii eos, qui sibi creduntur, adversus tanta mala præmunire, vel ab infami habitu jam contracto retrahere. Execrandus *masturbationis* habitus, si inveteratus sit, Confessarios in quamdam desperationem conjicit; nam si (pœnitentes) *severius* tractentur, timendum est, ne deinceps non redeant et pejores fiant; si *nimia indulgentia* suscipiantur, in cœno vitii torpentes manebunt. Summa igitur prudentia magnoque zelo curare oportet, ut infelices isti pœnitentes ad sacrum Pœnitentiæ tribunal sæpe, v. g., singulis hebdomadis accedant, de culpis admissis doleant, et propositum amplius non peccandi frequenter renovent, orent, orent et iterum orent.

136. 2. Quoad *fornicationem*: fornicatio fidelis cum infideli, puta cum hebræa aut mahumetana, in communi sententia longe gravior est, quam cum catholica. Imo hæc infidelitatis circumstantia (ex Continuatore Tournely) speciem mutat; quia sicut ab Ecclesia nubere prohibitum est christianis cum infideli in honorem catholicæ fidei et ad removendum perversionis periculum; ita eadem de causa prohibita censetur ab Ecclesia quævis copula cum infideli, quæ semper vergit in dedecus Religionis: ideo non est solum contra castitatem, sed etiam contra Religionis virtutem. Hanc tamen specialem circumstantiam mortalem esse alii negant.

137. 3. Quoad *concubinatum*. Jure civili concubinatus tunc tantum putatur, quando concubinarij habitant eandem domum. Non ita tamen jure Canonico, uti constat ex stylo Curie Romanæ, et ex Tridentino, sess. 24, c. viii (V. Salmanticenses, *tract.* xxvi, c. ii). Concubinatus idem est ac *simul cubitum ire*; fornicatio vero deducta est a verbo *fornicor*, sumpta denominatione ab eo, quod meretrices in fornicibus, hoc est locis concameratis seu ad modum arcus fabricatis, honestatem nundinabantur. Hic advertendum, nomen *concubine* non semper in malo sensu usurpari: in veteri Lege hoc nomine (tunc permessa uxorum pluralitate) vocabatur vera uxor, sed *secundaria*, quæ scilicet honorem et domus administrationem non habebat. V. Veith, *Scriptura sacra contra incredulos vindicata*; In Job, n. 12.

138. 4. Quoad *sodomiam*. Perfecta est sodomia in quacumque parte corporis fiat congressus; quia ordinarie semper adest tunc affectus ad indebitum sexum. Ideo non est opus explicare in Confessione, an pollutio fuerit intra vel extra vas præposterum; quamvis ad incurrendam reservationem requiratur seminatio intra vas, ut ait P. Mazzota...
« Pollutio habita tangendo puerum vel mulierem dormientem, absque

tamen concubitu sive conjunctione corporum, non habet nisi simplicis pollutionis malitiam, ut probabilius dicunt Salmanticenses, Cajetanus, Azor, Bonacina, etc. Item qui pollutur tactibus alienis, jam dupliciter peccat cooperando peccato alterius; non tenetur tamen explicare, an tactibus maris vel fœminæ, nisi ista habeat virum aut votum castitatis. » Liguori, *Homo Apost.*, tr. ix, nn. 24 et 25. — Hic notandum etiam: « Non refert in quo vase coeant masculi aut fœminæ inter se, vel in anteriori vel in posteriori, vel in alia corporis parte; cum malitia sodomix in affectu ad sexum indebitum consistat, atque in genere suo completa sit, dum fit applicatio membri genitalis ad partem corporis ejusdem sexus per modum concubitus. Si autem fieret tantum applicatio manus, pedis vel oris ad partes genitales alterius, etsi pollutio ex utraque parte sequatur, non reputaretur sodomia; quia non esset concubitus. »

139. 5. Quoad *turpia verba* proferentem, audiatur Stapf, § 310: « Qui turpia proferre amat, hoc ipso depravatum animum, et immunditiam cordis testatur, quandoquidem *ex abundantia cordis os loquitur* (Matth. 12). Tum vero in semetipso non minus quam in aliis sensum pudoris hoc firmissimum integritatis munimen subvertit ac destruit: unde irrupenti libidini jam facilis accessus panditur. Denique neminem latere potest quot scandala inde oriantur, dum per hujusmodi verba salacia phantasia turpissimas imagines concipit, stimulus venereus irritatur, et nefandorum flagitiorum horror sensim abstergitur. Præsertim res est luctuosissima, si juvenus adhuc incorrupta talia auribus usurpet, sicque pudendas illecebras, quas hucusque feliciter nescivit, pessime edocetur. Quamobrem jubet Apostolus: *Omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos; aut turpitudine aut stultiloquium aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet* (Eph. 5). »

140. Quoad *theatra* observandum, quod aliquando scenici ludi rure obtinent, et ab ipsis rudibus instituuntur vel ad ipsum divinum cultum augendum. De his habet Stapf, § 318: « Equidem hucusque nonnisi spectacula religiosa, et insuper non de nocte, sed tempore pomeridiano edi consueverunt. Sed præterquam quod per hæc spectacula tum in ipso loco, tum in vicinia cultus divinus et christiana institutio multum defraudentur, tot etiam abusus, et morum corruptelæ inde resultant, ut pastores animarum de illis nonnisi dolere possint. Etenim *actores ipsi* exinde vanæ ostentationi, petulantix, ebrietati, aliisque vitiis assuehant; ex numero autem *spectantium* plurimi hac occasione corrumpuntur, dum præcipue utriusque sexus juvenus liberius sibi indulget, finita comœdia ad tabernam divertit, et tum ibidem tum in reditu plurimis peccandi periculis exponitur. » Videat tamen Parochus,

ne obstando majora provocet mala : curet, si fieri possit, ut partes foeminarum excludantur, et nullus vir veste foeminea utatur.

141. Quoad remedia contra luxuriam hæc specialius et compendiose adnotamus cum Dens inspiciendo ejus radicem et causam ; — 1. si peccata, tentationes et commotiones carnales oriuntur ex causa externa, uti sunt consortium, alloquium, visus vel aspectus, tactus, delicia, otium, nimius somnus, lecti mollities aut calor, locus, persona aliqua, lectio librorum, specialis vel nimius cibus, potus, etc., remedium promptum et aptum est vitare et abrumpere illas causas, sive occasiones ; — 2. Si carnales tentationes proveniant ex causa interna, ex lubrica complexionem naturali, passione concupiscentiæ dominante, vel pruritu carnis, ex abundantia seminis, spirituum et humorum ; remedium afferunt maceratio carnis, abstinentiæ, jejunia, fames, sitis, frigus, sensus poenaltates, vigiliæ, surgere e lecto, non decumbere super dorsum sed in latere, manibus super pectus in modum crucis, etc. ; — 3. Si tentationes carnis exurgant ex incidentibus cogitationibus impudicis, ex phantasia, imaginatione, vel ex memoria recurrente, aut a diabolo immundo ; congrua remedia sunt oratio ad Deum, invocatio B. M. Virginis, Angeli Custodis, etc., meditatio passionis Christi, præsentia Dei, quatuor novissimorum ; item mentem et corpus tense applicare ad alia objecta et negotia, etsi temporalia ; sic enim clavis clavo pellitur.

Loquendo vero specialissime de pollutione, certo nullum remedium validius est, quam sæpe confiteri, si credere est Philippo Nerio, B. Leonardo, etc.

Et S. Alphonsus, *Praxis Conf.*, n. 77) docet eos, qui hoc remedio non utuntur, emendationem sperare non posse, nisi per miraculum.

Liber autem : *Il Sacerdote sanctificato*, n. 94 habet :

« Regardez comme très-probablement valides les confessions après lesquelles le nombre des fautes du pénitent a notablement diminué, encore qu'il soit retombé après s'être confessé. Autrement ce serait confondre le fruit d'une seule confession avec le résultat qu'on peut attendre de plusieurs confessions ; ce serait vouloir ne pas mettre de distinction entre l'effet d'un bon remède, pris une fois seulement, et l'effet de ce même remède pris durant longtemps. Or, de même qu'on appellera efficace une potion qui arrête sur-le-champ la fièvre et la fait disparaître, quoiqu'elle revienne quelques jours après ; et qu'il n'appartient qu'à l'application continue de ce remède de détruire entièrement la fièvre, parce qu'il chasse en même temps les humeurs malignes, sources de la maladie ; de même, Dieu n'a pas donné à chaque confession en particulier une vertu illimitée. Toute confession bien faite, accompagnée d'une vraie contrition, détruit

la culpabilité du pénitent, mais n'enlève pas les restes du péché, la faiblesse, le penchant à la rechute ; elle diminue mais ne dompte pas entièrement la force des mauvaises habitudes. Ce dernier effet, dans les vues ordinaires de la Providence, n'est réservé qu'à la confession continuée, qui nous purge peu à peu des restes du péché et rend durable et solide la santé qui est revenue à l'âme. C'est pour cela que le Rituel romain suggère comme un spécifique excellent contre la rechute la fréquentation des sacrements. Tous les saints, tous les maîtres de la vie spirituelle, n'ont pas donné d'autre conseil. » It. V. cl. Card. Gousset, *Justification de la Théologie de S. Alphonse de Liguori*, c. IX. — Le P. Ventura, *Les Femmes de l'Évangile : Appendice à l'Homélie ; la Femme malade ou la pitié ; Remède contre la corruption de la chair ; ubi maxime commendatur etiam frequens Eucharistia susceptio : omnium maxime celesti hoc robore indiget juvenus sui incuria, et ætatis suæ levitate simul et ardore lapsi propinqua* (V. Stapf, § 312).

142. Hic venit etiam maxime juvenibus commendanda devotio erga Angelicum juvenem Aloysium Gonzagam, quem Benedictus XIII Sanctorum fastis adscripsit, atque innocentia et castitatis exemplar simul et patronum studiosæ præsertim juventuti dedit. Qua in re cumulatissime facit notissima oratio : *O Luigi Santo*, pro qua Pius VII et partiales et plenarias Indulgentias concessit. — Ita extollenda maxime pro siudiosis juvenibus devotio erga S. Thomam, qui fortiter dimicans ad tuendam suam puritatem, meruit sacro cingulo ab Angelis constringi, quo perpetuæ virginitatis gratia donatus fuit. Hinc nata devotio, et sub nomine *Militiæ angelicæ* instituta de hoc sacro cingulo pia societas, quam plures Pontifices Indulgentiis cumularunt. *V. il giglio della purita conservato con varii mezzi, e specialmente con la divozione del sacro Cingolo dell' Angelico Dottore san Tommaso d'Aquino*. Torino, Paravia ; Novara, Crotti.

Juvenit etiam terrefacere impudicos periculo damnationis : etenim vitium turpe cor indurat ; cor autem durum male habebit in novissimo. *V. I Comandamenti della legge di Dio illustrati da esempi* ; Modena 1861.

(C) Page 43.

143. Notamus, quod si quis advertenter sumat tantam vini portionem, quæ sit apta ad se inebriandum, nullo modo excusabitur a mortali, etiamsi, antequam sensibus destituatur, somno se tradat, atque vini effectum effugiat. Tunc enim potio illa jam de se est intrinsece mala; cum de se apta sit ad privandum hominem usu rationis, et non sit nisi per accidens, quod ipse per somnum sensibus destituatur. Idem est dicendum, si non statim privatio usus rationis sit eventura, sed post unam vel alteram horam, cum nempe vini potator ad aerem prodibit; nam semper haberetur causa deliberate posita. Item peccant graviter, qui diu noctaque potantes ebrietatis periculo se exponunt; item qui ipsi multum bibentes alios ad æquales haustus provocant cum præviso ebrietatis periculo. Item peccant graviter qui cum experti sint se inebriari in illis consortiis, tamen adhuc in iis versantur. Item qui prætextu patrii moris, aut boni affectus convivas urgent ac quasi ad bibendum necessitant cum ebrietatis periculo; secus si tantum liberalior potus offeratur. (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 78.) — Quod vero dictum est de vino, paritate rationis valet de quocumque alio liquore inebriante: cum una deformitas sistat in amissione usus rationis.

144. Vitium ebrietatis præ reliquis formidandum est, quod præter dissipationem honorum, plerumque etiam officiorum neglectum, complura scandala, et sat numerosam catervam peccatorum pedissequam habere soleat, et quod in diram consuetudinem abeat, quæ semel contracta ægerrime corrigitur. Hinc D. Hieronymus hominem ebriosum non solum mortuum, sed etiam sepultum dicit. Et plerumque aliud remedium non restat, quam ut per longius tempus ab omni potu inebriante prorsus abstineant; si enim dulci huic veneno labia denuo admovent, omnium propositorum immemores se iterum concitato naturæ pruritu permittunt. Sunt etiam omnino prohibendi ab ingressu canonarum. Periti hæc remedia suggerunt: 1. longe fieri a sociis qui ad tabernam invitant; invitant enim ad grande peccatum (fiat in honorem Jesu); 2. longe fieri a taberna, nam occasio est funiculum triplex (idque sit in honorem M. Virginis); 3. vel aquam, vel vinum cum aqua, vel saltem vinum moderate et semper in domo propria simul cum familia bibere, toties illud mercando (idque fiat in honorem Angeli custodis). Hæc qui per aliquod temporis adimplet, a suo vitio certo curatur.

145. Considerent qui hoc turpi vitio inficiantur, terribilia etiam in hac vita consecraria; luxuria et ebrietas consociantur facillime. Hinc

Prov. xxiii: *Luxuriosa res vinum et tumultuosa ebrietas; cui vix? cuius patri vix? cui ricæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet; oculi tui videbunt extraneas et cor tuum loquetur perversa, etc.* Item V. Eccli. 31. — Et Stapf, § 285: «Generatim omne vitium cui quis indulgere pergit, præter alios pessimos effectus etiam corporis vigorem et incolunitatem subvertere consuevit, dum ei vel necessaria fomenta subtrahuntur, e. g., per avaritiam; vel dum illud præmature exsuecum, et languens redditur; scilicet qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidit in manus medici (Eccli. 38). Præ reliquis, teste experientia, vinolentia atque luxuria ipsas quasi radices et prima vitæ stamina venenare solent. Exinde enim corporis maxime juvenilis robur omne pessumdari, nervorum vigor et ipsa ossium medulla exauriri, atque ut de nefanda lue quæ frequenter contrahitur, taceam, vita lenta morte tabescere consuevit, » etc.

146. Attamen præ reliquis hoc vitium in Sacerdote, præsertim pastore animarum, atrocitatem fere portentosam acquirit, dum nempe illi infra conditionem brutorum dejecti conspiciuntur, quos populi christiani duces et angelos esse oportet. Hæc Sacerdotum perversitas jam ab Isaia (c. xxvii) inter præcipua incitamenta computatur, quibus populus ad omnem impietatem, Deus vero ad acerbissimam vindictam provocetur. Qui vitæ decursu ab hoc pessimo vitio vinci non vult, juvenis utatur modico vino, et sollicite caveat ab occasionibus. Sæpe pia quidem, ast et malesana rucicolarum liberalitas Sacerdotem præcipue juniorem ad hoc vitium deflectit, dum nempe eidem ad suas ædes divertenti vinum adustum non tantum offerunt, sed obtrudunt, etiam. Iterum Stapf, § 294 et seqq. — V. Raineri, *Istruzioni, ecc.*, t. 3, *rimedi contro l'ubbrichezza*. — P. Gaetano da Bergamo, *Esame pratico sopra il vizio volgarmente detto dell' Osterio*; it. *Esortaz.* xvi.

147. An (quæres) liceat ad valetudinem curandam in morbo gravi potum sumere, si ex eo prævideatur secutura ebrietas? Valde laborant in hac quæstione. Satis probabiliter, imo probabilius id affirmant licere Layman, Lessius, Salmanticenses, Sylvester, Sylvius, Sporer, Toletus alique; hoc enim non est velle ebrietatem, sed tantum illam permittere. Ita licet matri sumere pharmacum directe tendens ad servandam suam vitam, quamvis indirecte eveniat et prævideatur expulsio foetus. Ita licet medicamen sumere ad expellendum semen morbiferum, etsi inde præter intentionem cognoscatur materia-

liter secutura pollutio, uti docent communius cum Billuart. Ita licet membrum lasum abscindere, etsi certo prævideatur sensus in illo casu sopiendos, amittendumque usum rationis. Huic sententiæ favet Angelicus, qui docet non licere, quod homo *absque necessitate redat se impotentem ad utendum ratione* (1, 2, q. 88 a. 5); ergo in necessitate, si videlicet fiat indirecte, per consequens licet.

Diximus *si fiat indirecte*, nempe si potus directe adhibeatur ex medicorum præscripto ad corrigendos humores pravos. Directe enim ebrietatem intendere est prorsus illicitum; cum ea sit intrinsece mala (S. Thomas, 2, 2, q. 150). Hinc bene docet Croix, nunquam permitti posse se inebriare ad sensus sopiendos, ne cruciatus sentiantur; quia in hoc casu directe intenderetur ebrietas, tanquam medium removendi doloriferam operationem, vel morbi aut vulneris cruciatus. — Non est tamen damnanda praxis medicorum, qui opium exhibent sensus sopiendi causa; cum virtus ejus primaria sit soporifera. Idem de æthere aspiratione hausto dicendum erit; novum ac mirum inventum (periculosum tamen), quod physici *inspirationem ætheris* appellant: quo fit, ut tanto sopore obtorpescant nervi (græce *narcosi a narcê* sopor), ut infirmus dolorosissimas chirurgicas operationes sustinere possit, quin vel minimam molestiam patiat; imo quin vel ipsos sensus amittat.

148. *Quid (dices), si quis alicui mortem minetur, nisi bibat ad ebrietatem usque?* Audiatur D. Augustinus: *Etiamsi ad hoc veniretur ut tibi diceretur: Aut bibas aut morieris, melius erit ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moveretur* (Serm. 232). Sane privare se directe usu rationis est intrinsece malum. Ita probabilius Azorius, Cajetanus, Tournely, Wigand aliique (contra multos, qui tenent tunc bibere ad ebrietatem licitum esse; nam tunc assumitur vini excessus, non animo se inebriandi, sed uti medium ad mortem fugiendam). Neque tunc adest, uti recte dicunt, causa excusans sicuti in casu præcedenti; quia ibi vinum est medium natura sua ordinatum ad morbum expellendum, seu medium quod natura exoptulat: adest enim in hoc casu periculum ab intrinseco, sive a morbo vexante. Quod autem licite quærit natura, licite ipsi conceditur; quamvis per accidens sequatur alia ex parte malus effectus. — Aliter est, si vinum ordinatur a libero agente, nempe ab homine, qui se, ut mortem vitet, voluntarie vult immodico vino ingurgitare. Quænam porro proportio inter electionem hujusmodi, et evasionem mortis? si nulla proportio naturaliter esse potest, neque etiam eligi debet tanquam medium; et proinde licet in hoc casu velit ipse præscindere ab ebrietate secutura et velit tantum suæ vitæ conservationem tueri ex illa immodica vini sumpptione; tamen, cum ista non

sit naturaliter ad hoc ordinata, neque potest sub tali respectu intendi et eligi, et ideo semper remanet in ipsa malitia ebrietatis, quam nata est producere, et quæ solummodo censetur a tali homine intendi. Neque etiam dicas quod licite permittitur amissio usus rationis, cum agitur de morte vitanda quæ est majus malum, sicuti quis potest permittit abscissionem manus; quia pars de se ordinatur ad conservationem totius corporis. Porro usus rationis non ordinatur ad corporis vitam, sed ad animæ integritatem: unde paritas non tenet.

149. *Sed (quæres) an saltem liceat aliquem ad ebrietatem inducere, si aliter impediri nullimode possit a graviori malo, v. g., a sacrilegio, ab homicidio, ab adulterio? etc.* Alii cum Lessio affirmant; hoc enim esset malum, quod amplius impediri non potest, diminuere. Alii cum Laymano dicunt licitum quidem esse ei apponere vinum meracissimum, ut ita se inebriet; non tamen ad ebrietatem eum inducere; etenim licet quidem malum permittit, non vero illud directe suadere. Alii cum Tournely neutrum concedunt; quia cum talis nequam de vino cogitet, est verum ac positivum malum curare, ut ipse se inebriet. *His tamen non obstantibus*, concludit S. Alphonsus, *prima sententia satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis sive formalis* (sive nempe simpliciter eam permittamus sive ad eam etiam inducamus); *quia licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a majori*. Nempe tunc non jam est consulere malum; sed bonum, scilicet electionem minoris mali (Liguori, *Op. Mor.*, l. V, n. 77; l. III, n. 57).

Certe tamen esset mortale alicui *sine justa causa* vinum quantum ipse velit suppeditare, si inde prævideatur ebrietas secutura; cum sit rei graviter malæ cooperari. Dictum est *sine justa causa*; nam ex justa et rationabili causa illud ministrare liceret: sic, v. g., licitum est cauponi dare vinum aut cervisiam se inebriaturis, si secus notabiliter læderetur in diminutione concurrentium, uti docent probabiliter et satis communiter cum Billuart, qui *de Temperantia* hæc verba ponit S. Thomæ: *Licite possumus uti malitia alterius, vel etiam materiam, qua abuteretur, non subtrahere, sed præbere pro aliquo incommodo vitando*.

(D) Page 46.

150. *Quot modis (quæres) quis potest de proximi bono tristari?*
R. Quinque modis potest quis de bono alterius tristari.

1. Cum quis contristatur de bono alterius absolute, quia proximi

bonum est : et dicitur odium inimicitia, vel simpliciter odium seu aversio personæ, cui volumus malum, quatenus ejus malum est. Quod quidem ex genere suo mortale est; cum directe opponatur præcepto diligendi proximum, alteri ex maximis Dei mandatis.

2. Cum quis contristatur de bono proximi relative; quia nempe ab eo timet aliquod malum: et dicitur timor. Qui erit licitus, si malum sibi vel suis timeat inferendum injuste: sic, v. g., Esther et Mardocheus contristabantur de exaltatione Amani; quia malum ingens tam sibi quam universo Judæorum populo pertimescebant.

3. Cum quis contristatur de bono proximi, non quia illud proximus habeat, sed quia eodem ipse careat. Hæc tristitia si sit circa bona spiritualia, dicitur æmulatio, et est laudanda, dicente Apostolo: *Æmulamini spiritualia* (I Corinth. 14). Si circa bona temporalia, erit bona vel mala, prout bonum vel malum erit ejusdem objectum.

4. Cum quis contristatur de bono alterius; quia talis boni eundem putat indignum: et est indignatio seu abominatio, qua aversamur personam ex displicitia ejus qualitatum, quia sunt malæ aut noxiæ, aut ingratae vel in se, vel nobis, vel aliis. Unde dicitur odium abominatio- nis. Potest esse bonum, si a justitiæ vel boni publici amore proficiscatur: ut cum quis, v. g., dolet, quia improbi promoventur ad dignitates ob damnum publicum, quod inde evenire potest. Erit tamen peccatum et quidem blasphemia, si quis serio contristetur de Dei providentia, quod impiis bona largiatur.

5. Cum quis ideo contristatur de bono alterius, quia per illud ipse timet, ne æquetur; vel quia jam æquatur aut superatur, et sic immi- nuatur ejus excellentia. Hæc est invidia proprie dicta, de qua Augustinus: *Amando quisque excellentiam suam vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur* (De Gen. ad litt., c. XIV). Ad hanc revo- catur gaudium de malo proximi, quatenus per illud ejus vulneratur et minuitur excellentia, et nostra augetur et fulget. Quare si poenitens de invidia se accuset, interrogandus qualis fuerit ejus tristitia de bono alterius; cum quælibet res e suo objecto specificetur. Item docendus in quo invidia sita sit, ne forte peccet ex conscientia erronea putans esse invidiam, ubi invidia non est. Etsi autem invidia sit grave malum in se, non est tamen *omnium* peccatorum, in proximum gravissimum; nam plus aliquis nocet proximo per furtum, homicidium, etc.

151. Invidiam ad vivum pingit Ovidius l. II *Metamorph.* :

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquam recta acies; livent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi movere dolores;

Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum; carpitque, et carpitur una,
Suppliciumque suum est.....

(E) Page 54.

152. Quoad censuram, quæ ipso facto incurritur, notamus: — 1. etsi censura latæ sententiæ illico suum sortiatur effectum; aliquando tamen, si agitur de magna re, Pontifex eam incursum esse declarat, ac quasi de novo infligit. Quod tamen non est de necessitate; sed fit, ut sic magis terreantur homines et a malo arceantur, vel etiam ut omnis tergiversatio de medio tollatur. Sic Pius VII excommunicavit Principatus Romani usurpatores; et tamen certum erat, ab istis excommuni- cationem fuisse incursum, utpote latam jam in Bulla *Cænæ* et in Tri- dentino.

2. Qui facta ex omni parte jam consummato, cui censura latæ sen- tentiæ adnexa est, subscribunt vel illud approbant ac laudant simpli- citer, non ideo censuram et ipsi incurrunt; excipe nisi ipse superior etiam simplices adprobatores includat⁴. Sed illa solummodo il ligantur, qui efficaciter ad factum illud concurrerunt, sive opus jam materiali- ter consummatum proprio voto legaliter ut ita dicam, ratihabendo; sive illud nondum consummatum laudando, adprobando; item pecu- nias vel nomen dando ad hoc, ut locum habeat, esto quod parvam pe- cuniæ quantitatem conferant, ansam tamen tribuunt, ideoque etiam efficaciter concurrunt vel ad illud efficaciter ponendum, vel ad illud efficaciter exequendum. Non est tamen dubitandum, quod in omni casu omnes laudatores ac subscriptores peccent, cum opus malum ad- probent: et si forte primitus valeant excusari putantes id sibi exemplo aliorum licere, cessat tamen hæc bona eorum fides, statim ac Ecclesia per suos Praelatos loquitur. Neque tunc amplius excusantur, sed eorum peccatum ex materiali in faciem Ecclesiæ fit formale, si admissum publice non corrigant. Sane actum esset de magisterio Ecclesiæ do- centis, si quis tuto se egisse contendat, quia dictamen suæ conscientiæ secutus fuit: hoc est spiritum privatum velle sequi; hoc est Protestan- tium placita adoptare.

⁴ Ita Pius PP. IX Encycl. 26 jul. 1855 excommunicavit usurpatores ho- norum ecclesiasticorum, nec tantum qui legem proposuerunt et probarunt, sed etiam illorum *factores, consultores, adherentes*. Quæsitum fuit an sub hoc nomine veniant etiam illi qui dictam legem adprobarunt vel adprobant verbis, et S. Pœnitentiaria 1 sept. 1855 respondit, *affirmative*, facta rela- tione Pontifici et juxta ejus mentem.

Quinam veniunt nomine *adhærentis, consulentis, consentientis, adprobantis, cooperantis*, et similibus, quos plerumque Pontifices una cum principali agente censura reservata percipiunt, hanc regulam tradit Bonacina agendo de censura lata contra invadentes et occupantes terras, civitates, loca aut jura Ecclesiæ romanæ, vel jurisdictionem in illis usurpantes, aut vexantes: duplicis generis actiones distinguit; aliæ nempe sunt *principales*, aliæ *minus principales et accessoriæ*; illæ primæ sunt octo: 1. per se vel per alium directe vel indirecte sub quocumque titulo et colore vel in totum vel in partem cum præsumptione invadere terras, loca aut jura ad Rom. Ecclesiam pertinentia, ipsique mediate vel immediate subjecta; 2. destruere; 3. occupare, hoc est rapere aut usurpare; 4. detinere, hoc est rem injuste occupatam non restituere; 5. de facto usurpare supremam jurisdictionem Romanæ Ecclesiæ; 6. præfatam jurisdictionem de facto perturbare; 7. eandem retinere; 8. eandem vexare. Nullum est dubium, quin actiones istæ dicantur sub lata censura cadere.

Actiones *minus principales et accessoriæ* sunt quinque 1. adhærere delinquentibus; 2. favere; 3. auxiliari; 4. consulere; 5. defendere. Porro actio minus principalis et accessoria *per se* non sufficit ad incurrandam censuram, nisi actio aliqua principalis sequatur (adde, vel nisi aliud declaret superior). Sic, v. g., qui equos, arma, milites, victualia, opes, pecunias, aut res alias voluntarie præbet; aut consulti, suadet, hortatur; aut transitum per sua loca concedit ad faciendam aliquam actionem principaliter prohibitam, afficitur excommunicatione, quia isti non solum adhærentes, verum etiam sequaces et factores vocantur. (In ejus *Summa*, de censuris Bullæ *Cænæ*.)

153. Aliquando etiam *bruta* dicuntur excommunicari vel anathematizari, ad significandum videlicet quamdam adjurationem pro ipsorum interitu et expulsionem; non autem in sensu genuino et proprio.

Imo etiam *mortui* excommunicari dicuntur, sed improprie: hoc intelligitur vel de quadam execrationis specie; vel de excommunicationis declaratione, quam ante mortem incurrerint; vel tandem de excommunicatione indirecta, qua nempe Ecclesia prohibet, ne orationes pro iis effundantur, aut alia iisdem præstentur externa ac publica christianæ charitatis officia.

(F) Page 56.

154. Etiamsi concederetur censure nomen sæculis recentioribus in Ecclesia fuisse inductum, nihil inde consequeretur; cum sit indubitatum semper in usu fuisse rem eo nomine significatam. Sane semper in

usu fuerunt in Ecclesia tum Latina tum Græca vocabula *canonicæ destructionis, pœnæ et gladii spiritualis, mucronis medicinalis, etc.*, quæ idem sonant ac censura. Verum falsum est censure nomen recenter fuisse inductum; Gratianus enim citat canonem Concilii Tole-tani anno 675, ubi legitur: *Quisquis autem horum decretorum violator extiterit, sex mensibus communionem privatus... sub pœnitentiæ censura permaneat corrigendus*. Quis autem dicere audeat recenter inductum nomen, quod ut notissimum, atque vulgare legimus usurpatum in Hispania jam a VII sæculo? (*Decr.* part. 1^a, dist. 12, c. xiii.) — Vid. Scotti, *Teoremi, ecc.*, part. 2^a, Teor. vii. — *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiast.* Lugano, 1844, tom. 1, pag. 291.

155. Marsilius Patavinus docuit, ad censuram inferendam requiri etiam civilis Principis vel Reipublicæ auctoritatem; sed tanquam hæretica semper hæc ejus doctrina in Ecclesia Catholica habita est. Sane Christus non Principibus, non Reipublicæ civili, sed solis Apostolis, imprimis D. Petro hanc potestatem tradidit. Et ea semper tam Pontifices, quam Episcopi usi sunt absque ulla dependentia ab auctoritate civili. Adde Tridentinum solemniter ad rem hoc tulisse Decretum: *Nefas autem sit sæculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet;... cum non ad sæculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat* (Sess. 25, c. iii, de R.). V. Devoti, *Inst. Can.*, lib. IV, § 12, nota 4. — Muzzarelli, *Il buon uso della logica, ecc.* Opusc. 9: *La scomunica*. — Liber, *Comandi chi può, obbedisce chi dee, ecc.*, p. 177. — Bianchi, *Polizia della Chiesa*, t. III.

156. *Quid si alicubi regium placitum vigeat?* — R. Etiam iis in regionibus, ubi Romani Pontifices concesserunt, ut ipsorum decreta nonnisi post principis acceptationem seu visionem publicentur et oblineant, placitum hoc nullimode requiritur in rebus fidei ac morum. Harum enim rerum potestas est ipsi Ecclesiæ intrinseca et independens, cum ejus tantum sit docere, regere, tueri et pascere fideles salutaribus pascuis, a noxiis eos arcendo.

157. Hinc mirum, quod alicubi nequiverit publicari dogmatica Bulla de immaculato Virginis conceptu, sine prævia gubernii approbatione ac licentia. Hinc probrosum, ut tot difficultates perquirantur, emittantur quoad Pontificum Decreta, ubi pestilentissima quæque in lucem edi permittuntur quotidie cum tanta animarum ac civilis societatis pernicie; dum in Patrem adhibetur sævities, malis omnibus omnis conceditur licentia! — Cum porro censura respiciat rectam vivendi normam, sitque res spiritualis et ecclesiastica juxta ipsos etiam adver-

sarios, et ejus comminatio dirigatur ad continendos fideles eorumque religiosos mores tuendos, certo certius, nullibi regio placito indiget, ut vim habeat suam; et in hoc omnes consentire debent, qui sunt firmo ac sano judicio præditi. Hoc adeo verum est, ut Napoleo I, ad vim excommunicationis in ipsum latam enervandam, illam irridebat quidem, at de necessitate placitationis nullum verbum fecit. Adde; quæ identidem infliguntur censuræ a Pontificibus, non tam novæ sunt, quam noviter prolata ac renovata ad majorem terrorem; cum jam aliunde vigeant, utpote insertæ in corpore juris Canonici, aut in Tridentino ab omnibus utique generatim recepto: uti est, v. g., censura lata in usurpatores honorum Ecclesiæ, in laicos ecclesiasticorum carcerarios, percussores quæsitores, punitores, etc. Ergo tanto minus hoc placitum requiritur ad monitoria quæ aliquando dictis censuris præcedunt; sunt enim præambula ad illas; qui porro jus habet ad rem, jus etiam habet ad illius accessoria, et necessarias solemnitates. — V. Bouix, *De principiis*, part. 2, sect. 2. — Riccardi, *Gemiti*, etc., *Convers.* IV. — *Civiltà Cattolica*, vol. VIII, anno 1852, pag. 40: *L'Exequatur, per le dottrine*. — *Concordatum Austriacum*, art. 2.

Tandem *Allocutio* Pii IX habita in Consistorio 5 nov. 1855 aperte tradit falsam jam opinionem, perversam, funestissimam, oppositam aperte divino Primatui et jam damnatam, quæ docet placitum Regium necessarium esse pro rebus spiritualibus et ecclesiasticis negotiis.

158. Dices: *Cum Ecclesia sit in Statu, nihil nisi dependenter ab ipso constituere potest, ne confusio inducatur; ergo leges et maxime punitiones nullius roboris esse debent, neque tolerandæ sine Regis venia et probatione*. — R. Cum Nardi, *Éléments de droit ecclésiastique*, II part., c. II, a. 1: « L'État ne doit tolérer dans ses limites aucun pouvoir du gouvernement qui gravite dans sa sphère et ne dépende pas de lui. Ce n'est pas dire qu'il ait le droit d'absorber toute force et toute activité, mais celles seulement qui appartiennent à sa raison d'être... D'où nous tirons cette conclusion: l'État et l'Église ne sont point identifiés l'un à l'autre: ils coexistent, comme deux personnes morales, juridiques, libres, indépendantes, parfaites, destinées toutes deux à procurer le bonheur du genre humain, mais à des points de vue différents, et par des moyens différents aussi. » — Unde unaquæque potestas circa actus suos omnino libera est, et potest sicuti indicere præcepta, ita etiam transgressores punire. (*Vid. De la paix entre l'Église et les États*, par Clément-Auguste, bar. de Droste-Vischer, archevêque de Cologne. — *Vid. etiam Annali religiosi*, t. XIII, pag. 207. — *Civ. Catt.*, serie 2, vol. VI: *L'autorità sociale*. — Boyer, *Défense de l'Église catholique contre l'hérésie constiui-*

tionnelle qui soumet la Religion au magistrat, renouvelée dans ces derniers temps, Paris 1840.

(G) Page 59.

159. Q. 1. *An Episcopus, si sit extra Diocesim, possit censurare suos?*

R. Ut res plenius intelligatur, præmittimus cum Ferrante: censuras ferre est de potestate jurisdictionis; jurisdictionis autem alia est *voluntaria*, alia *contentiosa*: illa exercetur in volentes, nullamque exigit formam judicii, ut est potestas vota dispensandi, peccatores absolventi, etc.; hæc igitur cum fiant sine contentione, possunt in subditos ab Episcopo exerceri, etiam si sit extra Diocesim. Sicut ipse potest exercere potestatem Ordinis, cum sit ad instar voluntariæ (si tamen usus non requiratur Pontificalium, qui extra Diocesim penitus interdicitur sine licentia Ordinarii loci) — Contentiosa vero jurisdictionis quæ cum exerceatur in invitos, id est in contententes, judicii formam exigit, regulariter extra Diocesim absque Ordinarii licentia nequit exerceri; esset enim turbare ordinem, et imperium in imperio ponere.

Dicimus *regulariter*: in jure enim excipitur: 1. si contumacia sit tam manifesta, ut non egeat cognitione causæ; tunc enim ipsa res per se interpellat. Vel si causa jam sit cognita in proprio territorio; jam enim Episcopus jus acquisivit; 2. si censura feratur per modum præcepti aut statuti ad vitanda delicta communia; cum nullus tunc interveniat strepitus judicialis; 3. si Episcopus sit injuste expulsus a sua Diocesi (modo ab Ordinario loci licentiam petat, ne videatur dominium agere ubi dominus non est, licet eam non obtineat); neque enim sine culpa est jure suo privandus (Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 21).

Q. 2. *An Episcopus, in propria Diocesi existens, possit ferre censuras in suum subditum, qui in aliena Diocesi delinquit; vel in non subditum, qui delinquit in propria Episcopi Diocesi?*

R. Ad 1: Si censura feratur per præceptum particulare, subditum ligabitur etiam in aliena Diocesi delinquens, ut probabiliter tumentur Croix, Layman Sporer et Suarez contra Continuatores Tournely, Roncaglia, Avila et Holzman: ratio est, quia præceptum immediate afficit personam ubicumque sit. Necesse tamen est, ut ipse ante transgressionem fuerit monitus, nempe ut sciat datum esse tale præceptum sub poena censuræ, ut sic dici possit contumax: quod quidem satis fit per particulare edictum. Esset, v. g., si Episcopus speciali mandato typis dato Sacerdotibus sub poena suspensionis ipso facto vetuerit, ne Missam

absolvant breviorē horæ quadrante. — Si vero lata sit per modum statuti seu legis generalis, quæ quidem afficit locum, non ligatur uti patet: quo sensu Bonifacius VIII ait, non incurrere excommunicationem latam contra furantes a suo Ordinario eum, qui extra ejus territorium furaretur. Excipe: nisi delictum censeatur commissum in propria Diœcesi, uti est de censura lata in eos, qui non resident, vel ad Synodum non accedunt. Vel si Episcopus censuret Clericum, qui teli Ecclesiæ assistere debeat, et extra Diœcesim sit, et renuat assistere; ratio autem est, quia peccatum non residentiae intra proprium territorium censetur consummari (V. Liguori, *Hom. Apost.*, tr. XIX, n. 5).

R. Ad 2: Etsi peregrini, qui, peccant in aliena Diœcesi, non incurrant censuram, quam illius Diœcesis Episcopus jam infligit in taliter peccantes, cum non sint ejus subditi; possunt tamen hic et nunc censura puniri: quod jure merito constitutum est, ut sic coerceantur mali. Sed requiritur, ut non agatur de persona exempta: item ut Episcopus eum antequam e territorio discedat, citatione praeveniat; tunc enim non subditus ratione iudicii inchoati subjectus illi remanet.

Prælati regulares possunt censurare suos subditos quocumque loco existentes; quia eorum jurisdictio est magis personalis, quam territorialis. Etiam Episcopi possunt Regulares licet exemptos censurare, nempe si delinquant extra clausuram vel Ecclesiam propriam, quia exemptio respicit directe locum, non personas (Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 591; VII, n. 25. — Bouix, *De judiciis*, p. 1).

160. An (quæres) *censura possit esse injusta, sed valida?* Si injustitia censuræ se teneat tantum ex parte excommunicantis, uti si censuram ferat ob verum crimen, quod revera censuram meretur, sed id superior agat ex odio, ex invidia, ex privata vindicta, etc.; censura servanda est et timenda: *Sententia pastoris*, ait S. Gregorius Magnus, *sive justa sive injusta sit, timenda est.* (Homil. 6 in Evang.). Sane tunc deficit solummodo in accidentalibus. — Si vero censura injusta sit, quia deficit in substantialibus, nullius est roboris; si tamen in foro externo valida appareret, esset exterius servanda, ad vitandum scandalum et iudiciorum perturbationem.

161. Quæres: *Quomodo se gerere debet dubitans circa censuram?* Cum distinctione: vel dubitat utrum censuram incurrerit; vel utrum ab ea sit absolutus, aut appellationem interposuerit. — Si 1, præcluso scandalo, si dubium vinci non possit debita inquisitione, dubitans de censura se gerere potest perinde ac si eam minime incurrerit; quia ipse possidet in hoc casu propriam libertatem, et in dubio melior est conditio possidentis. Ita Layman, Roncaglia, Mazzotta, Holzman, Salmanticenses, Sanchez, etc. — Si 2, haberi debet tanquam censura innotatus ob contrariam rationem; cum possessio in hoc casu stet pro

censura. Idem dicendum si dubitetur de potestate Superioris, qui illam jam pacifice teneat (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, nn. 66, 67).

An quis possit censuris pluribus simul innodari? Affirmative; sicut enim potest quis plura perpetrare peccata specie, numero et gravitate diversa, ita et diversis ligari censuris; est commune cum D. Thoma (p. 3, q. 22, a. 6). Imo probabilius propter unum delictum potest quis ligari a diversis, a jure et ab homine, a Papa et Episcopo, ita ut ab utroque debeat absolvi. Sicuti reus catenis obstrictus ab uno, nihil prohibet quominus possit devinci novis catenis ab alio. Hinc si quis Clericum occideret in loco, ubi homicidium sub censura Episcopali est prohibitum, esset censuratus a Papa et ab Episcopo; a Papa ob injuriam in Clericum, ab Episcopo ob homicidium in hominem (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 28, ubi plures casus).

(II) Page 70.

162. Celebris Bulla *Cænæ* (quæ incipit *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia*) est antiquissima, de cujus origine certo non constat: jam a Paulo III, an. 1556, publicabatur Romæ singulis annis feria V in *Cæna Domini*; ac propterea dicta fuit Bulla *Cænæ*. Quæ tamen, uti dicunt, nunquam fuit recepta in Hispania, neque in Germania (neque Venetiis juxta aliquos), neque in Gallia. Lata est propter tria: tum ut servetur *integritas fidei catholicæ et romani Principatus*; tum *societas inter ipsos fideles*, Bullam exponunt inter ceteros Bonacina, Duardus, Palaus, Abreu, *Instructio parochi*. — Ferraris, V. Bulla *Cænæ* (artic. novus Cassinensis).

Causæ autem his versibus contrahuntur:

Hæretici; a Papa appellantes, atque pirate;
 Augens vectigal; vel Breve falsificans.
 Hostibus arma ferens; seu victum qui amovet urbe;
 Quos Papa aut pietas aut sua causa ciat.
 Præsulibus gravis, ad laicos et sacra trahentes;
 Prælati, Ecclesiæque usurpans jura, onus et qui
 Illis statuit; laicus Clerum si crimine damnat.
 Sedis Apostolicæ terras quique occupet atrox:
 Hos omnes *Domini Cænæ* anathema ligat.

Etsi a tempore Clementis XIV, non amplius Romæ publicetur Bulla *Cænæ*, ut prius erat in more singulis annis; adhuc tamen pergit obligare, et passim ab omnibus citatur pro iis locis, ubi jam erat in vigore

(neque sane ulla positiva ac contraria lege fuit abrogata). Unde temeritatem non fugeret qui id negaret, cum sit contra universalem Episcoporum, et Theologorum vigentem sententiam atque sanam doctrinam. Illa enim publicatio non erat necessaria conditio ad Bullam, cum id nullibi legatur præscriptum, sed quædam tantum solemnitas ideo inducta, tum ut nullus illius oblivisceretur, tum ut magis tererentur mali. Sic plura quotannis contra sectas occultas, honorum ecclesiasticorum usurpatores, decimarum detentores, etc., in Ecclesia Dei repetuntur Constitutiones ac Decreta, quæ si non repeterentur, non ideo vim amitterent suam, in omnium iudicio. Neque ullibi invenitur, quod leges Ecclesiæ debeant publicari singulis annis, ut obligent.

163. Nota: quod pertinet ad Collegiorum directores ac confessarios si ipsi facultatem habeant, atque eveniat casus, quo aliquem alumnus debeant ab incursa censura absolvere, hæc notent: — 1. si agatur de censuris a jure latis nec reservatis, etsi alumnus possint etiam extra Confessionem absolvere, id tamen non agant, nisi in Confessione juxta hodiernam praxim adhibendo tantummodo formam consuetam: *Absolve te ab omni vinculo*, etc.: quæ absolutio valet etiam pro foro externo; — 2. si censura est reservata, sed Director sit vel ab Episcopo vel a S. Penitentiaria ad absolvendum delegatus (ut solet delegari in casu percussione alicujus Clerici), tunc non nisi secreto, et in Confessione absolvere potest: utatur autem supradicta forma; — 3. ad solemnem et publicam absolutionem prout ea describitur in Rituali, procedere non debet sine mandato Episcopi, qui id tantum præcipere solet, quando crimen toti communitati maximo scandalo fuit. Hoc valet etiam pro ceteris confessariis a censura absolventibus.

164. Quoad absolvendi facultatem attinet Episcopi possunt absolvere et a papalibus occultis, etiam post Tridentinum reservatis, quia Concilium indefinite dat hanc facultatem: excipe si in aliqua posteriori Bulla adsit clausula derogatoria, ut si dicatur, *non obstantibus decretis cujusvis Concilii, vel nisi in mortis articulo*, etc. Possunt autem Episcopi ab hisce occultis casibus absolvere etiam alienigenas, cum fiant subditi in Penitentia Sacramento. Hanc ipsam facultatem habent etiam Vicarii capitulares, sede vacante. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 595, etc. — Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. XIX et XX.

Quæstio est, *an Episcopus possit absolvere etiam ab excommunicatione lata in Confessarium, qui complicem suum absolvit, si casus sit occultus?* Negat Diana, nam casus iste per se occultus est, et ideo si Episcopus posset ab illo absolvere, foret inutilis Pontificis reservatio. Sed alii plures probabiliter affirmant cum Salmanticensibus; nam non omnino redderetur inutilis reservatio; quamvis enim ordinarie loquendo casus ille occultus sit, potest tamen evenire, ut publicus

evadat ex divulgatione penitentis, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 556.

Illi casus reputantur occulti, qui in iudicio non fuerunt probati, et aliqua tergiversatione celari possunt in vicinia, ut si paucis, v. g., tribus aut quatuor personis discretis innotescerent tantum, aut si factum appareret dubium. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 595. R. Crimen autem habetur *deductum ad forum contentiosum*, quando ibi probatum est saltem per unum testem; si tamen reus se purgavit a crimine in iudicio, etiam malis artibus, poterit ab Episcopo absolvi tanquam de delicto occulto.

An (quæres) valida sit absolutio extorta per metum? R. Si metus ille juste incussus est, v. g., si absolutio extorta sit a iudice, qui recusat absolvere eum, quem ideo censuravit ut parti læsæ satisfaceret, si jam integre et ex animo satisfacit, tunc metu extorta absolutio valida est; quia cogitur superior ad quod jam tenetur. Si vero metus sit injuste incussus, absolutio illa erit invalida: imo qui metum incutit, nova excommunicatione irretitur (cap. *De his qui vi in 6*). Pariter nulla est absolutio data ob falsam causam, quæ sit principalis. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 119.

Quæ requiritur forma pro absolutione a censura? Ad valide absolvendum nulla requiritur determinata verborum, vel actuum externorum forma; cum in jure nihil determinetur usurpandum sub poena nullitatis: unde sufficit si Superioris voluntas signo aliquo sensibili manifestetur, ut alteri nota fiat. Sed ad licite absolvendum in foro interno ista adhibetur forma in Penitentia consueta: *Absolve te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti*; in foro vero externo adhibetur forma in ipso Rituali descripta.

(1) Page 73.

165. Res per se loquitur: qui in excommunicationem incidit, ideo est, quia Ecclesiam non voluit audire; sed qui Ecclesiam non audit, ex Christi verbis, est habendus ut ethnicus ac publicanus. At numquid poterit ethnico Sacramentum ministrari, sepultura ecclesiastica donari, et alia bona Ecclesiæ ei tribui, qui renuit Ecclesiæ præsulibus se subdi, neque Ecclesiæ bonis frui meretur? Necessè ergo est, ut primum se retractet a sua perveracia: vel privatim, si ejus delictum occultum sit; vel publice, si delictum fuerit publicum.

Neque sufficit protestari, se velle catholice vivere et mori; Ecclesiæ non verbis tantum, sed maxime operibus obtemperandum est: unde quando Ecclesiæ aperte loquitur, absoluta et absque ulla conditione

submissio nostra esse oportet. — Neque etiam faceret, si quis protestaretur, se omnia peccata sua confessum fuisse, ideoque suæ obligationi satisfecisse; nam Confessio est de foro interno, et nemo potest vel debet scire quid in Confessione actum sit. Sed quoad alia Ecclesiæ Sacramenta res est de foro externo: hinc si publico censura nota est, publico debet esse nota, si aliud non obstat, hic et nunc retractatio, ne dicatur indignis Sacramenta ministrari (V. *Allocutio* Pii IX, 1 nov. 1850, *In Consistoriali*).

Norma hæc esse solet, ut requiratur tum generalis fidei professio, tum et maxime expressa retractatio erroris, in quem quis lapsus merito creditur.

166. Hic etiam notare non abs re erit, nempe jansenianum esse dicere excommunicationem non incurri ab illo, qui intentionem non habet eam incurrendi, imo habet intentionem contrariam, servandi scilicet unionem cum Ecclesia per charitatem, qua etiam expulsus non intendit ab ejusdem sinu disjungi. Hæc fuit tristissima et fallax Paschasii Quesnelli argutia ad eludendam Ecclesiæ potestatem in censuris ferendis: *Nunquam nos* (inquirebat iste) *eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo et ipsi Ecclesiæ per charitatem affici sumus*: quæ propositio sub numero 91 a sancta Sede damnata fuit. Et jure merito, nam quid, quæso, discriminis est (in re quidem, si non in verbis) inter dictam Quesnellianam sententiam et illam Martini Lutheri: *Excommunicationes sunt pœnæ externæ*? Atque ut discipulos suos ad conculcandas Ecclesiæ excommunicationes inflammaret magister audacissimus, hæc addebat pravitatis hæreticæ plenissima verba: *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo officio nostro. Pati potius iniquam excommunicationem et anathema injustum quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum: tantum abest ut sit erigere se contra auctoritatem aut scindere unitatem. Proh Jupiter! Apage hæc immitia poma e scholis nostris in æternum et ultra!*

167. Vel apud ipsos gentiles obtinebat hæc spiritualis pœna; absit ergo, ut eos audiamus, qui ideo Ecclesiam insectantur. *Si quis privatus aut publicus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicitur* (ita de Druidibus sacerdotibus scribit Cæsar, *de Bell. Gall.*, l. VI, c. v). *Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur; ab iis omnes decedunt; aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant; neque iis petentibus jus redditur, neque honor ullus communicatur.* Similia habet Tacitus, *Hist.*, l. V, n. 5.

Apud Judæos autem triplex erat excommunicatio: alia minor *separatio* (*niddui*) nuncupata, in qua triginta diebus usus Sacrorum erat interdictus; alia *anathema* (*cherem*), quæ reum Synagoga et civili commercio extorrem faciebat; alia *excisio* (*schammata*), quæ 400 tubis promulgabatur, omnemque in Synagoga regressus spem præcidebat; imo, juxta plures, etiam sententiam mortis involvebat. V. Calmet, *Dictionarium histor. chronol. Sacræ Scripturæ*, v^o Excommunicatio.

(J) Page 79.

168. En Extravagans Martini V in Concilio Constantiensi, vi cujus licet fidelibus communicare cum excommunicato tolerato: *Insuper ad evitanda scandala et multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, omnibus Christifidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus quod nemo deinceps a communione alicujus, Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis vel extra: prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur abstinere vel aliquid vitare aut interdictum ecclesiasticum observare. Nisi sententia vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, aut locum certum, vel certa, a giudice publicata vel denuntiata specialiter et expresse. Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque: salvo si quem pro sacrilegio et manuum injectione in Clerum sententiam latam a canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari. Nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstinere, juxta canonicas sanctiones.* — V. Bonacina, *De excommunicatione*, disp. 2, q. 2, punct. 2, § 2, ubi clare et fuse pro more.

Et inde additur ex Bulla Leonis X quinto Lateranensi inserta: *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, suspensos et interdictos seu prohibitos, non intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodo libet suffragari.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VII, n. 155.

169. Ponimus hic pro praxi quædam S. Pœnitentiariæ responsa (data ad mentem Pontificis) quoad eos qui bona Ecclesiarum usurparunt vel usurpatoribus auxilium dederunt, pro quibus adest excommunicatio latæ sententiæ reservata: quæ responsio pro casibus similibus valet (plurima alia vid. *de cooperatione*, in Adnotat.).

Q. 1 : Si ceux qui ont coopéré en quelque manière à l'usurpation des biens ecclésiastiques peuvent être admis comme parrains aux Sacraments de baptême et de confirmation? — Réponse : La Sacrée Pénitencerie, après avoir mûrement pesé le doute proposé, répond que depuis la publication de l'Extravagante de Martin V *Ad evitanda scandala*, soit dans l'administration des sacrements, soit dans tout autre acte religieux ou non, les fidèles ne sont pas obligés d'éviter une personne, à raison d'une sentence quelconque ou d'une censure *a jure* ou *ab homine*, promulguée en termes généraux, si cette sentence n'a pas été publiée nominativement contre cette personne, surtout quand ils prévoient un scandale ou d'autres maux résultant de leur éloignement. Les excommuniés, interdits, suspens, qui n'ont point été réhabilités, savent bien qu'ils commettraient un péché, dont la gravité croît en raison directe du scandale causé, si, nonobstant les censures, ils communiquaient avec les fidèles *in divinis*.

Q. 2 : Si le curé, ou celui qui le remplace, peut assister au mariage que ces personnes veulent contracter, sans avoir auparavant acquis la certitude qu'elles sont absoutes de leurs censures? — Réponse : Le curé requis d'assister au mariage d'un excommunié notoire, doit commencer par dissuader de cette union les contractants, empêcher ou suspendre le mariage tant que l'excommunié ne s'est pas réconcilié avec l'Église. Si ses efforts sont inutiles, qu'il doive en résulter de graves scandales, du dommage pour le pasteur ou pour la paroisse, le curé pourra assister au mariage d'un excommunié notoire mais toléré. L'évêque jugera des circonstances, et, prenant les précautions voulues, accordera au curé l'autorisation.

Q. 3 : La Sacrée Pénitencerie, à la date du 5 septembre 1855, ayant répondu que les évêques et les pasteurs doivent se conduire *passivement* (*passive se habeant*), quand il y a danger grave et imminent de dommage public, d'emploi de la force, s'ils ne procèdent pas à la sépulture des personnes susdites qui n'ont pas fait rétractation, on demande si cette décision regarde la simple inhumation, en sorte qu'on puisse les laisser enterrer en terre bénite, ou si, pour éviter le danger, le curé peut accorder les honneurs funèbres, accompagnant le corps à l'église avec le clergé et les confréries, chantant la messe, etc.? — Réponse : Qu'ils consultent le droit divin et ecclésiastique, et les auteurs approuvés. (V. *Dicta de privatione suffragiorum*.)

Q. 4 : Dans quelques rescrits qui accordent l'autorisation d'absoudre les intendants et les fauteurs de la loi de spoliation ou ceux qui l'ont fait exécuter par la force, on marque, entre autres conditions, celle de réparer le scandale (*eo meliori modo quo potest*); cette condition est diversement interprétée et dans quelques lieux, sans avoir

exigé de réparation, on les a admis aux sacrements. On demande si cet exemple peut être suivi, parce que, si l'on exigeait une rétractation quelconque de ces employés, ils risqueraient de perdre leur place, et c'est là un très-grave dommage pour eux et leur famille.

Q. 5 : On demande encore, dans le cas où ces employés courent risque d'être destitués, leur rétractation étant connue, s'ils peuvent se contenter de la faire en présence de l'évêque ou de leur confesseur. Pour éviter le scandale qui en résulterait s'ils s'approchaient des sacrements sans rétractation publique, peut-on les leur administrer en secret, en admettant qu'ils soient toujours disposés à se rétracter publiquement en danger de mort, ou s'il survient un changement dans le royaume?

Réponse aux deux Demandes. Il suffit, pour leur rétractation, qu'ils demandent pardon à l'église lésée, et qu'ils réparent le scandale donné aux fidèles; mais tout cela doit se mener avec prudence, afin d'éviter de les détourner de la pénitence; il suffira encore que la rétractation se fasse entre les mains de l'évêque et qu'on en dépose le texte écrit au secrétariat de l'évêché; le confesseur même pourra la recevoir et la transmettre à l'évêque, avec toutes sortes de précautions pour qu'elle ne soit point connue. S'il s'agit d'un malade en danger de mort, la rétractation faite de la manière indiquée suffira, pourvu qu'elle soit connue avant l'administration du saint Viatique. Si elle n'avait pas été faite du tout, elle se fera en présence du confesseur et de deux témoins pour être ensuite remise à l'évêque, et publiée après la mort du malade. Du reste, la Sacrée Congrégation ne croit nullement convenable d'admettre en secret aux sacrements ceux qui ne se seraient point rétractés de la manière susdite, à cause du scandale qui en résulterait pour les fidèles persuadés que le pénitent est encore lié par la censure.

Q. 6 : Les employés du gouvernement étant continuellement exposés à renouveler l'exécution de la loi mauvaise, ne serait-il pas à désirer que les évêques pussent leur accorder des dispenses dans des cas particuliers, après qu'ils auraient eu recours au Saint-Siège?

Q. 7 : Ne faudrait-il pas aussi de plus amples pouvoirs pour ce qui regarde l'achat ou la ferme des immeubles de l'Église usurpés?

Réponse. La Sacrée Pénitencerie répondra dans des lettres individuelles.

Donné à Rome, à la Pénitencerie, le 5 juillet 1857.

In Opere *Analecta juris Pontificii anno 1860*, pag. 2390, legitur : « Ayant été consultée pour savoir s'il serait permis, le jour anniversaire de la mort d'une princesse protestante, de célébrer un service

funèbre avec la messe pour le repos des âmes des défunts de la famille royale, la S. C. a répondu, le 25 mars 1859, non licere, et detur exemplum epistolæ in forma brevis Gregorii XVI 9 jul. 1842 ad Rupert. Feiss, præsidem monachorum de Scheyern. »

En Breve :... Litteras accepimus, quibus... significas carissimum in Christo filium nostrum Bavariz regem in restituendo vobis cœnobio eam apposuisse conditionem, ut monachi in sua ecclesia funus celebrare tenerentur pro rege ipso cum morietur, et in anniversariis porro diebus in perpetuum; itemque pro regina conjuge ac pro futuris deinde seu regibus seu reginis tum in cujuscumque obitu tum in diebus anniversariis qui usque ad subsequens mortem intercedenti. Addis autem, te quidem, dilecte fili, jam tum præsensisse difficultatem ex eo facile obventuram quod serenissima regis uxor a catholicis sacris aliena est; sed nihilominus ex cujusdam prudentis, ut putabas, viri consilio induxisse animum, ut conditionem illam acciperes ea mente, ut si deinceps eadem regina extra communionem catholicam moriatur, sacrificium missæ in ipsius funere et anniversariis diebus offeratur pro regia catholica familia universim. Verum cum nuper in morte acatholicæ item mulieris serenissimæ reginæ viduæ non levis circa ejus funus toto regno dissensiones extiterint, tum esse durasti referre ad nos de conditione illa hac de ratione a te monachisque tuis eo in casu tenenda, sententiam nostram exposcere. Nos igitur sanctissimis insistentes Ecclesiæ regulis respondemus, intentionem illam offerendi divinum sacrificium seu alias preces pro defunctis e catholica regia familia universis, haudquaquam satis esse ad cohonestandum, publici funeris causa, quod pro acatholica persona nominatim postulatum est, et in ejus obitu aut annua die celebratur; atque hinc nos ipsi etsi te, dilecte fili, tuosque monachos paterna charitate prosequamur, ea tamen quæ ad cœnobium istud ejusque res pertinent, non antea probaturi et confirmaturi erimus, quam conditio illa, incaute a vobis suscepta, ad sola catholicorum principum funera restringatur. Nec enim permittere possumus, ut ullo modo fraus fiat prohibitioni illi quæ in catholica ipsa doctrina innititur, de sacro funere pro defunctis acatholicis non celebrando. Age itaque, dilecte fili, impende tuam omnem industriam atque operam quo serenissimus rex pro pietate sua id omnino annuat... Interea si ante rem cum sua majestate compositam contingat, quod Deus avertat, reginam serenissimam extra veram catholicam fidem supremam diem obire; multa tibi monachisque tuis firmitate animi prudentiaque opus est, ut vos quidem gravissimum illud ecclesiæ sanctæ interdictum minime violetis, et pius rex intelligat

haudquaquam fieri posse, salvis religiosis officiis, ut eidem ea in re morem geratis...

(K) Page 84.

170. Eandem circa cœmeteria jurisdictionem habet Episcopus, quam circa Ecclesiam (de immut. Eccl. c. 2 in 6 de sepult. c. 15); sunt enim cœmeteria loca religiosa ac sacra, speciali benedictione consecrata ideoque ab humanis subducta; imo est veluti pars Ecclesiæ, ad quam quidem spectat, cujus etiam loco sufficitur; cœmeterium enim in suo sinu religiose recipit mortuos quos Ecclesia habuit vivos. Hinc Ecclesiæ tantum esse debet dignos in eo recipere, indignos repellere. V. Gilbert, *Corpus juris Canonici, Tract. de Eccles. tit. 7, § 2.* — L. Ferraris, *Bibl. Canonica*, art. novissimus: *Cœmeterium.* — Affre, *Traité de la propriété des biens ecclésiastiques.* Paris, 1857. — Armonia, Torino, anno 1854, n. 158, 16 novembr. — *Il Catolico di Lugano*, 1848, vol. xxxi.

Cum ecclesiastica sepultura pars sit catholicæ communionis quæ etiam post mortem manet, ideo merito ab illa repelluntur, qui viventes ea communione carebant, atque ab Ecclesia sejuncti ab hac vita publice migraverunt. Hinc e pluribus juris capitibus ecclesiastica sepultura privantur judæi, ethnici, infideles omnes et infantes non baptizati, apostate, hæretici, schismatici manifesti, nominatim interdicti, suicidæ, duellantes in torneamentis, usurarii manifesti, fures et latrones in crimine deprehensi et occisi, raptores Ecclesiarum si non satisfecerint, qui Paschate non communicaverint, uno verbo publici peccatores, quos constet impenitentes decessisse. Qui hos temerarie sepelierint in catholico cœmeterio graviter delinquant; imo si sepelierint aliquem infidelem, aut hæreticum declaratum aut excommunicatos vitandos, nempe vel publicos Clericorum percussores, vel nominatim declaratos excommunicatos, vel suicidas (can. *Si quis*; Extr. *Ad evitanda* et *Bulla Detestabilem* Benedicti XIV), incurrunt etiam excommunicationem ipso facto; taliter sepulti, si adhuc fieri possit, sunt extrahendi ex sepultura, et cœmeterium est reconciliandum; et interim sub gravi peccato prohibetur aliquem in eo sepeliri: quod si necessitas urgeat sepeliendi, locus sepulturæ benedicatur, prout habetur in Rituali. — V. Devoti, *Inst. Can. de sepulturis.* — L. Ferraris, *Bibl. Canonica*, v^o *Sepultura*; Ecclesia, art. iv. — Liguori, *Op. Mor.* II. 1, *append.* 2, n. 91; I. IV, n. 565; *Homo apost.*, tract. XIX, n. 20; tract. XX, n. 91. — Nardi, *Elementi de diritto Eccl.*, § 518.

171. Pro praxi hæc notamus: — 1. contingere potest, ut quis Sa-

cramentis fuerit privatus, non tamen ecclesiastica sepultura, ut si quis, v. g., excommunicatus in ultimo vitæ suo puncto sese poeniteat, nec amplius fiat locus Sacramentis.

2. Qui morte ab humana justitia plectuntur, sepeliendi sunt in loco sacro, si signa dederint poenitentiae, sed sine solemnitate.

3. In dubio, an sit deneganda sepultura sacra interrogandus Episcopus; si non potest interrogari, concedenda juxta illud: *In dubio odia restringenda*; idque magis, cum hodie tot incommoda ex denegatione sequantur, quibus præstat occurrere. Hinc etiam si Sacerdos solus testis fuerit repulsæ moribundi, taceat, ni aliud obstet, ut sic vitet scandalum.

4. Mimis et comædis sacra sepultura non est deneganda, cum nulla sit lex Canonica, quæ eos sepultura ecclesiastica privet.

5. Cum benedicatur cœmeterium pars aliqua extrema illius sine ulla benedictione relinquatur, ut inserviat pro sepultura infantium non baptizatorum, aliorumque, quibus denegatur sepultura Ecclesiæ: nec requiritur, ut illa pars per murum, vel quid aliud separetur (etsi murum desiderent), modo discerni possit. Cum tamen nonnullis in locis contingat, ut sacrilege per vim sepeliantur in loco sacro qui sepeliendi non sunt; sapienter in illis locis statutum est ad præcavendam profanationem, ut omittatur totius cœmeterii benedictio, sed ut singulis vicibus benedictio fiat ejus loci, in quo cadaver est deponendum. *Gousset, Gury, etc.* Ceterum, quoad potest, servetur usus, et semper interrogetur Episcopus.

172. On doit refuser la sépulture ecclésiastique à ceux qui, passant publiquement pour ne s'être pas confessés dans l'année, et n'avoir pas reçu le sacrement de l'eucharistie à Pâques, sont morts sans donner aucun signe de contrition. Mais, comme aujourd'hui il y a malheureusement un trop grand nombre de personnes qui ne remplissent ni le devoir de la confession annuelle ni celui de la communion pascale, on est obligé de modifier ce règlement, en restreignant le refus de la sépulture ecclésiastique à celles d'entre elles qui, par impiété, auraient publiquement refusé les sacrements à l'article de la mort. Si, par exemple, le malade avait renvoyé le prêtre, blasphémant en présence de ceux qui l'entouraient, sans que celui-ci pût obtenir de lui parler en particulier avant sa mort, on lui refuserait la sépulture ecclésiastique.

Il peut arriver que le lieu destiné aux inhumations des fidèles soit profané par la sépulture d'un juif, d'un infidèle ou d'un excommunié dénoncé. Dans ce cas, on ne doit, suivant les canons, réconcilier le cimetière qu'après avoir exhumé le corps qui l'a profané. Si l'autorité civile s'oppose à l'exhumation, malgré les justes et légitimes

réclamations de l'autorité ecclésiastique, l'évêque pourra permettre de réconcilier le cimetière par une nouvelle bénédiction. L'Église n'exige pas l'impossible. Mais que fera le curé, si, avant d'avoir reçu la décision de l'Ordinaire, quelque fidèle de sa paroisse vient à mourir? Pourra-t-il accompagner le corps au cimetière, et y faire la cérémonie religieuse? Il le pourra, à raison des graves inconvénients qu'il y aurait à ne pas le faire; mais il bénira la fosse où le corps doit être déposé. Les temps ne sont pas les mêmes; il ne faut donc pas s'étonner si les règles, en matière de discipline, varient dans leur application. (*Gousset, Théologie morale.*)

Aliquando cadaver in cœmeterio benedicto jam sepultum, civili auctoritate imperante, exhumari debet ad illius inspectionem. Hoc utique licet, cum sit ad bonum publicum; attamen prius esset obtinenda licentia a superiore ecclesiastico, cum loca sacra sint sub ejus jurisdictione posita. Qui tamen hodie hoc curant? ideo parochi permissive se habendo, ad scissiones evitandas, curent saltem ut omnia decenter ac religiose fiant, hoc adveniente.

(L) Page 101.

173. *Suspensus pure et simpliciter* in omnibus censetur suspensus; excipe tamen cum Suarez casum quo vel ratione materiae vel ratione causæ, ob quam suspensio lata est, eruatur, ipsam esse tantummodo partialem. Sic, inquit, suspensio lata in male celebrantes, esset intelligenda de sola suspensione a celebratione Missæ: vel lata in male administrantes beneficium, esset suspensio a solo beneficio, ut sic in eo puniatur in quo quis deliquit. Verum si ex textu legis vel legislatoris mente vel usu id clare non eruatur, si imponitur suspensio absolute, de utraque et ab officio et a beneficio intelligenda est; ubi enim superior vel legitimus usus non distinguit, neque nos distinguere debemus.

Suspensus ab ordine superiori, non censetur suspensus ab inferiori et vicissim. Hinc suspensus a Presbyterato potest adhuc canere Epistolam vel Evangelium; hinc Fessarius suspensus a Diaconatu potest adhuc absolvere, etc.

Suspensus a beneficio tenetur ad officia præstanda, etsi ab ipso beneficio proveniant; hinc tenetur ad Horas et cetera onera, quamvis fructus non percipiat, quia id sibi debet imputare. Non tamen privatur commodo quod provenit ex anniversariis, stipendiis Missarum, nec eo quod datur ob onus personale Clerici; quia hæc non sunt fructus beneficii. Quoad distributiones an eas possit percipere sic suspensus, disputant.

Suspensus a beneficio si pauper, et suspensio sit in crimen omnino præteritum, uti dicunt Suarez et Renzi cum communi, potest fructus sibi retinere. Imo dicunt Tournely et alii, quod si beneficiatus est occulte suspensus et onera adimplet, potest retinere partem, quam deberet substituto; quia esset stipendium laboris. — Suspenso a beneficio non est interdictum præsentare et conferre alia beneficia, licet jus ei competat ratione ipsius beneficii; ratio quia isti actus non sunt actus beneficii præcise, ut sic; sed potius officii et jurisdictionis. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 316.

174. *Quid* (quæres) *importat suspensio a divinis sine alio addito?* Suspensio a Divinis juxta Fagnanum importat suspensionem ab omnibus divinis Officiis, una excepta concione (in 5 Decret. c. *Responsio*). Juxta aliquos, solam indicat suspensionem a celebranda Missa. Hac de re Goritia scribit: *Suspensus a Divinis nequit in choro recitare Psalmos, neque eis interesse; aut Officia divina audire tanquam Clericus. Quod si intersit tanquam Clericus et Minister ex officio, fit irregularis* (intellige, si solemniter Ordinem sacrum exerceat); *secus si id faciat tanquam laicus. Et hinc potest tanquam laicus audire Sacrum; non vero celebrare, aut coram se facere celebrare etsi esset Episcopus.*

Verum (nisi alicubi forsan ea verba aliter explicet usus ex Maynardi, Rotario, Suarez, Ursaja aliisque colligitur, suspensionem a Divinis eandem esse ac suspensionem ab Officio. Idque sane est Canonico juri conformius, ubi ea verba indiscriminatim videntur sumi ad unum significandum (C. 1 *de sent. et re judic.* in 6). Unde sic intellecta suspensio a Divinis importat suspensionem ab omni Officio ecclesiastico, sive illud ab Ordine, sive a jurisdictione dependeat. Quare sic suspensus prohibetur celebrare Missam, audire Confessiones, vel alios ad Confessiones, approbare: item prædicare, solemniter benedicere et baptizare, canere Evangelium, imo etiam Epistolam cum vestibus sacris (licet sine vestibus eo plane modo, quo laici Epistolam cantant, adhuc possit). Item beneficia conferre, excommunicare, divinis Officiis interesse ut Clericus, sive in choro sive extra, v. g., processionibus, funeribus, etc. Item quascumque functiones agere nomine Ecclesiæ. Poterit tamen divinis Officiis interesse ut laicus, et canere ut laici faciunt: an vero eo in casu possit distributiones accipere affirmat Avila, quia illæ dantur præsentibus; sed negat Bonacina, quia esto, quod iste sit præsens, non tamen est talis ex officio: porro distributiones dantur tantum ex officio præsentibus, qui nempe præsentibus sunt tanquam viva membra Capituli. Alii autem probabiliter volunt cum Sanchez quod iste, etsi peccaret assistendo et merito deberet privati distributionibus et fructibus, nullibi tamen constat hanc privatio-

nem ipso jure impositam esse. — Qui abest a Choro ob excommunicationem vel suspensionem, non amittit distributiones, si injuste, et curet absolvi; amittit vero si juste sit censuratus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 130.

(M) Page 102.

175. Ante Tridentinum Episcopi facultatem non habebant Clericos sive excludendi sive suspendendi ab Ordinibus extrajudicialiter, sed tantum ob publica comprobata crimina, nempe per processum: hac facultate tunc fruebantur dumtaxat Regulares erga suos (*ex cap. ad vires de temp. ordin.*). Sed Tridentinum in Cleri reformationem sapientissime intendens facultatem ipsam dedit etiam Episcopis indiscriminatim (sess. 14, c. 1, de R.), ut nempe Clericos suos possent ab Ordinibus tum excludere tum suspendere *ex quacumque causa, etiam ob crimen occultum, quomodolibet, extrajudicialiter*, id est nullo formato processu, videlicet *ex informata conscientia*, nempe ex causis ab ipsa Episcopi conscientia perpensis et cognitis. Quæ verba licet proferantur a Patribus solummodo in prima capituli parte, ubi agitur de exclusionem; certum tamen est ea esse etiam intelligenda de suspensione, uti docent communiter Fagnanus, Barbosa, Gonzales, De Luca, Giraldi cum Benedicto XIV, et pluries declaravit S. Congr. C. Item hæc exclusiones et suspensiones possunt etiam esse perpetuæ ex eadem S. Congr. Imo et declaravit *Episcopum in hujusmodi penis decernendis non teneri dicere causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si reus ad eam recurrere habeat* (V. *Analecta juris Pontif.* anno 1854).

Certum est igitur, nullam dari appellationem ad Metropolitanam in suspensionibus vel exclusionibus latis *ex informata conscientia*, cum tunc detur tantummodo recursus ad supremam Sedem, uti docet Benedictus XIV (*De Syn.*, l. XII, cap. 8). Potest Episcopus in hac censura ferenda formalitates ordinarii vel summarii processus judicii ex toto vel ex parte adhibere; nam Tridentinum ait posse *quomodolibet* censurare. Attamen in ferenda sententia exprimentum est se agere vigore cit. cap. 1, sess. 14 *Tridentini*; ne censeatur via ordinaria procedere, quo in casu essent necessariae plures solemnitates.

V. Opusculum *Intorno ai giudizi ex informata conscientia*, Torino, Marietti 1850. — Ferraris, *Bibliot. Canon.*, v° *Suspensio*, art. 1, n. 16. — Sed præ ceteris Bouix, *De judiciis*, t. 2, p. 2, qui hanc quæstionem undequaque resolvit; et multis quoque conatur tueri, Episcopum posse suspendere ex informata conscientia etiam quando

delictum est omnino publicum; nam Tridentinum ait, Episcopum posse procedere *extrajudicialiter ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen*; porro illud *etiam* aperte supponit posse et quando crimen non est occultum. Idque necessarium omnino; etsi enim delictum sit fama vulgatum, contingere potest, aliquibus in locis ut formalitates servari nequeant absque difficultatibus, vel ob populi commotionem, vel ob gubernii minas, vel ob temporum calamitatem. Id quoque tuetur Episcopus Lucionensis, Tract. *De sententia ex informata conscientia*. — Etsi autem huic adversetur vigens apud romanos canonistas contraria opinio, qui volunt episcopum non debere ob publicum delictum extrajudicialiter procedere; attamen sic censuratus iudicium sui superioris revereri debet, dicente D. Gregorio (Hom. 6 in Evang.) *sententia pastoris sive injusta sit, timenda est*; idque magis, quia alioquin talis inobediencia maximo scandalo esset fidelibus. Et ideo sententia episcopalis taliter lata possidere debet ac firma esse, quoadusque fiat recursus ad S. Concilii Congregationem a qua illa rescindatur, si in aliquo substantiali forsitan peccaverit, prout nuper actum est in causa sanctæ Agathæ Gothorum 26 feb. 1853.

(V) Page 108.

Quoad interdictum, hæc notanda sunt :

176. a. Si interdictum sit latum ex sententia injusta, quæ videbatur justa ex probatis, in foro externo debet servari, sed non interno: quare cessante scandalo, possunt audiri Sacra, recipi Sacramenta. Religiosi tamen quando servatur interdictum ab Ecclesia cathedrali vel matrice, tenentur illud servare, etiamsi nullum sit ex quocumque capite.

b. « Nomine divinatorum Officiorum tempore lati interdicti prohibitorum (ex c. *Si sententia* 16, de sent. excomm., in 6; et cap. *Permittimus* 57 h. tit.), intelliguntur celebratio publica Missæ, publica recitatio Horarum canonicarum in Choro, processiones publicæ, benedictiones publicæ templi, fontis baptismalis, cinerum, palmarum, candelarum, nuptiarum, solemnium aspersio aquæ lustralis, professio solemnium in Religione et similia. Excepta *privata recitatione Horarum*, ad quam omnes obligati tenentur, licet interdicti; et *concione*, ad quam et per campanam pulsus possunt convocari interdicti, ut ad respicientiam inducantur, ex c. *Responso de sent. exc.* » Ita L. Ferraris, *Bibl. vº Interdictum*.

177. c. Audiendus Devoti circa Interdicti justitiam, *Inst. Can. h. loco* :

Apostata M. Antonius De Dominis, *De Republ.* l. V, cap. 9, n. 58, et Paulus Sarpus in *tract. Theol. Venet.* et peculiari opere *Dell'in-*

terdetto, multa contra generale præsertim, ac locale interdictum scripserunt. Graviter tamen, ac solide contra hostes Interdicti disserunt Bellarminus, *Risposta al trattato dei sette Teologi di Venezia sopra l'interdetto di N. S. P. Paolo V.* — Rutilius Benzonius, *De justit. pontif. interdicti*. — Baronius, *Parænes, ad rempublic. Venet.* — Fagnanus, *De justit. et validit. censur.* Pauli V. — Auctor operis, *Conférences ecclésiastiques d'Angers pour l'année 1772*, t. I, p. 324: et cl. Zaccaria, *diss. 5, della forza obbligatoria della disciplina*, n. 57.

Dices: *Per generale interdictum puniuntur etiam innocentes: quod injustum est.* Audiatur iterum Devoti: « Novum atque insolens non est, quod pro alicujus crimine tota familia puniatur, quod multis ex sacris Litteris petitis exemplis ostendit Gratianus initio q. 5, *caus.* 24. Et in l. V, *cod. ad l. jul. majest.*, etiam filii pro patris scelere pœna afficiuntur. Confer etiam Herodotum, l. III, c. 118 et 119; Q. Curtium, *Hist. Alex. M.*, l. VI, c. 11, n. 20; et l. VIII, c. 6, n. 28.

Fac duas esse respublicas, quarum altera sese alteri res quasdam quibus ea caret, daturam promiserit, modo ipsa certa servet pacta, quæ mutuo conventa sunt. Negligunt hæc pacta ii, qui reipublicæ sunt præpositi; quare altera respublica nihil præstat eorum, quæ servatis pactis præstare debuisset. Magnum exinde capiunt detrimentum non solum reipublicæ præfecti, qui pacta contempserunt, sed etiam ceteri, qui eadem republica continentur, quoniam carent rebus, quibus omnino indigent; et hi quidem quamquam nulla propria culpa teneantur, pœnam tamen perferunt propter culpam præfectorum suorum. Quis jure reprehendat rempublicam, quæ alteri non dedit res necessarias, quas tantum servatis pactis, dare debuisset? Omne vitium est præfectorum, qui pactis defuerunt, quod omnes eorum reipublicæ subjecti, quamquam insontes, damnum capiunt; sed nullum est vitium alterius reipublicæ, a qua, spreto contemptisque pactis, nihil dandum est. — Simili modo inter ecclesiasticam, civilemque rempublicam pactum conventum videtur, ut altera alteri præbeat Sacramenta, et cetera ad æternam salutem necessaria, modo hæc sacros ministros alat, Ecclesiæ legibus obediat, cetera absolvat, quæ ad æternam salutem consequendam ab Ecclesia necessaria judicantur. Si ii, qui præsumunt civili reipublicæ eamque repræsentant, Ecclesiam contemnant, neque mutuis pactis obtemperant: reprehendendam putabimus Ecclesiam quod neget civili reipublicæ ea, quæ tantum sub certis pactis danda sunt, præsertim cum id faciat Ecclesia, ut populi salutem curet. Adde: ut generale interdictum minus lædat innocuos, provisum ut pueri atque ad vitæ exitum properantes habeant quæ ad æternam salutem necessaria sunt. »

TRACTATUS QUINTUS

DE VIRTUTE RELIGIONIS

178. Ut homo dicatur bene et honeste vivere, requiritur tum ut declinet a malo, tum ut faciat bonum juxta illud Psalmi 36 : *Declina a malo et fac bonum*. Jam vero declinabit a malo, si nunquam in agendo se abripi sinat a principiis actum humanum allicientibus ad malum : faciet bonum, si a principiis contrariis, actum nempe allicientibus ad bonum, fortiter suaviterque concensus honestatem amplectatur. Postquam ergo de primis principiis fuit disputatum, superest ut disseratur de ceteris, quæ actum alliciunt vel ad bonum naturale, et sunt *virtutes Morales* : vel ad bonum supernaturale, et sunt *virtutes Theologicæ ac Sacramenta*.

Aliquid præmittamus de virtutibus generatim.

DISPUTATIO PRÆAMBULA

DE VIRTUTIBUS, AC DE RELIGIONIS NATURA ET ACTIBUS

179. Q. 1. *Quid est virtus generatim?*

R. Virtus in sensu latissimo idem est ac *vis* seu *efficacia*, quo sensu et fortitudo et gratia miraculorum et ipsarum rerum naturalium efficacia, virtus appellatur¹. In sensu vero stricto virtus communiter defini solet cum Augustino : *Animi habitus hominem inclinans ad bene recteque operandum*². Est nempe bona qualitas animum constanter et effica-

¹ I Machab. vi, Matth. vii, Sap. vii, xvii. *Virtutis* nomen a *viro* derivatum est; quia dicta vis et efficacia major est in viro, quam in femina.

² Lib. I, *contra Julian.*, c. iii. Etiam actus singulares, qui boni sunt, ex communi usu *virtutes* nuncupantur. — V. Stapf, § 97. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Virtus.

citer disponens ad bonum : unde vera virtus ea non est, quæ pro data facultate oblataque occasione non operatur; sicut flamma quæ non urit, non est genuina.

180. Virtutes aliæ sunt *divinæ* sive ordinis supernaturalis, et Theologicæ nuncupantur, tum quia habent Deum pro objecto, in quantum per eas recte ordinamur in Deum; tum quia a solo Deo nobis infunduntur; tum quia a sola divina revelatione in sacra Scriptura hujusmodi virtutes traduntur¹. Aliæ sunt *humanæ*, sive ordinis naturalis quæ scilicet versantur circa objecta cognoscibilia ratione naturali, hominemque perficientia intra rationis limites. Homo utrisque opus habet : *humanis*, quibus naturalem felicitatem assequatur; *divinis*, quibus valeat etiam ad felicitatem supernaturalem pervenire.

181. Virtutes Theologicæ tres sunt ex Apostolo : *Fides, spes, charitas, tria hæc*² : fides respicit Deum uti primam veritatem; spes uti nostram beatitudinem; charitas uti summum bonum. — Virtutes autem humanæ duplicis sunt generis; nam si perficiant intellectum, seu hominem in cognitione veri, dicuntur *intellectuales*.

Porro virtus intellectualis, si conducit ad consideranda prima principia, dicitur *intelligentia*; si conducit ad considerandas ipsorum principiorum conclusiones, dicitur *scientia*; si conducit ad considerandas altissimas causas, dicitur *sapientia*. Si vero virtutes perficiant appetitum, seu honestatem et mores, dicuntur *morales*; et quatuor sunt : prudentia, justitia, temperantia et fortitudo³. Quæ virtutes *cardinales* dicuntur, tum quia super iisdem tanquam porta super cardine suo tota hominis vita verti debet; tum quia ipsæ aliarum

¹ Verba D. Thomæ, 1, 2, q. 62, a. 1.

² I Corinth. xiii. Virtutes etiam *infusæ* dicuntur : et sunt illæ, quæ a Deo nobis infunduntur vel quoad modum tantum, si nempe illæ per actuum frequentiam etiam naturaliter acquiri possunt, uti sunt virtutes humanæ; vel quoad entitatem, si videlicet per nos naturaliter acquiri non possunt; sed sunt ordinis supernaturalis, uti sunt virtutes Theologicæ.

³ S. Thomas, 1, 2, q. 57, a. 2. Prudentia licet sit virtus intellectualis moralis, quia et mentem perficit in veritatis speculatione, et voluntatem dirigit in boni prosecutione; communiter tamen inter morales virtutes adnumeratur, quia opus et praxim potissimum respicit.

virtutum veluti matres et cardines sunt; et in illis, dicente D. Gregorio, *tota boni operis structura consurgit*¹. Et 1. in iis tota fundatur vita hominis; nam per *temperantiam* homo moderatur affectus in se ipso, per *justitiam* moderatur actiones erga alios, per *prudentiam* omnia hæc secundum rectum ordinem disponit, demum per *fortitudinem* fit aptus ad superanda quæ occurrunt obstacula²; 2. in iis ceteræ virtutes continentur et totius bonitatis structura est; cum revera per istas jam benemeratus homo habeatur, ut nihil amplius in eo desideretur in ordine moris (A).

182. Q. 2. *Quid est Religio?*

R. Religionis nomen a *religando* ducit D. Augustinus; quia nempe hæc virtus *cum Deo nos ligat, eique plane devincit*³. Tripliç autem sensu nomen Religionis accipi solet: 1. pro societate hominum Deo cultum exhibentium, et sic dicitur *Religio Catholica*; 2. pro cœtu quorundam, qui per observantiam consiliorum Evangelii sub certa regula ab Ecclesia approbata Deo specialiter inserviunt, et sic dicitur, v. g., *Religio S. Dominicæ*; 3. pro peculiari virtute morali, quæ hominem inclinât ad Deum colendum.

Hoc ultimo sensu religionis nomen hic a nobis accipitur; eaque a D. Thoma⁴ definitur: *Virtus moralis nos inclinans ad exhibendum cultum Deo debitum tanquam supremo rerum omnium Domino*. Dicitur: 1. *virtus*: nam habitus, qui ad cultum Deo exhibendum inclinât, honestus est et laudabilis, ideo ad virtutem pertinet; 2. *moralis*, non theologica; quia non versatur directe circa Deum uti objectum materiale, sed circa cultum Dei, et in eo dirigendo ac fovendo tota occupatur: unde patet eam perficere mores; 3. *ad exhibendum cultum Deo*; nam per Religionem licet etiam Sancti colantur, adhuc ipse colitur Deus in Sanctis, quibus sanctitatem suam communicavit. Hoc sensu ait Apostolus: *Soli Deo honor et gloria*⁵; 4. *debitum tanquam Supremo rerum omnium Domino*: in quo quidem consistit ratio hujus cultus.

¹ *Moralium*, l. II, c. xxxvi.

² S. Thomas, *In quæst. disp. de virt. card.*, a. 1. — D. Bernardus, *De Convers. ad Cler.*, c. x. — ³ *De vera Rel.*, c. v.

⁴ 2, 2, q. 81, a. 2. — ⁵ I Tim. 1.

Ex his patet: 1. *Objectum materiale* religionis esse actus omnes, qui cultum Deo exhibendum constituunt; nam materiale objectum alicujus virtutis est illud, circa quod ipsa immediate versatur: atqui religio versatur circa actus, quibus debitus Deo honor exhiberi potest; 2. *Objectum formale* esse specialem illam honestatem et convenientiam, quæ est in divino cultu: seu est cultus Dei, prout divinæ excellentiæ, nostræque submissionis est signum. Sane quid est objectum formale virtutis? est specialis ea ratio, sub qua virtus in objectum materiale tendit; 3. Deum non esse, nisi *objectum cui* religionis; objectum enim *cui* est illud, quod attingitur ab aliqua virtute, non quidem immediate, sed alio mediante, quod quidem virtus illa primario et directe considerat. Atqui talis est Deus in religionis virtute, quæ nempe eum attingit quidem, sed mediantibus actibus, quibus idem colitur.

183. Q. 3. *Quid est cultus Deo debitus?*

R. Cultus Deo debitus definitur: *Complexio illorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus*. Quare hæc cultui inhæreant necesse est: 1. testimonium excellentiæ illius, qui colitur; 2. submitio illius, qui colit: nempe cultus est honor cum submissione. — Duplex cultus distinguitur: *internus* unus, qui intus in animo maxime residet, uti est oratio ac devotio; *externus* alter, qui præcipue ministerio corporis exercetur, uti est adoratio, votum, juramentum, sanctificatio Festorum. Quæ divisio ex eo deducitur, quod homo sicuti constat animo et corpore; ita animo simul et corpore Deum suum colere tenetur.

184. Dices: *Spiritus est Deus, et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*; non ergo cultu externo colendus. — R. Hisce verbis Christus¹ voluit solum excludere actus malos et falsos,

¹ Joann. iv. — V. Scotti, *Teoremi*, ecc., parte IV, teor. m: la magnificenza del culto divino irragionevolmente si condanna come pernicioso allo Stato. — Chateaubriand, *Génie du Christianisme*, partie IV. — Tassoni, *La Religione dimostrata*, vol. III, c. xxiv: bellezze e buoni effetti del culto cattolico. — Bergier, *Dictionnaire*, v^o Culte. — Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, l. II, c. m: Del culto esteriore. La religione lo suggerisce, la rivelazione lo determina. Vaneggiamenti della gentilità; errori de' filosofi. — Opusc. *Quattro anni di esperienza della Religione cattolica*, c. m. — Frayssinous, *Défense du Christianisme: du culte*. — Franco Secondo, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la Religione*, vol. I, c. vi: a Dio basta il cuore. — Mansi, *La bellezza della Chiesa cattolica nel*

quales erant gentiliū cæremoniæ et sacrificia; et etiam bonos, sed mere corporeos quales erant cæremoniæ et sacrificia judaica, quæ non erant, nisi umbræ et figuræ rerum spiritualium, et natura sua non procedebant ex interiori spiritu, et raro ei sociabantur. Nemp̄ ibi Christus loquebatur cum muliere Samaritana: eam porro docet, quod venit hora, qua veri adoratores adorabunt Deum non amplius in ignorantia et falsitate, ut Samaritani faciunt in monte Garizim, sed ubique et quidem *in veritate*, id est cultu vero, sincero et recto; nec etiam amplius solo corpore, ut hactenus Judæi in templo Hierosolymitano, sed ubivis gentium, et *in spiritu*, id est vitali cultu, ab interiori procedente. Unde patet, per id non excludi cultum externum, imo potius perferri¹.

DISPUTATIO PRIMA
DE ACTIBUS RELIGIONIS INTERNIS

CAPUT PRIMUM
DE DEVOTIONE

185. Q. 1. Quid est devotio?

R. A verbo *deovere* devotionem deduxit Angelicus: *Devoti dicuntur qui seipsos quodam modo Deo deovent, ut ei se totaliter subdant*². Definitur autem devotio: *Voluntas prompta faciendi quæcumque pertinent ad Dei famulatum*. Dicitur: — 1. *voluntas*, qua non magis ipsa volendi facultas indicatur, quam ejusdem actus et exercitium; — 2. *prompta*; ea enim est indoles sinceræ devotionis, ut animum faciat alacrem et

suo culto exteriori, Roma 1860. — Taparelli, *Saggio Teoretico*, ecc., § 212 et seqq. — Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Cultus. — Charvaz, *Guida del catechismo valdese, ossia difesa del cattolicesimo*, l. VIII, ubi plurima ad rem nostram. — V. *De Sacramentis in genere*, de cæremoniis, etc.

¹ S. Cyrillus scripsit septemdecim libros de adoratione in spiritu et veritate. — F. Stapf, § 245.

² 2, 2, q. 82, a. 1.

expeditum in omnibus, quæ sunt ad Deum, juxta illud: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*¹; — 3. *faciendi*, etc.; nam *probatio amoris exhibitio est operis*. Ex his porro deducitur:

a. Licet vera devotio plerumque adjunctam habeat interiori quamdam animi lætitiā; non tamen effectus iste ad devotionis naturam ita pertinet, ut sine illa devotio stare non possit. Animi promptitudo etiam cum summa sensuum acerbitate consistit, ut patet exemplo ipsius Christi, qui *cæpit pavere et tædere*². Sic plures Sancti in summa ariditate fuerunt, ita Deo permittente, vel ad eos in humilitate conservandos, vel ad ipsorum fidem firmandam. — b. Errant qui contendunt, devotionem pertinere tantum ad Monachos, Moniales et Ecclesiasticos, quasi nempe promptitudo in Dei famulatu non sit sæcularis hominis. Et ideo fortiter redarguendi qui devotos passim irrident, atque de imprudentia accusant Confessarios devotionem suis penitentibus suadentes, quasi nempe studium et alacritas sit tantum ponenda in iis rebus, quæ sunt mundi³ (B).

186. Finis devotionis in eo situs est, ut anima facilius possit pervenire ad illam perfectionem, quam sic Christus commendat: *Estote... perfecti sicut et Pater vester celestis perfectus est*⁴.

187. Q. 2. Quid est christiana perfectio, et an omnes obliget?

R. ad 1: Christiana perfectio est consecutio nostri ultimi finis, *inchoative* in hac vita per gratiam, *complete* in altera per gloriam; res enim quælibet dicitur in genere suo perfecta, quando finem ad quem facta est, consequitur. Jam

¹ Ps. XXXVI.

² Marc. XIV. Devotio in simplicibus et mulieribus magis abundare solet; quia qui scientia et ingenio præditus est, nimis confidens de se ipso, non totaliter se subdit Deo. Si tamen scientiam et quæcumque aliam perfectionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio augetur, ait Angelicus, 2, 2, q. 82, a. 5.

³ V. *Cattolico*, Giornale religioso. Lugano, vol. V, art. il bigottismo. — Ségur, *Réponses*, etc., § 5, 39, 54. — Rodriguez, Scaramelli, etc.

⁴ Matth. v.

quales erant gentiliū cæremoniæ et sacrificia; et etiam bonos, sed mere corporeos quales erant cæremoniæ et sacrificia judaica, quæ non erant, nisi umbræ et figuræ rerum spiritualium, et natura sua non procedebant ex interiori spiritu, et raro ei sociabantur. Nemp̄ ibi Christus loquebatur cum muliere Samaritana: eam porro docet, quod venit hora, qua veri adoratores adorabunt Deum non amplius in ignorantia et falsitate, ut Samaritani faciunt in monte Garizim, sed ubique et quidem *in veritate*, id est cultu vero, sincero et recto; nec etiam amplius solo corpore, ut hactenus Judæi in templo Hierosolymitano, sed ubivis gentium, et *in spiritu*, id est vitali cultu, ab interiori procedente. Unde patet, per id non excludi cultum externum, imo potius perici¹.

DISPUTATIO PRIMA DE ACTIBUS RELIGIONIS INTERNIS

CAPUT PRIMUM DE DEVOTIONE

185. Q. 1. Quid est devotio?

R. A verbo *devovere* devotionem deduxit Angelicus: *Devoti dicuntur qui seipsos quodam modo Deo devoverunt, ut ei se totaliter subdant*². Definitur autem devotio: *Voluntas prompta faciendi quæcumque pertinent ad Dei famulatum*. Dicitur: — 1. *voluntas*, qua non magis ipsa volendi facultas indicatur, quam ejusdem actus et exercitium; — 2. *prompta*; ea enim est indoles sinceræ devotionis, ut animum faciat alacrem et

suo culto exteriori, Roma 1860. — Taparelli, *Saggio Teoretico*, ecc., § 212 et seqq. — Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Cultus. — Charvaz, *Guida del catechismo valdese, ossia difesa del cattolicesimo*, l. VIII, ubi plurima ad rem nostram. — V. *De Sacramentis in genere*, de cæremoniis, etc.

¹ S. Cyrillus scripsit septemdecim libros de adoratione in spiritu et veritate. — F. Stapf, § 245.

² 2, 2, q. 82, a. 1.

expeditum in omnibus, quæ sunt ad Deum, juxta illud: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*¹; — 3. *faciendi*, etc.; nam *probatio amoris exhibitio est operis*. Ex his porro deducitur:

a. Licet vera devotio plerumque adjunctam habeat interiori quamdam animi lætitiā; non tamen effectus iste ad devotionis naturam ita pertinet, ut sine illa devotio stare non possit. Animi promptitudo etiam cum summa sensuum acerbitate consistit, ut patet exemplo ipsius Christi, qui *cæpit pavere et tædere*². Sic plures Sancti in summa ariditate fuerunt, ita Deo permittente, vel ad eos in humilitate conservandos, vel ad ipsorum fidem firmandam. — b. Errant qui contendunt, devotionem pertinere tantum ad Monachos, Moniales et Ecclesiasticos, quasi nempe promptitudo in Dei famulatu non sit sæcularis hominis. Et ideo fortiter redarguendi qui devotos passim irridunt, atque de imprudentia accusant Confessarios devotionem suis penitentibus suadentes, quasi nempe studium et alacritas sit tantum ponenda in iis rebus, quæ sunt mundi³ (B).

186. Finis devotionis in eo situs est, ut anima facilius possit pervenire ad illam perfectionem, quam sic Christus commendat: *Estote... perfecti sicut et Pater vester celestis perfectus est*⁴.

187. Q. 2. Quid est christiana perfectio, et an omnes obliget?

R. ad 1: Christiana perfectio est consecutio nostri ultimi finis, *inchoative* in hac vita per gratiam, *complete* in altera per gloriam; res enim quælibet dicitur in genere suo perfecta, quando finem ad quem facta est, consequitur. Jam

¹ Ps. XXXVI.

² Marc. XIV. Devotio in simplicibus et mulieribus magis abundare solet; quia qui scientia et ingenio præditus est, nimis confidens de se ipso, non totaliter se subdit Deo. Si tamen scientiam et quæcumque aliam perfectionem homo perfecte subdat, ex hoc ipso devotio augetur, ait Angelicus, 2, 2, q. 82, a. 5.

³ V. *Cattolico*, Giornale religioso. Lugano, vol. V, art. il bigottismo. — Ségur, *Réponses*, etc., § 5, 39, 54. — Rodriguez, Scaramelli, etc.

⁴ Matth. v.

vero quisnam est, ex christianæ Religionis dictamine, ultimus noster finis? non alius, nisi Deus; qui ergo Deum amat, perfectus est: *Qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo*¹. Hinc Apostolus vocat charitatem *vinculum perfectionis*².

R. ad 2: Dupliciter potest attendi perfectio; vel prout tantum excludit quod est charitati contrarium, et est solum peccatum mortale: quo sensu omnibus perfectio est de necessitate salutis; quia secus nemo salvari potest. Vel prout etiam excludit quæ impediunt, quominus affectus totaliter dirigantur in Deum (quantum vitæ infirmitas patitur): et hoc sensu obligat eos solum, qui se totos Deo manciparunt in aliquo peculiari statu; non vero ceteros, quasi nempe ea necessaria sit ad salutem, nam etiam sine illa charitas esse potest³ (C).

188. Q. 3. *Quid sentiendum est de quibusdam exterioritatibus, quas aliquando videre est in devotis, præsertim incipientibus?*

R. Vel exterioritates hujusmodi respiciunt actiones communes et ordinarias, quæ nempe non indicant, nisi pietatem communem et ordinariam, qualem habere omnes Christiani deberent: uti sunt Sacramentorum frequentia, modestia in habitu et gressu, peccati odium, Ecclesiæ reverentia, obsequium erga Altaris Ministros, studiosa præceptorum Dei et Ecclesiæ observantia, etc. Vel tales exterioritates respiciunt actiones particulares atque extraordinarias, quæ indicant pietatem particularem et extraordinariam, uti sunt ciliciorum usus, jejunia specialia, singultus in Ecclesia, etc.

Si 1, exterioritates illæ permittendæ sunt, imo commendandæ et fortiter injungendæ; de his enim Christus Dominus ait: *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est*⁴. De his sic Philotheam alloquebatur Salesius: *a Philothée, faites profession ouverte de vouloir être dévote, et n'ayez point de honte des actions communes et requises qui nous conduisent à l'amour de Dieu. Avouez hardiment*

¹ I Joann. iv. — ² Col. iii.

³ S. Thomas, 2, 2, q. 184, a. 2. — ⁴ Matth. v.

que vous essayez de méditer; que vous aimeriez mieux mourir que de pécher mortellement; que vous voulez fréquenter les sacrements et suivre les conseils de celui qui vous dirige.»

Si 2, tunc si illæ exterioritates particulares et extraordinariæ in publico contingunt, plerumque prohibendæ sunt; tum quia animam exponunt periculo vanitatis propriæ; tum quia spiritum Domini absque ulla causa subjiunt profanorum irrisionibus. Hæc sunt opera illa, de quibus dixit Christus: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua... intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*¹. Si vero contingant in privato, neque noceant corporis sanitati nec officiis propriis, nihil prohibet quominus concedantur ad devotionem fovendam. At si nocent, uti si caput aggravent, prohiberi debent; siquidem anima fieret minus apta ad ordinaria suæ pietatis ac status exercitia.

CAPUT SECUNDUM DE ORATIONE

189. Q. 1. *Quid est oratio?*

R. Oratio late sumpta est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animi affectus in Deum. In sensu vero stricto est quoddam veluti mentis nostræ colloquium cum Deo, in quo rei alicujus obtinendæ desiderium eidem patefacimus eamque flagitamus.

Communiter autem oratio cum Damasceno solet definiri: *Petitio decentium a Deo*. Dicitur: 1. *petitio decentium*, id est eorum quæ honesta sunt, quæque non dedecet neque homines a Deo petere, neque Deum hominibus elargiri; 2. *a Deo*, tum ut pateat orationem verum esse Religionis actum, qua-

¹ Matth. vi. — V. Castelveteri, *Direct.*, n. 3, l. XI, c. xxvii. — Liguori, *Homo Apost.*, append. I, n. 27. — Sales, *Introduction*, etc. — Bouix, *De jure Regularium*, pars I^a.

tenus homo per eam Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subicit, et proficitur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum¹; tum ut ostendatur orationem, proprie loquendo, soli Deo faciendam esse: quamvis enim ea dirigatur etiam ad Sanctos: semper tamen directe tendit in Deum, a quo solo quod per Sanctos Dei amicos petimus, consecuturos nos esse speramus.

190. Q. 2. An oratio sit necessaria ad salutem?

R. Nullum est dubium, quin oratio adultis sit necessaria de jure divino ad salutem: illud enim de jure divino adultis necessarium est ad salutem, quod in Scripturis tum a Christo tum ab Apostolis uti tale præcipitur; atqui ita est de oratione. Oportet semper orare et nunquam deficere: vigilate et orate, ut non intretis in tentationem, ait Christus². Sine intermissione orate: volo viros orare in omni loco... similiter et mulieres, ait Apostolus³. Adde populorum consensum; etenim vel apud idolorum cultores opinio semper fuit, Divinitatem esse invocandam tum ad mala propulsanda, tum ad felicem rerum successum. Adde naturæ impulsus, qui nos quasi per vim trahit ad efflagitandum auxilium in necessitate⁴. Hujus autem gravis præcepti duplex est ratio:

1^a Ex parte Dei; quia Deus gratias suas, si paucas excipias, v. g., initium fidei, sub ea tantum conditione nobis elargiri ordinarie solet, ut easdem orando expostulemus. Unde Augustinus ait: *Constat Deum alia non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque ad finem perseverantiam.* Huc facit illud: *Non habetis propter quod non postulatis*⁵.

¹ S. Thomas, 2, 2, q. 85, a. 5. Circa orationem plures errarunt. Alii voverunt nihil a Deo determinate petendum esse, sed totum ipsius voluntati relinquendum: ita Quietistæ. Alii docuerunt nunquam omnino esse ab orationibus desistendum: ita Messaliani, qui habiti sunt ut hæretici sub nomine *Euchitarum*. Alii frustra orari contendunt; vel enim Deus res nostras non curat, ita Epicurei; vel omnia fato reguntur, ita Fatalistæ. His essent addendi Wiclephistæ, Lutherani, Calvinistæ et Jansenistæ, si suis principiis starent; negant enim homini veram electionis libertatem.

² Luc. xviii et xxiv. — ³ I Tess. v; et I Tim. ii. — Ferraris, *Biblioth.*, v^o Oratio. — ⁴ V. Tertullianus, *De testim. animæ*.

⁵ Jac. iv.

2^a Ex parte hominis; quia summa ejusdem est indigentia, ita ut quisque merito cum Propheta debeat exclamare: *Libera me, quia egenus et pauper ego sum... adjuva me, Domine Deus meus*¹. Quare sic concludit Angelicus: *Ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia procuranda quæ non nisi divinitus dantur: unde alio modo procurari non possunt, nisi ab ipso petantur*². Hinc probabilius ac communiter docent, adultis orationem necessariam quoque esse necessitate mediæ ad salutem; illud enim est de necessitate mediæ, sine quo attento divino ordine Providentiæ, salus obtineri non potest: atqui talis est oratio³.

Ad orationem vero maxime sunt compellendi studiosi, quorum plures forte nunquam cor suum erigunt ad Deum in cælum, qui *scientiarum Dominus est*⁴; qui docet *sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine purgatione argumentorum; una vox librorum, sed non omnes æque informat, quia intus est Deus doctor veritatis*⁵. Omnis ergo qui indiget sapientia postulet a Deo qui dat omnibus affluenter⁶. D. Thomam imitemur, non in castitate solum, sed etiam in doctrina Angelum: qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacræ Scripturæ ad orationem jejuniæ adhibebat; quin etiam sodali suo fratri Reginaldo dicere solebat, quidquid sciret, non tam studio aut labore suo peperisse, quam divinitus traditum accepisse.

191. Q. 3. Quandonam obligat orationis præceptum?

R. Obligat orationis præceptum per se, et per accidens:

Obligat per se: 1. initio vitæ moralis, quando scilicet homo usum rationis adipiscitur; tunc enim tenetur se ad Deum convertere, eum ut omnium bonorum fontem agnoscere, ac tanquam supremo rerum omnium Domino se eidem subicere: ad quod mirifice oratio inservit ex S. Thoma⁷; 2. tempore mortis: tunc enim maxime necessaria est perseverantia finalis, quæ absque oratione obtineri non potest; 3. sæpe in vita, ut impleatur illud Christi: *Vigilate... omni tempore orantes, ut digni habeamini... stare ante Filium*

¹ Ps. cviii. — ² In 4, d. 15, q. 4, a. 1.

³ S. Thomas, 2, 2, q. 85, a. 1. — Liguori, *Del gran mezzo della preghiera*.

⁴ I Reg. ii. — ⁵ Kempis, c. xliii. — ⁶ Jac., *Epist.*, c.

⁷ 1, 2, q. 89, a. 6.

hominis : oportet semper orare¹. Quæ tamen verba non probant singulis physice momentis orandum esse, quod foret impossibile; sed orandum esse *omni* tempore opportuno, id est *per certa intervalla horarum et temporum*, ut ait Augustinus². Alii docent orandum sub gravi saltem semel in anno; alii semel in mense; alii semel in hebdomada; alii sæpius. Ceterum notat Concina, quod Confessarius magis sollicitus esse debet in declaranda frequenter orandi necessitate, quam in determinanda omittæ orationis gravitate.

Obligat vero *per accidens* : 1. quoties urget aliquod præceptum, quod impleri non possit absque oratione, v. g., susceptio Eucharistiæ; qui enim tenentur ad finem, tenentur etiam de mediis ad illum; 2. quando gravis insurgit tentatio, præsertim contra castitatem : *Statim ut libido titillaverit sensum*, ait D. Hieronymus, *erumpamus in vocem : Domine auxiliator meus*³. Ait enim Sapiens : *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det*⁴; 3. quando imminet gravis calamitas nobis vel proximo, maxime vero Ecclesiæ vel communitati; oratio enim (dicente Laurentio Justiniani) placat Deum, postulata reportat, immutat homines⁵.

192. Q. 4. Quinam invocandi oratione nostra?

R. Deus et Sancti : Deus invocandus est uti Auctor bonorum omnium et Dator; cum ipse solus sit eorum causa et fons. Sancti autem invocantur tanquam patroni apud Deum ipsum⁶ : sane vel inter homines non solum rogamus eum

¹ Luc. xviii et xxi.

² Ep. cxxx. Qui tamen suæ salutis sollicitus est, non desinit identidem ad orationem confugere, mane præsertim ac vespere; quod quidem tempus universali piorum consuetudine consecratum est. *Et quæso*, ait Stapf, § 219, quale iudicium de illis ferendum est, qui more pecudum mane de stratu surgunt, illudque repetunt die finita, quin Dei suæque relationis ad illum recordentur? qui demum bonorum operum fructus ex terra tam inculta et iniqua expectare possunt? Aiant tamen, obligationem orandi mane et vespere esse sub levi, quia sic apprehenditur; at eum absolute indignum putant qui id non curat omnino, tum quia valde probabiliter magno orandi præcepto non satisfaceret, tum quia talis orationis omissio signum certe esset magni teporis animi.

³ Ep. xxii, ad Eustoch. — ⁴ Sap. viii.

⁵ De perfect., c. xii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, in init.

⁶ Intellige etiam Angelos, et maxime Angelum nostrum custodem; cum enim ei specialiter commissa sit nostra persona, ei specialiter cordi sumus.

qui nos exaudire valet, sed etiam eos, qui apud illum intercedere possunt; quid ergo prohibere potest, ne Deum per Sanctos nobis propitium reddamus? *Ira Dei*, ait D. Hieronymus, *precibus Sanctorum frangitur*¹. Id commendant Scripturæ exempla, praxis universalis, ac perpetua et constans Ecclesiæ traditio². Hinc patet *affirmantes... Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jam quidem eos damnavit* (in Nicæno II) *et nunc etiam damnat Ecclesia* (in Tridentino)³.

193. Præstat autem, ut præ ceteris Sanctis B. Virginem invocemus; nam si unus vel alter Sanctus ad hoc vel illud beneficium obtinendum singularis advocatus habetur⁴, Maria ad omnia obtinenda est advocata universalis. Adde excellentissimam Virginis dignitatem, sanctitatem, excellentiam, adeo ut pro ea specialis cultus determinatus sit, si enim multæ congregaverunt divitias, ipsa supergressa est universas; at quo quis dignior est, eo efficacior interpellat.

Quare placet hic concludere verbis Gloriosissimi Pontificis Pii Papæ IX, qui Encyclica *Qui pluribus*, postquam commonuit assiduis orationibus esse insistendum, ut Ecclesia sancta Dei, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, et fiat unum ovile et unus pastor, addit : *Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces Nostras et Nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quæ nostrum omnium dulcissima mater; mediatrix, advocata et spes fidissima ac maxima fiducia est, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil præstantius*⁵ (D).

194. Sed licèbitne (inquires) Christiano privatim commendare

¹ In Ezech. xiii.

² V. Klee, *Storia de' dogmi*. Milano, t. II, p. 280. — Orsini, *I fiori del cielo*, c. i.

³ Tridentinum, sess. xxv, de venerat. SS. declavavit.

⁴ V. Siniscalchi, *Il giorno santificato*, p. II, c. ult., ubi longum texuit catalogum Sanctorum qui invocantur vel pro peculiaribus provinciis vel pro peculiaribus hominum conditionibus vel pro peculiaribus gratiis. It. V. Riva, *Manuale di Filotea*.

⁵ V. Mazzola, *De B. Virgine*, p. III, disp. v et vi. — *Monumento alla gloria di Maria, Litanie della SS. Vergine illustrate et accompagnate da meditazioni*, ecc. Genova, 1860.

se precibus animarum in purgatorio degentium? — Sunt qui negant; quia purgatorio detenti non sunt in statu orandi, sed magis, ut oreitur pro eis. Communius tamen et probabilius affirmant Bellarminus, Estius, Gotti, Lessius, Sylvius et alii; siquidem omnes qui sunt in purgatorio, amici Dei sunt: hinc legimus, animas Paschasii et S. Severini miracula fecisse adhuc in purgatorio degentes⁴. Non repugnat autem eos qui nostris precibus indigent, posse pro nobis utiliter orare; sicut viventes pro se invicem utiliter orant, licet etiam indigeant, ut pro ipsis oreitur⁵.

195. Q. 5. Quid petere debemus per orationem?

R. Petere debemus imprimis quæ æternæ salutis expediunt, uti sunt bona spiritualia, sanctificatio, victoria in tentationibus, amor divinus et beatitudo: *Quærite... primum Regnum Dei et justitiam ejus*, inquit Christus⁶. Bona autem hæc absolute a Deo petenda sunt; quia certum est, non posse nos iisdem abuti: *Hæc autem sunt, quibus beatificamur*, ait Angelicus, *et quibus beatitudinem meremur, quæ quidem Sancti orando absolute petunt, secundum illud Psalmi LXXIX: Ostende faciem tuam et salvi erimus*⁷. Bona temporalia vero, uti fructus agrorum, sanitas corporis, scientia, non sunt petenda nisi conditionate; quia non semper expedit, ut nobis concedantur, cum illis possimus etiam male uti: *Eo tenore*, subdit Angelicus, *a Deo petimus ipsa, ut nobis concedantur secundum quod expediunt ad salutem*.

Etiam mala temporalia, quæ scilicet non sint peccata, sed poenæ, v. g., infirmitas, paupertas, amoris proprii depressio, peti licite possunt ex recto fine, uti ad merita sibi comparanda, ad peccati poenas luendas. Inquit enim Angelicus: *Hoc licet orare, quod licet desiderare*; atqui hæc mala ex recto fine licet desiderare: ergo et orare. Hinc illud Augustini: *Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in æternum parcas*?

196. Q. 6. Pro quibus orare licet?

R. Neque pro Sanctis neque pro damnatis orandum est;

⁴ S. Gregorius, lib. IV, *Dial.*, c. XL; et S. Petrus Damiani, *Epist. de miraculis sui temporis*.

⁵ Hæc opinio evasit communis Romæ, et pluribus etiam tuetur S. Alphonsus, *Gran mezzo della preghiera*, p. I, c. 1; et *Dissertationi teologico-morali*, diss. II, n. 15. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o *Animæ*.

⁶ Matth. VI. — ⁷ 2, q. 83, a. 5.

illi enim beatitudine nunquam defutura jam potiuntur in cælo: unde Augustinus ait: *Injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre*¹; isti vero suppliciiis æternis jam sunt immutabiliter mancipati in inferis. — Est autem bonum orare pro justis, qui in igne purgatorii detinentur, juxta celebre illud Judæ Machabæi: *Sancta... et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*². Item orare licet (si de ratione privata est sermo³) pro omnibus, qui in terris degunt sive fideles sint sive infideles, sive amici sive inimici, sive peccatores sive justis, sive excommunicati sive non. Imo nedum liceat, tenemur pro hisce omnibus orare; id enim pertinet ad rationem charitatis. Hinc Jacobus: *Orate pro invicem, ut salvemini*⁴. Et Paulus Apostolus: *Obsecro...; primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt...; hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore Nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*⁵.

197. Q. 7. Quænam sunt conditiones, ut oratio legitime fiat?

R. Præcipuæ conditiones ad orationem sunt, ut fiat:

1. Cum *attentione*, id est ut orans serio cogitet quis, quid, et quem alloquatur; qui enim voluntarie distrahitur actu quo orat, incurrit in illam Dei reprehensionem: *Populus hic la-*

¹ Serm. XVII, *de Verbis Dom.* — Suarez, *De oratione*, l. II, c. XIV, cum aliis arbitrat gloriæ accidentalem Sanctorum in cælis augeri posse, ac licitum esse hoc augmentum pro illis orare.

² II Machab. XII, V. *Annali Religiosi*, t. IX, p. 28; ubi id probatur adversariorum testimoniis.

³ V. de Censuris, ubi *de effectibus excommunicat.* quoad orationem publicam. — ⁴ Cap. V.

⁵ I Tim. II. — Imo, ait Stapf, § 208; quantus eorum est numerus, quibus alio modo opem ferre haud possumus, nisi per solam orationem? Et profecto quam insigniter relationem nostram tum ad Deum tum ad nos invicem testatam facimus, dum ceu filii ejusdem familiæ ad Deum communem Patrem nostrum pro nobis invicem obsecramus! Talis supplicatio præter alia emolumenta jam ex indole sua, charitatem mutuam et involvit et provehit, estque rori cælesti non absimilis, quo officia humanitatis, ne flaccescant, irrigari debent. »

biis me honorat, cor autem eorum longe est a me¹. Quomodo tu audiri postulas a Deo, inquit S. Cyprianus, cum tu te ipsum non audias²? Et D. Augustinus: Cum oratis, hoc veretur in corde quod profertur in ore³.

2. Cum humilitate; juxta illud Scripturæ: Respexit (Deus) in orationem humilium, et non sprexit precem eorum. Oratio humiliantis se nubes penetrabit⁴.

3. In nomine Jesu, dicente Scriptura: Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis⁵. Et D. Augustinus aiebat: Oratio, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed ipsa etiam fit in peccato⁶. Ut tamen nostra oratio sit in nomine Christi, necesse non est, ut nomen Christi ejusve merita semper explicite interponantur; id satis intelligitur, quando oratio fit a Christianis, et petuntur ea quæ ad æternam salutem conferunt, propter quam Christus Jesus factus est mediator Dei et hominum.

4. Cum fiducia et firma fide, qua orans credat se certo assecuturum quod saluti expediat juxta divinas promissiones: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, inquit Christus⁷. Et Daniel 3: Non est confusio confidentibus in te. Quare procul sit omnis animi hæsitatio: Qui enim hæsitat, inquit Jacobus, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur⁸.

5. Cum desiderio, scilicet obtinendi quod petitur; irrisorie enim petitur quod non desideratur. Unde Augustinus aiebat: Deus dare vult, sed non nisi petenti, ne det non cupienti⁹.

6. Cum perseverantia, juxta illud: Oportet semper orare et nunquam deficere. Etsi enim Deus interdum statim exaudiat preces nostras; sæpius tamen orationis effectum protrahit, volens illum perseverantibus tantum concedere: idque congruenter; ut enim habet Augustinus: Cum aliquando tardius dat Deus, commendat sua dona, non negat; diu deside-

¹ Matth. xv. — ² In orat. Dom.

³ Apud S. Thomam, 2, 2, q. 85, a. 3. — ⁴ Ps. cii; et Eccli. xxxv.

⁵ I Tim. ii. — ⁶ In Ps. xviii. — ⁷ Marc. xi.

⁸ Jacob. i; et Ps. cii. — ⁹ Ench. xviii.

rata dulcius obtinentur, cito autem data vilescent¹. Hinc versus:

Cum petis, attentæ, demissæ, nomine Christi,
Cum fide, cum voto, sint sine fine preces.

198. Sed nonne (dices) ad orationem requiritur etiam status gratiæ? Hæc utique erat Quesnelli sententia: Oratio impiorum verum est peccatum, et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium. Sed fuit a Clemente XI damnata: sane præceptum orationis generale est; ergo ad illud tenentur etiam peccatores. Audiatur Augustinus: Qui dixit propitius esto mihi peccatori, verum dixit an falsum? Si verum dixit, peccator erat et tamen exauditus est... lava interiorem faciem tuam, et videbis, quia peccatores Deus exaudiet². Si quando autem peccatores non exaudiuntur, tota causa in ipsis est; quia nempe precantur secundum peccati desiderium, ut Cain et Antiochus, id est sine debitis conditionibus: sub quo respectu eorum oratio fit execrabilis coram Deo. Est commune Doctorum cum S. Thoma³.

Dices: Oratio peccatoris, facta nempe extra statum gratiæ, erit saltem frustranea. — R. Hæc doctrina ut Fidei Catholicæ contraria ab eodem Clemente XI damnata fuit contra Quesnellum Constitutione Unigenitus, qua diris devotæ fuerunt perfidiosæ illæ theses. Sub n. 50: Frustra clamamus ad Deum: Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat. Sub n. 1: Quid aliud remanet animæ quæ Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum et peccati consecutiones, superba paupertas et segnis indigentia; hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, et ad omne opus bonum? Sub n. 2: Jesu Christi gratia principium efficaciæ boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum: absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest...

Sed si (addes) oratio peccatoris non est revera frustranea, ad quid valebit? Docet Angelicus bona omnia (et iccirco etiam ipsam orationem) peracta a fidelibus in statu peccati mortalis valere: 1. ad

¹ Serm. lxi. Est autem notandum, non in multiloquio orationis perseverantiam collocandam esse; si enim nostra oratio ab affectu disjuncta est, illa meretur Christi reprehensionem: Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur Matth. vi.

² Tract. XLIV, in Joann. — V. Benedictus XIV, Notificatione lxxii,

³ 2, 2, q. 85, a. 7.

assuefactionem bonorum operum; 2. ad temporalium consecutionem; 3. ad dispositionem ad gratiam¹.

199. Q. 8. Quot sunt orationis effectus?

R. Oratio tres habet effectus, si debitis sit fulta conditionibus; ac 1. est *meritoria*, cum sit opus bonum: et quidem meritoria de *condigno*, si orans sit justus; de *congruo*, si sit peccator; 2. est *satisfactoria*, cum omne opus bonum vel religiosum in præsenti naturæ lapsæ statu pœnam ac laborem importet: hinc Tridentinum inter opera satisfactoria orationem collocat²; 3. est *impetratoria* juxta illud: *Petite et dabitur vobis: omnis qui petit accipit*³. Hinc Augustinus: *Ascendit precatio, et descendit Dei miseratio*. Quæ miseratio, seu orationis fructus triplex distinguitur, saltem in oratione publica, nempe *generalis* de quo participant omnes; *specialissimus* qui ipsi oranti prodest; et *specialis* qui ab orante alicui in particulari applicatur.

200. Sed (quæres) an oratio infallibiliter effectum sortitur? Si sermo est de oratione non rite peracta, certum est hanc effectum non sortiiri, dicente Jacobo: *Petit et non accipitis, eo quod male petatis*. Si autem oratio rite sit peracta, tunc si ea ab orante funditur pro aliis, effectus non semper certus est et infallibilis, ut docet Angelicus; Christus enim non dixit absolute: *Petite et dabitur, sed petite et dabitur vobis*. Ideo autem oratio pro aliis facta non est infallibiliter impetratoria; quia fieri potest, ut illi pro quibus ipsa effunditur, obicem ponant, quin pendeat a nobis meliores in ipsis dispositiones procreare⁴. Si vero talis oratio sit pro nobis ipsis, et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt, certum est orationem nostram effectum suum infallibiliter sortiiri; clara sunt Scripturæ verba: *Petite et dabitur vobis*:

¹ Supplemento, q. 14, a. 4. — V. Liguori, *Glorie di Maria*, par. III: *Breve risposte all' abate Rolli*.

² Sess. xiv, can. xiii. — ³ Luc. xi.

⁴ 2, q. 83, a. 7. Tamen adhuc multi cum S. Basilio censent orationem valere etiam pro aliis, licet sint peccatores, modo obstinati non sint; quod probant ex illo Joannis, I, c. v: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabitur ei vita peccanti non ad mortem*. — V. Liguori, *Gran mezzo della preghiera*. p. I, c. iii.

quærite et invenietis: pulsate et aperietur: omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis et venient vobis.

Diximus: *Et petantur quæ ad salutem æternam conducentia sunt*; aliter esset, si quæ nos petimus, nobis dari non expediat: tunc gratia est, si non exaudiatur (E).

201. Q. 9. Quomodo dividitur oratio?

R. Oratio alia est mentalis, quæ fit sola mente, et pertinent ad eam verba Davidica: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*. Vocalis alia, quæ mente simul et lingua peragitur juxta illud: *Domine, labia mea aperies*¹, etc.

Art. I. — De meditatione et contemplatione.

202. Oratio mentalis dividitur in meditationem et contemplationem. Meditatio est *pia consideratio rerum divinarum ad concipiendam animi compunctionem, devotionem, fervorem, et ad mores nostros ad virtutem informandos*. Contemplatio est *elevatio mentis in Deum suspensæ, æterna dulcedinis gaudia in ipso degustantis*. — Ex hoc patet inter utramque discrimen: 1. in meditatione quæritur Deus labore discursus interioris; in contemplatione sine hoc labore anima Deum contemplatur inventum: 2. in illa, anima operatur actibus potentiæ suæ multiplicis; in ista operatur ipse Deus, anima autem patitur tantum, id est recipit in se quæ sibi a gratia infunduntur² (F).

203. Q. 1. An meditatio necessaria sit omnibus fidelibus adultis?

R. Duplici modo meditatio accipi potest: vel prout est rerum divinarum consideratio peracta cum peculiari quadam forma et propria methodo, uti in claustris et in aliis religiosis communitatibus fieri solet; vel prout est pura et simplex rerum divinarum consideratio abstrahendo a quacumque peculiari forma ac methodo.

Si primo modo accipiatur meditatio, dici nequit omnibus

¹ Ps. xviii et l.

² V. Benedictus XIV, *De Canon. SS.*, l. III, c. xxvi.

fidelibus adultis necessaria; cum ad illum terminum multiplex sit via: quamquam melius sit hanc viam aggredi, quam alii commodiorem experti sunt. Si vero accipiatur meditatio alio modo, omnibus adultis prorsus necessaria est ad salutem. Sane hoc est medium unicum ad peccata vitanda, ad flammam divini amoris accendendam, et sine quo prono veluti alveo anima nostra in omne vitiorum genus prolaberetur. Hinc de meditatione pure et simpliciter sumpta habet Scriptura: *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis: in meditatione mea exardescet ignis: desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est qui recogitet corde*¹. Ad rem Stapf: *Quid terribilius inferno, de cuius existentia nulli Catholicorum dubitare licet? et nihilominus qui hanc veritatem nunquam considerant, ita plerumque vivunt ac si sibi nihil timendum esset. Fides illorum igni non absimilis est, qui in silice latet quidem, attamen tamdiu inefficax manet, donec repetitis ictibus eliciatur*. Hinc piissimus Gerson: *Absque meditationis exercitio nullus, secluso miraculo Dei speciali, ad rectissimam christianæ Religionis normam attingit*². S. Alphonsus hoc habet, nunquam animo delendum effatum: *Qu'on tienne pour perdu le jour où on ne fait pas oraison*³. Et Benedictus XIV Bulla *Quemadmodum* ad alliciendo fideles ad meditationis exercitium et illud docentibus et eo utentibus Indulgentias perpetuo concessit.

204. Confessarius, si velit suum penitentem progredi in amore Dei, curet illum disponere ad bene peragendam orationem mentalem. Quod ut obtineat, videat an penitens sit rudis, necne: — 1. si litterarum imperitus, ei imponat, ut saltem mane vel vespere, quando domi major est quies, vel (si tempus aliud habere nequeat) in ipsis etiam manualibus occupationibus mentem identidem elevet ad Deum, et meditetur Fidei veritates, præcipue novissima et Christi Domini passionem. Neque excusationibus facile acquiescat: omnes quantumvis rustici et idiotæ subtiles et diuturnas meditationes agunt de re familiari, de lucro captando, etc.: quod ergo faciunt in pecunia, faciunt et

¹ Eccli. vii; Ps. xxxviii; et Jer. xii. — ² Tract. *De meditatione*.

³ *Opere spirituali*. Quæ omnia maxime nos Ecclesiasticos urgent, ut gratiam Dei, quæ est in nobis per impositionem manuum, quotidie resuscitare satagamus.

in conscientia⁴; — 2. si penitens non sit litterarum ignarus, eum doceat ut aliquo libro ad rem idoneo utatur, quo facilius orationem hanc persolvat: *Si spiritus* (ait Salesius) *lassus fuerit, utere libro, id est lege paululum, et tunc meditare; postea lege rursus et aliquantisper et denuo meditare, usque dum horæ dimidium effluerit; S. Teresia ab initio ita processit, et prospero quidem cum successu*. Moneat ut materia illa seligatur, in qua anima majorem experitur devotionem, atque ut ubi se vehementius affici sentit et commoveri, ibi diutius immoretur.

Hoc modo mentalis oratio a Confessario insinuanda est non solum timoratis, sed etiam peccatoribus, cum sæpe ob ipsum meditationis defectum ad vomitum redeant. Exigat autem rationem meditationis peractæ de vice in vicem, inquirendo qua ratione in ea se gesserint, imponens insuper eis, ut ante omnia sese accuset de meditatione omissa si omitti contingat. Ubi etiam notamus valde opportunum esse fidelibus hoc salutare exercitium insinuare post habitas Missiones, quia ipsi tunc magis sunt dispositi (G).

205. Q. 2. Quid est contemplatio?

R. Quando Deus vult concedere donum contemplationis, solet, ut plurimum, præmittere; 1. orationem recollectionis naturalis (vulgo *de recueillement*); 2. orationem otii contemplativi, ut vocant Mystici; 3. purgationem spiritualem. Ceterum *paucissimæ sunt* (ait S. Teresia) *animæ, quæ dirigantur a Deo per vias supernaturales; et in celo permultas aspiciemus, quæ sine hujusmodi gratiis supernaturalibus erunt gloriosiores illis, quæ gratias ipsas acceperunt*².

1. Oratio recollectionis naturalis tunc dicitur animæ concedi, quando intellectui meditationem peragenti opus amplius non est quasi extra seipsum exire cum discursu, studio ac labore ad considerandum aliquod particulare mysterium, v. g., Incarnationis; vel aliquam particularem veritatem, v. g., Paradisi felicitatem. Sed vix a rebus externis

⁴ V. Castelvetero, *Direttorio*, ecc., p. I, ubi hunc modum mire insinuat. — Liguori, *Practica del confessore*, c. ix. — *L'Uomo d'affari occupato nelle massime degli esercizi*. Torino, 1844. — Spinola, *Meditazioni sopra la vita di Gesù Cristo per ciascuno giorno*, ecc. Verum nullum fortasse utilius opus consuli potest, quam illud cui tit. *Meditazioni del venerabile padre Ludovico da Ponte della Compagnia di Gesù*. Auctoris virtutes in gradu heroico declarate fuerunt a Sancta Sede, 16 julii 1756.

² Deus in suis donis liber est et quoad rem et quoad modum et quoad ordinem: ex quo fit, ut non desint exempla animarum, quæ ad ultimum contemplationis gradum immediate evectæ sunt, quin per gradus anteriores pertransierint. Hæc bene cognoscat Confessarius, ne animabus damnum sit allaturus, ut ait S. Joannes a Cruce.

in seipso collectus, statim cum facilitate et quiete, imo et magna cum suavitate attendit illi mysterio, aut veritati¹.

2. *Otium contemplativum* est fere idem ac recolectio, cum discrimine, quod anima in hac attendit alicui mysterio vel veritati particulari; in illo innititur generali quadam notitia et cogitatione Dei, in quam quasi vi pertrahi, totamque se colligi sentit².

3. *Purgatio* ab imperfectionibus consistit in duplici ariditate: una dicitur ariditas sensus vel sensibilis; altera ariditas spiritus vel spiritualis: — *a. ariditas sensus*, vel subtractio devotionis sensibilis; cum ea conjungitur tædium quoddam rerum spiritualium atque obscuritas quædam profunda, quæ de die in diem incrementum sumit³. Hanc animam Confessarius confortet ad magna a Deo speranda, eique suadeat, ut minime conetur se exercere in meditatione; sed ut se humiliet, et emittat actus oblationis Deo suo: — *b. ariditas spiritus* consistit in quadam divina luce, qua Deus efficit, ut anima proprium nihil clare cognoscat. Hic autem est ubi ipsa se cernit in quadam quasi agonia terribilissima; et licet libentius sit determinata ad singulas difficultates superandas, attamen quo magis videt proprias imperfectiones, eo magis sibi videtur a Deo quasi repulsa tanquam ingrata tot beneficiis collatis. Tunc vel ipsa pietatis exercitia eam contrastant; quia credit omnia esse male peracta et æternis suppliciis digna; imo multoties sibi videtur Deum ipsum odisse⁴. Confessarius ne terreatur

¹ Dicitur *naturalis*, non quia anima illam consequatur ex se et naturaliter (cum hæc sit gratuitum Dei donum); sed quia anima adhuc est in statu activo, et operatur beneficio gratiæ ordinariæ.

² V. Segneri, *De concordia inter laborem et quietem*. — Bartoli, *Che orazione sia quella che chiamano di quiete, e come si pratici?* In oratione recollectionis et otii contemplativi contendunt nonnulli animam cessare debere non solum a meditatione, sed etiam a quocumque alio actu voluntatis, v. g., amoris, humilitatis, etc., et sic totam remanere in pura ac mera attentione et vigilantia ad Deum ipsum. Verum spirituales hujusmodi quasi incantationum species haud placent; cum enim anima sit adhuc in statu activo, non videmus cur cessare debeat a meritoriis voluntatis suæ actibus, maxime si sponte eliciantur: imo quod tempus magis opportunum ad eos actus eliciendos poterit adsignari?

³ Eo in statu anima, licet cogitationem teneat delixam in Deo cum ingenti desiderio et firma determinatione eum perfecte amandi; sentit tamen, se quasi impotentem ob suas imperfectiones. Hoc non obstante, non cessat vel uno temporis puncto recte se gerere in exercitio virtutum. Id durat quousque sensus purificati sint.

⁴ Has tam funestas desolationes comitantur aliquando etiam molestissimæ tentationes sine fine et motus iracundiæ, blasphemiæ, impuritatis, incredulitatis. Qui status durat quoad anima capax evadat divini unionis: quamvis

tot audiendo expressiones timoris ac desperationis; sed animam confortet suadendo tentationes illas non esse consensum, sed penas, quæ (si bene tolerentur) fortius Deo conjungunt: proinde sufficere si se totam projiciat in brachia misericordiæ divini, atque se committat protectioni B. M. V. quæ est *consolatrix afflictorum* (H).

Art. II. — De oratione vocali.

206. Q. Quotuplex distinguitur oratio vocalis?

R. Oratio vocalis duplex est, privata et publica: *Publica* est illa, quæ fit nomine Ecclesiæ ab ejus ministris pro populo. *Privata vero, propria et particularis, quam quisque nomine proprio aut alieno facit; non tamen sicut Ecclesiæ minister*¹.

Ad privatam revocatur oratio *Dominica*, quam Christus ipse nos docuit²; et oratio quæ appellatur *Jaculatoria*. Ad publicam pertinent maxime *Horæ Canonice*. Circa orationes publicas notat Benedictus XIV: 1. istæ non a privatis, neque a civili, sed ab Ecclesiastica auctoritate designandæ sunt: ita Bulla *Quemadmodum*; 2. in sacris ritibus non aliæ sunt adhibendæ, nisi quæ ab Ecclesia sunt receptæ: ita Bulla *Inter omnigenas*. Quorum præceptorum præstantia patet: sic enim sacra liturgia semper una erit ubique atque tuta.

§ I. — De oratione dominica et jaculatoria.

207. Q. 1. Quid de orationis Dominicæ origine et præstantia?

R. Hanc precandi formulam nobis tradidit ipsemet Christus Dominus, et ideo *dominica* dicitur. Qua in re immensam ejus bonitatem debemus agnoscere. Videlicet non ei satis fuit nos monere et hortari, ut ad ipsum in omni necessitate nostra confugeremus; sed videns nos ne id quidem perspicere, quod

aliquando Deus eundem permittat post ipsam unionem, ne anima seipsam negligat et sui nihili obliviscatur.

¹ Verba Benedicti XIV, *De SS. Beatificatione*, l. I, c. vii, n. 5.

² Non quasi publice haud fiat, sed quia sola non solet nisi a privatis usurpari.

debemus expostulare, occurrit misericors ignorantiae nostrae, et quod nostro captui deerat, ipse de suo supplevit inquitens ⁴: *Sic ergo vos orabitur: Pater noster, etc.*

A Tertulliano oratio Dominica vocatur *Evangelii Breviarium* ²; a S. Cypriano *Cælestis doctrinae compendium* ³; et D. Thomas habet: *Oratio Dominica perfectissima est* ⁴. Nil sane perfectius excogitari potest; nam si *auctorem* quaeris, Deus est; si *objectum* inspicis, nihil prætermissum est; si *modum* scrutaris, universa eo quo sunt desideranda, ordine continet; si *facilitatem*, paucis expletur verbis; si *necessitatem*, præceptum habes; si *efficaciam*, ideo nos illam docuit Christus.

208. Q. 2. *Quid dicendum de oratione Jaculatoria?*

R. Oratio Jaculatoria est quidam cordis actus præsertim in Deum, brevis quidem, sed fervidus et ardens ad instar ignis, quem anima in Deum dirigit tanquam jaculum, et ideo dicitur *jaculatoria*, v. g.: *Deus meus, Deus meus!* Actus hujusmodi esse possunt: vel amoris, v. g.: *Amo te, dilectissime Jesu mi!* vel laudis, v. g.: *Laudetur Jesus Christus!* vel oblationis, v. g.: *Offero tibi, Jesu, cor meum!* vel invocationis, v. g.: *Deus, in adjutorium meum intende, etc.*

Diximus præsertim in Deum, quia ferri potest et in Angelos et in Sanctos, ac præsertim in B. Virginem. Imo etiam in creaturas irracionales, eas invitando ad Deum laudandum, uti in more habebat S. Franciscus Assisiensis ⁵. Confessarius enixe debet ejus usum pœnitentibus commendare ostendendo, quam utilis sit, quam facilis, immo quam duleis et suavis cuicumque personarum generi et conditioni. *Utilis*, siquidem quilibet virtutis actus meretur præmium: *Facilis*, nam consummatur unico instanti sine ullo labore: *Dulcis* et *suavis*; amor enim amore fovetur, quo quidem nil dulcius et suavius ⁶.

¹ Matth. vi. — ² De Orat., c. ix.

³ De Orat. Dom. — ⁴ 2, 2, q. 85, a. 19.

⁵ V. Paoli, *Cantici di S. Francesco d'Assisi*, Torino, 1845. — *Les Poètes franciscains en Italie dans le treizième siècle.*

⁶ V. Fr. de Sales, *Introduction à la Vie dévote*, p. II, c. viii. — Bourdaloue, *Pensées diverses*, tit. Oraison. — Castelvetero, *Direttorio*. — Bona, *Via*

§ II. — De horis canonicis.

209. Recitatio Horarum alia publica est, alia privata: *publica* quae fit ab obligatis in Choro, nempe a Canonicis; *privata* quae fit ab aliis, qui etsi aliquando simul recitent quasi choraliter, non ideo tamen proprie dici possunt recitare in Choro, adeo ut teneantur sub peccato legibus pro publica recitatione constitutis; etsi valde præstet ut leges illae serventur ad devotionem fovendam. Attamen etiam recitatio privata fit nomine Ecclesiae: sub quo sensu etiam privata *publica* dici debet.

N. I. — De Horarum definitione, numero, origine et obligatione.

210. Q. 1. *Quid sunt Horæ Canonicæ?*

R. Horæ Canonicæ sunt *preces vocales ab Ecclesia institutæ juxta ejus præscriptum recitandæ a personis ad id deputatis*. Ac 1. *preces vocales*; sic enim habentur ab Ecclesia præscriptæ: unde qui non lingua, sed cordis loquela tantum eas persolvit, suae obligationi non satisfacit; 2. *Ab Ecclesia institutæ*, tum ut distinguantur a precibus iis, quas quilibet fidelium sibi potest eligere: tum etiam ut innuatur præceptum ecclesiasticum; 3. *juxta ejus præscriptum recitandæ*, quia preces publicæ tempore, modo et forma ab Ecclesia designatis recitari debent; 4. *a personis ad id deputatis*, quia totius Ecclesiae nomine persolvuntur: et ideo *publicæ* appellantur, sive in Choro recitentur sive extra Chorum.

Dicuntur *Horæ Canonicæ*, quia juxta Ecclesiae canones recitandæ sunt. *Breviarii* etiam vocabulo donantur, quia Scripturarum oracula, Patrum sententias et Beatorum gesta breviter exhibent: et sunt precum longiorum, quae olim vigeant, compendium. Item nuncupantur *Officium Ecclesiasticum* vel *Divinum: Ecclesiasticum*, quia nomine Ecclesiae persolvuntur; *Divinum*, quia ad cultum Dei sunt institutæ.

compendii ad Deum. — Stapf, § 569: *De piis adspirationibus*, ubi plura edotet.

¹ V. Benedictus XIV, *Notificatione* xxiv. — Suarez, *qui fuse ubi de Religione.* — Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. IV, leç. viii, etc. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 140; *Homo Apost.*, App. III, n. 60.

211. Horæ Canonicae septem enumerantur, nempe *Matutinum* cum *Laudibus*, *Prima*, *Tertia*, *Sexta*, *Nona*, *Vesperæ* et *Completorium*. Matutinum dividitur in tres partes, quæ appellantur *Nocturni*; Nocturnos sequitur pars quarta, quæ venit nomine *Laudum*. Matutinum cum *Laudibus* et *Vesperæ* dicuntur *Horæ majores* vel *magnæ*; ceteræ vero *minores* vel *parvæ*¹. — Horæ Canonicae septenario illo numero videntur distributæ, tam ut septies in die preces publicæ ad Deum effunderentur, juxta illud: *Septies in die laudem dixi tibi*²; tum ut distinctis illis septem diei horis septem exhiberentur passionis Christi mysteria: hoc hisce versiculis exprimitur:

Hæc sunt septenis, propter quæ psallimus, Horis.
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat:
Prima replet spiritus; causam dat Tertia mortis:
Sexta Cruci necit; latus ejus Nona dividit:
Vespera deponit; tumulo Completa reponit.

212. Q. 2. *Quænam Horarum Canoniarum origo?*

R. Vel Horæ Canonicae accipiuntur quoad substantiam, uti sunt preces quædam diversis horis nomine Ecclesiæ recitandæ; vel quoad propriam peculiarem formam, qua hodie solent recitari. — Si 1, plures sentiunt earum originem esse Apostolicam; sæpe enim in novo Testamento fit mentio horarum quarundam, quibus Apostoli orationi vacabant. Sic in Actis Apostolorum legitur: *Petrus autem et Joannes ascendebant in Templum ad horam orationis nonam*. Et Spiritus Sanctus dicitur super Apostolos orantes descendisse *hora tertia*³. — Si 2, dicimus, in iis conficiendis manum primo habuisse RR. Pontifices: S. Damasum sæculo IV opera D. Hieronymi, et sæculo V Gelasium in Concilio Romano. Dein vero sæculo VI S. Gregorium M., et Gregorium IX sæculo XIII. Postea S. Pium V sæculo XVI, ut patet ex Bulla *Quod a Nobis*. Tandem Clementem et Urbanum VIII sæculo XVII, ut videre est in Bullis initio Breviarii apposis⁴.

213. Q. 3. *Undenam oritur obligatio Horas recitandi?*

¹ Totum Officium dividitur etiam in *Nocturnum* et *Diurnum*: nocturnum complectitur tres Nocturnos et *Laudes*, ideo dictum, quia nocte olim recitabatur; diurnum complectitur ceteras partes, ita dictum, quia recitabatur in die. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Officium, Psalmus.

² Ps. cxviii. — ³ C. i et ii.

⁴ V. Selvagium, *Antiquit. Christ.*, l. II. — Maringola, *Antiquitatum christ. institutiones*, lib. V.

R. Obligatio recitandi Horas non oritur ex jure divino, cum neque ex Scriptura, neque ex Divina traditione, neque ex Patribus colligatur; sed ex immemorabili consuetudine, quæ vim gravissimæ legis obtinuit, prout ait Benedictus XIV¹. Hanc vero confirmarunt et studiosissime commendarunt Concilia: inter cetera Concilium Romanum (anno 1216) præcipit expresse Prælati et Clerici *in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote*²: quod quidem confirmavit Concilium generale Lateranense anno 1517. Ex quo patet obligationem hanc gravissimam esse, ita ut fateantur omnes, mortaliter eum peccare, qui Horas vel notabilem earum partem omittit; quia violat præceptum in re gravissima pertinente ad virtutem Religionis³.

Nonnulli cum Azorio et Navarro contendunt esse grave, et ideo mortale omittere dimidiam, vel etiam tertiam partem minoris Horæ; quia hæc pars respectu illius Horæ est notabilis. Sed alii cum Continuatore Tournely, Lessio, Pontas et Vanroy probabilius negant: quia pars illa est semper levis in se, et respectu totius Officii: porro in adjudicanda materiæ gravitate respicienda est quantitas totius Officii in se, non autem cujuslibet Horæ disjunctive. Ceterum videtur omnino certum unam Horam etsi brevem, vel Officii partem eidem respondentem, uti unum integrum Nocturnum, sufficere ad gravem materiam, si excipiantur *Vesperæ sabbati sancti* ob suam parvitatem.

¹ In *Instruct. Cophtorum*. — ² C. ix, *dolentes referimus*, t. de Cel. Missæ.

³ Sententia verior tradit cum Concina, Lessio, Tournely et Sanchez non multiplicem, sed unam esse obligationem, et unum præceptum constans partibus septem. Deducitur ex canone Concilii Romani, ubi Horarum recitatio sub uno præcepto jubetur. Unde si quis petat quot peccata committat qui totum Officium omiserit, respondebimus cum D. Antonino: *Qui omittit omnes Horas unius diei, non propterea committit septem peccata mortalia; sed unum, et tanto gravius quanto plus de Officio omittit, quia totum Officium unus diei cadit sub uno præcepto*. Si vero plures Horas omitterentur ex intentionibus moraliter interruptis, tunc haberentur peccata plura; cum omnes omissiones ex se graves fiant unæ ab aliis independentes, illa intentionum interruptione. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 148.

214. *Quid (dices) si quis dubitet, an Horam integram omiserit necne?* Si agitur de scrupulosis, generatim non sunt obligandi ad recitandum; cum istorum dubia, ut plurimum (maxime in his rebus) non tam dubia vera sint, quam inanes quædam apprehensiones. Si vero de ceteris agitur, videntur est, an dubium sit mere negativum, si nempe nullum prudens hinc inde motivum habeas necne, quod dixeris; an vero positivum, si nempe prudenter credas, te Horam illam jam recitasse, v. g., si memineris te incepisse Psalmum vel aliam partem, et soleas de more perficere quod semel incepisti.

In primo casu tenet obligatio, quia in illo dubio possessio stat pro præcepto. In secundo non tenet: et hoc est communissimum cum Lugo, Navarro, Roncaglia, Sanchez et Tournely; quia præsumptio quod soleas perficere quod incepisti, te facit moraliter certum præcepto satisfacisse. Sane res resolvenda est ex communiter contingentibus. Adde: si secus esset, scrupulis lata via aperiretur¹.

215. Q. 4. *Quinam Horas Canonicas recitare tenentur?*

R. Horas Canonicas recitare tenentur alii vi Ordinis sacri; alii vi Beneficii; alii vi professionis in Religione approbata. Imo quoad omnes obligatos, adest quoque ex ipsa Breviarii præscriptione ac consuetudine gravis obligatio recitandi etiam extra chorum Officium Defunctorum die secunda novembris: quod tamen pridie anticipari potest. Item ex communiori, et ubique recepta sententia eadem gravis obligatio est recitandi Litanias Sanctorum tum die S. Marci, tum tribus Rogationum diebus: quæ tamen non possunt pridie recitari, quia illæ recitantur loco assistentiæ ad processionem: processio autem diebus naturalibus affixa est, uti declaravit S. C. R. 15 junii 1776².

216. Q. 5. *Quinam tenentur ad Horas vi Ordinis sacri?*

R. Tenentur sub mortali Clerici omnes ad Horas, si sint in Sacris constituti: idque ex variis textibus juris, ex Concilio

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*, App. III, n. 69.

² V. Benedictus XIV, *Notificatione xxviii.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 161. — P. Vincentius A. Massa *Institutiones Liturgiæ sacræ.* — L. Ferraris, v° *Officium.*

Basileensi, et ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine, quæ vim legis habet¹. Tenentur autem licet sint excommunicati, suspensi, degradati et in carceribus inclusi; nam *nemo debet reportare commodum ex propria iniquitate*; plures excipiunt damnatos ad triremes, quia tunc recitatio esset in dedecus Ordinis, et esset simul onus valde grave et ferme impossibile. Certo autem ad recitationem non tenentur ordinati in infantili ætate ex Benedicto XIV: vel ante pubertatem, si postea non consenserint; habentur enim uti ordinati per metum gravem, qui probabilius ad recitationem non tenentur: nam licet metus gravis per se non tollat voluntarium, non tamen censetur Ecclesia velle eos obligare ad tale onus nimis grave, qui sponte omnino Ordinem sacrum non susceperunt².

Subdiaconus quo die ordinatur, sine dubio tenetur recitare Horam quæ respondeat tempori, quo Ordinem suscepit: et si ante recitaverit, probabilius non censetur satisfacisse; quia nemo potest obligationem legitime implere, quæ nondum contracta est. Excipe, si iste sit etiam beneficiatus et recitaverit ante Ordinationem; nam tunc verificatur, quod recitavit nomine et ex præcepto Ecclesiæ atque Religionis motivo.

217. Q. 6. *Quinam tenentur ad Horas vi Beneficii?*

R. Quilibet Beneficiatus, etsi nondum in Sacris, tenetur sub gravi Horas quotidie recitare, ut constat tum ex Concilio Lateranensi sub Leone X; tum ex Constitutione *Ex proximo* S. Pii V. Qui vero duo vel plura habet Beneficia, unius tantum Officii obligationem habet: *Talis*, ait S. Thomas³, *quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel Officium dicat*: unde omittens recitationem unum peccatum facit, quamvis etiam vi Ordinis teneatur; quia obligatio ex uno oritur Religionis motivo. — Verum necesse est, ut Beneficium sit Ecclesiasticum⁴: et tale habebitur, si Episcopi auctoritate

¹ Apud Græcos nulla est lex expressa, sed quoad illos quoque consuetudo laudabilis invaluit Officium recitandi, uti ait Benedictus XIV, Constitutione *Eo quamvis.*

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 144; l. III, n. 497; l. VI, n. 814.

³ Quodl. 1, a. 15.

⁴ Unde nullum erit Officii onus pro Cappellania mere laicali, vel merce-

sit erectum : item si ad illud necessaria sit tonsura. Sed maxime, si possessionis actus requiratur; aliquando enim, sic disponente fundatore, etiam Episcopi concursus requiritur in erectione, atque in ipso nominando tonsura, quamvis agatur de Beneficio laicali (I).

218. *Quid (dices) de eo, qui ad Beneficium electus est, vel in eo etiam canonice institutus, sed realem possessionem nondum sit consecutus?* — Si hæc possessionis dilatio ab eo pendet, quatenus malitiose moram trahat aut negligat aut impediatur, ab Officii recitatione non liberatur: quia per eum in hoc casu vere stat habere Beneficii possessionem. Neque fraus sua aut negligentia debet eidem prodesse: neque Ecclesia ob culpam Beneficiati Officio suo privanda est. — Si vero possessionis dilatio sit sine culpa Beneficiati, v. g., si lis ei intentata sit super Beneficio, tunc ex communi et vera sententia ad Officium non tenetur; tum quia ante initam possessionem non censetur quis perfecte Beneficium consecutus, et litem perdere potest; tum quia ante possessionem Beneficiatus nullum Beneficii jus exercere potest: ergo æquum est, ut neque ullum onus subeat; tum quia talis est hodierna praxis, ut nemo teneatur ad Horas, nisi Beneficii sibi collati inita possessione.

219. *Sed quid (quæres) si jam quidem sit adepta possessio, sed lis vertatur inter duos, cujusnam sit revera Beneficium?* — Tunc si ille, qui jam possidet Beneficium, habet spem moraliter certam vincendi litem, tenetur ad Officii recitationem, uti patet. Et idem currit, si per interim uni litigantium adjudicata fuerit Beneficii possessio: hic tenetur ad Horas, cum de facto reditus percipiat. Quod si firma non sit spes litem vincendi, et nec alicui possessio sit per interim adjudicata, nulla est Officii obligatio: quia nemo obstringendus est ad onus certum per mercedem incertam. Neque obstat, quod si litem postea vineat, etiam fructus sequestratos obtineat: eos retinere potest, sicuti licite refinet fructus maturatos a tempore vocationis Beneficii, etsi Officium non dixerit; sed hac ratione, quod hi fructus maturantur successori. Ceterum usquedum Beneficium liti subicitur, quoad ejus possessionem habetur pro vacante¹.

narum. Item neque ad Officium tenentur Coadjutores beneficiorum, nisi sint in Saeris, quia Coadjutoria beneficiorum, beneficium non est; sed simplex facultas officium proprietarii exercendi, ut pluries declaravit S. Concilium C. Item neque tenentur qui pensionem laicalem obtinent, aut Regias Cappellanias, quia vera beneficia non sunt.

¹ *Sed (dices) quid si possessionem quidem sit pacifice consecutus, nullos tamen adhuc fructus percipiat?* — Si habet spem certam fructus exigendi

220. Q. 7. *Quid de Beneficiato, qui Officium omittit?*

R. Certum est Beneficiatum, qui Officium omittit, graviter peccare contra Religionem, licet nondum sit constitutus in Saeris, et intentionem foveat fructus restituendi; quia duplex hic habetur præceptum: unum antiquissimum, quo obligantur Beneficiati ad Officii recitationem: aliud recens tum ex Concilio generali Lateranensi quinto sub Leone X, an. 1517, tum ex Constitutione *Ex proximo* Pii V, anno 1571: quibus Officium omittentes obligantur ad fructuum restitutionem.

Qui vero neque intentionem habet restituendi fructus, peccat etiam contra justitiam; quia Ecclesia pensum Officii Beneficiato imposuit etiam sub conditione, ut fructus Beneficii non faciat suos, si illud non recitaverit. Quare qui culpabiliter Officium non recitaverit in materia gravi, elapsis sex mensibus a Beneficii possessione, tenetur in posterum pro rata omissionis fructus restituere. *Statuimus*, ait Lateranense, *ut qualibet habens Beneficium, si post sex menses, obtento Beneficio, Officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos pro rata omissionis recitationis Officii et temporis.*

Diximus 1: *Qui culpabiliter*; hæc enim restitutio non jure naturæ, sed ab Ecclesia imposita est ad puniendos non recitantes. At pœna culpam supponit, et satis colligitur ex verbis: *Qui Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos.* Quamvis autem sit pœna, restitutio, tamen facienda est ante sententiam; nam est pœna conditionalis, quæ quidem statim incurritur, conditione non impleta. Unde Alexander VII propositionem hanc sub n. 20 damnavit: *Restitutio a Pio V imposita Beneficiariis Officium non reci-*

tractu temporis, ad recitationem tenetur, alioquin suo tempore gratis eos fructus reciperet. Si vero spem non habeat, iterum tenetur si eam per negligentiam amiserit, ne commodum ex sua iniquitate reportet: idem est si ipse illa privetur juste, in pœnam alicujus criminis. Si secus est, non tenetur, ne dicatur teneri sine mercede laborare: imo etsi præter spem postea fructus percipiat, ad nihil tenetur; si quid enim deberet, esset Officii recitatio; sed hæc singulis diebus est adfixa, qui in hypothesi jam elapsi sunt: ad nihil ergo tenetur, tempore quo fructus insperato percipit. — *V. Li-guori, Op. Mor., l. III, n. 664, et l. IV, n. 144.*

tantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declarationem iudicis.

2. *Officium non recitaverit in materia gravi*; nam si partes omissæ materiam gravem non constituent, commune est nullam deberi restitutionem ne sub veniali quidem, etiamsi fructus parti illi respondententes ad magnam quantitatem pertingant. Ratio est tum quia sic fert usus Chori; tum quia fundamentum obligationis leve est, et simpliciter dici non potest transgressio illius præcepti gravis; quod quidem cum totam vim suam repetat ab Ecclesia, non ultra extendi debet, quam Ecclesia ipsa expresserit. Nempe Pius V restitutionem imposuit omissis tantum aliquam Horam, vel quod ei responderet: qui porro partem Horæ levem omittit uno die, Horam omissis dici non potest: ita Concina, Garcias, Navarrus, Salmanticenses, Suarez, etc.

3. *Elapsis sex mensibus ab adepta Beneficii possessione*; sic statuitur in dicta Bulla et in Concilio Lateranensi. Quare qui primis sex mensibus Officium omittit, peccat quidem graviter contra Religionem; non tamen contra justitiam, nec tenetur restituere.

4. *Pro rata talis omissionis*; nempe explicat Pius V: *Qui Horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes Beneficii fructus¹, qui illi vel illis diebus responderent; qui vero Matutinum, tantum dimidiam: qui ceteras alias Horas, aliam dimidiam; qui autem Horam singulam, sextam partem fructuum ejus diei amittant.*

221. Quibusnam autem sit facienda restitutio ob omissionem Officii, patet ex hisce Lateranensis Concilii verbis: *Quicumque divinum Officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis*

¹ Sanchez, Sotus, Salmanticenses, Lessius, Viva, Billuart, etc., probabiliter dicunt ex benigna interpretatione Beneficiatos non teneri omnes fructus restituere, nisi sint simplices Beneficiati, qui præter onus deferendi habitum alia onera non habent; docent enim id esse conformius juri naturali, et sic esse receptam Bullam, ut nempe clericus non recitando Horas, amittat omnes beneficii fructus, sed respondententes parti officii omissi. Unde aiunt Episcopos, Parochos, Canonicos, etc., posse sibi aliquid retinere, si cetera munia impleant. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 663 et 675. — *Analecta juris Pontificii*, an. 1854.

Officii et temporis suos non faciat; sed eos tanquam injuste perceptos in fabricam ipsorum Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare tenetur. Quare legitima facta censebitur restitutio, etiamsi fructus illi in Beneficii utilitatem impendantur: imo ipse Beneficiatus poterit sibi fructus illos applicare; si tamen sit vere (id est non inani ac suo facile iudicio) pauper, adeo ut neque ex suis bonis habeat, ut sibi provideat. — Hæc autem restitutio facienda nullimode *suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui Beneficii fecerit*: quod asserere damnatum est ab Alexandro VII, propositione 55.

222. Q. 8. *Quinam tenentur ad Officium vi professionis religiosæ?*

R. Communis sententia est (adeo ut temerarium sit aliter asserere) omnes Religiosos professos Choro addictos, quamvis nondum in Sacris, item Moniales profensas, teneri quotidie sub gravi ad divinum Officium saltem private recitandum. Talis est consuetudo obligans sub gravi, quam quidem ipse Gregorius IX agnovit præcipiens Monachis, ut etiam *itinerantes Horas dicant in via*. — Diximus professos Choro addictos; neque enim tenentur novitii, cum nondum regulam sint professi: neque conversi etsi professi, qui ordinati sunt ad corporales labores, non ad Officii recitationem.

Tenentur autem Religiosi, licet profugi sint; quia statum non amittunt: item licet suspensi vel excommunicati; cum sint in culpa et adhuc commode possint. Non tamen probabiliter tenentur qua Religiosi, si per sententiam ejecti sint; quia tunc extincta habetur essentia status Religiosi. Ceterum Religiosi, quoad Officium plura habent privilegia (V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 63). Hic notandum: —

1. Religiosæ conversæ et associatæ, loco divini Officii tenentur recitare quotidie certas preces (et dicitur *Officium laicorum*); quæ quidem non obligant sub gravi: sicuti nullimode obligant preces quæ aliquando addi solent Officio divino ex devotione potius, quam ex præcepto: —
2. sunt nonnullæ monialium Religiones, quæ loco Officii majoris tenentur tantum ad Officium parvum B. V.: quæ porro quæstiones de uno resolvuntur, de alio quoque generatim valent. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 141. — De Alexandris, *Confessarius Monialium*. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Moniales, art. vi.

N. 2. — *De tempore, loco, ordine et forma in recitatione.*

223. Q. 1. *Quo tempore Horæ Canonice recitandæ sunt?*

R. Ad vitandum peccatum mortale sufficit, si Horæ Canonice persolvantur a media nocte usque ad aliam mediam noctem¹. Ut autem vitetur etiam veniale, recitatio fieri debet tempore ab Ecclesia assignato, nisi obstet rationabilis causa. Porro extra Chorum Vesperæ et Completorium dici debent a meridie ad mediam noctem²; ceteræ vero Horæ ab aurora ad meridiem, excepto Matutino, de quo infra: item Nona, et juxta alios etiam Sexta, quæ quidem recitari possunt post meridiem.

Diximus 1: *Nisi obstet rationabilis causa*, quæ quidem communiter esse potest quælibet utilis et honesta, v. g., concio paranda vel audienda, periculum supervenientis occupationis, iter agendum, major devotio, vel tempus aptius ad studendum. Hic attendenda est regula S. Antonini: *Quando Officium dici non potest propter occupationes, melius est prævenire, quam tardare; quia prævenire est providentiæ; tardare vero est negligentia. Ceterum ad Matutinum cum Laudibus quod attinet, etiam sine causa pridie recitari potest, videlicet tempore, quo sol propior est ad occasum, quam ad meridiem³; inquit enim Angelicus: Quantum ad eccle-*

¹ Ex cap. *Dolentes de cel. Missæ*. Juxta primævam institutionem erat, ut Matutinum diceretur circa mediam noctem, Laudes sub auroram, Prima ad ortum solis, Tertia tempore medio inter ortum solis et meridiem, Sexta circa meridiem, Nona tempore medio inter meridiem et solis occasum, Vesperæ ad solis occasum, Completorium sub crepusculum nocturnum. Nostris temporibus in usu non est hæc Horarum distinctio. — V. Ferraris, vº Officium, art. 3 et 4. — Bellarminus, *De Horis Canonicis*.

² In Quadragesima, exceptis primis tribus diebus et Dominicis, Vesperæ dicuntur ante commixtionem: quod quidem est de præcepto quoad Chorum ex Concilio Cabilonense *de consecr.*, dist. 1, c. *solent*; de consilio tantum pro recitantibus extra Chorum: sed laudabilius est; cum sit se conformare veteri disciplinæ: quod dicendum est etiam de iis qui recitant parvum Officium B. Virginis. Porro illud *ante meridiem* moraliter accipiendum est, nempe pro paulo ante: Concina admittit latitudinem unius horæ. — V. Benedictus XIV, *Notificatione* xiii.

³ Tempus determinat tabella posita in fine kalendarii cujusvis Diocesis.

siasticum Officium et Solemnitatum celebritates incipit dies a Vesperis: unde si aliquis post dictas Vesperas et Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem¹. Et talis est consuetudo ubique recepta.

Diximus 2: *Extra Chorum*; nam in Choro obligatio est, ut recitetur Officium ordine debito et statis horis, quæ quidem variant a recitatione privata; ita, v. g., hora Vesperarum pro Choro est illa, quæ est media inter meridiem et occasum. Attamen videtur probabilius, quod hæc obligatio non sit sub gravi, eo quod non constet de gravi præcepto².

224. Q. 2. *Quo loco, et ordine Horæ recitandæ sunt?*

R. Ad 1: Canonici Choro addicti recitare debent publice in Ecclesia seu Choro, ut habet eorum institutio. Alii autem possunt Officium recitare per se loquendo in omni loco, modo sit citra distractionis periculum: hinc ex generali etiam piorum praxi Officium etiam in curru, et deambulando recitari solet. Si vero fiat in locis immundis, alii dicunt esse veniale si sine causa, cum id non videatur carere irreverentia; alii volunt nullum esse peccatum, quia cum Deus sit ubique, ubique laudari potest. Hinc Apostolus: *Volo... orari in omni loco³.*

R. Ad 2: Eo ordine Horæ Canonice recitandæ sunt, quo exponuntur in Breviario, et qui absque justa causa illum inverterit, peccat; quia præceptum violat: hæc tamen inversio non invalidat Officium, neque mortalis est; cum adhuc tota illius substantia habeatur. Justæ autem causæ ordinem invertendi communiter sunt: 1. si quis ab amico invitetur ad Matutinum secum una recitandum pro die sequenti, nondum persolutis Vesperis; 2. si quis carens Breviario memoriter recitet Horas ante Matutinum, cum non possit commode earum recitationem differre; 3. si quis Canonicus tarde ad Chorum accedat, Officio jam incepto. Idem est de alia simili causa rationabili (J).

¹ Quodl. v, a. 28. Neque refert, quod anticipando vel posticipando, quædam de Officio non videantur amplius convenire; nam similia verba referuntur ad tempus legitimum representative, prout ait Dens.

² Cap. 1, *de celebr. Missæ*; et Concilium Tridentinum, sess. xxiv, c. 12. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 675.

³ I Tim. ii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 471.

225. Q. 3. *An Matutinum possit a Laudibus separari?*

R. Commune est, ait S. Alphonsus, cum Abelly, Azorio, Bellarmino, Croix, Francolino, Fillucio, Garcia, Lessio, Navarro, Sanchez, Salmanticensibus, Suarez, et aliis apud Bonacinam, quod Matutinum potest a Laudibus separari etiam sine causa, sive Matutinum et Laudes sint duæ Horæ, sive una tantum; nam etiam antiquitus separabantur, uti fatentur eruditi¹. Imo Concina dicit melius esse, si Matutinum recitetur Vespere præcedenti, et Laudes remittantur ad diem sequentem; quia hoc est conformius antiquæ consuetudini. Sed cum separantur, adjici debet in fine *Pater noster*, uti Rubrica præcipit, cum terminatur Officium. Utrum vero sit etiam addenda *Oratio*, alii probabiliter negant, si excipias noctem Nativitatis, quia tunc ex Rubrica post Laudes dicitur *Oratio*, et postea celebratur Missa; alii item probabiliter affirmant, prout nempe tenent Matutinum et Laudes vel unam esse Horam vel duas. Præstat autem, ut quando separantur initio Laudum præmittatur *Oratio, Domine in unione, etc.*, cum *Pater* et *Ave*.

Imo non solum Matutinum a Laudibus, sed tres ipsi Nocturni possunt probabiliter licite inter se separari absque ullo peccato, etsi non intercedat causa, saltem si inter eos non intercedat majus temporis spatium, quam trium horarum, quod quidem esset juxta ritum antiquum, prout refert D. Thomas. Neque tunc adest obligatio recitandi *Pater*; siquidem nullum hac de re præceptum adest.

226. *Quid (quæres) si una Hora, vel unus Psalmus interrumpatur notabiliter?* Alii ajunt totam esse repetendam Horam vel Psalmum interruptum, quia sublata fuit unitas præscripta. Verum alii communius et probabilius negant, quia singuli Psalmi ac versus completam habent significationem, et satis uniuntur vel per intentionem continuandi vel per ipsam recitationem subsequentem, licet aliunde venialiter peccet qui nullam habet interrumpendi causam; quia tunc sine ratione præscriptam ab Ecclesia unitatem rumpit. Ita etiam Croix, Lessius, Sanchez, Sporer, alique².

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 167.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 168. Justæ interrumpendi causæ habentur: — 1. quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incom-

227. *An (quæres) Matutinum ante Missam sit persolvendum?* — Probabilior et communior sententia cum Anacleto, Bellarmino, Concina, Lessio, Dens, Sanchez, Sylvio aliisque, docet non esse mortale Officium matutinale, id est Matutinum cum Laudibus post Missam persolvere; tum quia nulla vera adest connexio inter Officium et Missam; tum quia gravis obligatio non clare exprimitur in Rubrica, neque communiter sub gravi recepta est. Esset tamen veniale id agere sine causa; quia revera a Rubrica id inter defectus habetur¹; et si non necessaria, est profecto illa recitatio convenientissima dispositio ad celebrandum. In hanc sententiam consentit Benedictus XIV². — Ab hujusmodi tamen culpâ veniali, ut recte dicunt cum Continuatore Tournely, excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, v. g., si dans eleemosynam postulet, ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si tempus celebrandi transeat, si instet commoditas studii, itineris et cetera similia.

228. Q. 4. *Quid agere debet qui advertit se errasse in Officio?*

modo differri non posset; — 2. ratio urbanitatis vel charitatis, aut ratio exequendi mandata superiorum; — 3. si excipienda sit Confessio alicujus, qui non libenter expectaret; — 4. si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g. ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat; quia frequens interruptio ob talem causam aliqua irreverentia non caret; — 5. licite etiam potest interjici aliqua brevis oratio inter orandum, vel aliquis interdum pius cordis affectus. Non tamen liceret, meditando gratia, in istis diutius et frequenter immorari: quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur: item si vocalis oratio longior et minime pertinens ad Officium diceretur; pars enim notabilis adderetur Horis, quod esset veniale, utpote contra formam præscriptam. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Matutinum.

¹ Si Missa sit *de Requie*, hanc inversionem nullum omnino includere peccatum alii docent; quia tunc nulla omnino vel levis adest connexio inter Missam et Officium.

² *De Sac. Missæ*, l. III, c. xiii. — Verius tamen et communiter affirmant esse mortale, nisi adsit vera, publica et gravis causa, canere Missam conventualem solemnem antequam Officium Matutinale in Choro dicatur; cum sit contraria consuetudo; et aliter agendo lædatur graviter publicus Dei cultus, et conveniens regimen Ecclesiæ, præter scandalum populi. Ita S. Alphonsus Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 348, cum Suarez, Salmanticensus, Sylvestro, Navarro, Soto, Laymano, Henriquez, Garcia, Merati, etc.

R. Error contingere potest: vel circa Officium diei præteritæ: vel circa Officium diei futuræ: vel circa Officium diei currentis.

1. Qui animadvertit, se omisisse Officium diei præteritæ, non potest illud in aliam diem transferre, etiam non impeditam: ita declaravit S. R. C. 17 junii 1675, referente Bona: sape obligatio Officii unaquaque determinata die absolvitur. Et Rubrica tunc solum Officii translationem præscribit, cum illud impeditum est vel a Dominica, vel ab Officio majori: non vero cum fuit omisum.

2. Qui adverdit se hodie recitasse Officium, quod die crastina præscriptum est, tenetur illud crastina die repetere; quia per recitationem anticipatam non potuit satisfacere præcepto nondum vigenti.

3. Qui advertit, se errasse in Officio diei currentis, postquam multum processerit, v. g., post recitatum Matutinum, si id inculpabiliter evenit, non tenetur partem recitatam emendare per aliam recitationem; sed sufficit, si recitet quod superest de Officio debito, ne detectum errorem prosequatur.

Item qui oblitus est tantum partem Horæ, sufficit illam recitare, quin totum Officium repellat. Diximus *si id inculpabiliter evenit*; si enim pars notabilis culpabiliter mutata sit, tota illa Hora probabilius est repetenda saltem sub levi: quia saltem sub levi extat obligatio orationem continuatam persolvendi, et quidem secundum ritum præscriptum¹.

N. 3. — *De modo recitandi Horas Canonicas.*

229. Q. 1. *Quomodo Horæ recitandæ sunt?*

R. Concilium Romanum celebratum anno 1216, a quo antiquissima consuetudo Horas recitandi confirmata est et in legem scriptam deducta, modum etiam indicavit, quo illæ recitandæ sunt, inquit: *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter et diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent et devote. Vocabulum studiose pertinet ad munus oris, et postulat ut Officium persolvatur vocaliter absque syncope, et abscissione*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 667; et l. IV, n. 160, q. 5.

verborum. Vocabulum *devote* pertinet ad munus cordis, et postulat, ut recitatio fiat cum debita intentione et attentione. Hinc illud:

*Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum
Inque Choro ne sis corporore, mente foris.*

230. Q. 2. *An qui officium recitat, debeat se ipsum audire?*

R. Alii affirmant cum Suarez; oratio enim, inquit, etsi vocalis, exigere videtur, ut qui orat, audire seipsum debeat. Sed satis probabiliter negant Azorius, Layman, Salmanticenses, Sporer, Tournely et alii cum doctissimo Sylvio, cujus doctrinam magni æstimat Benedictus XIV. Sane ad satisfaciendum huic præcepto non præcipitur auditio sed tantummodo recitatio, id est vocalis pronuntiatio verborum; atqui hæc haberi potest, licet a recitante verba non audiantur. Ut enim habeatur vera recitatio, seu vera vocalis pronuntiatio, sufficit ut formetur aliquis verborum sonitus etsi modicus et vix sensibilis: hic porro sonitus semper fit cum verba proferuntur; quia proferri nequeunt, quin per linguam et labia fiat aliqua aeris compressio, ex qua necessario aliqualis sonitus enascatur oportet. Est autem per accidens, si sonitus iste audiatur vel non audiatur¹.

231. *An (quæres) qui recitat Officium cum sociis teneatur repetere quæ non satis auribus perceperit, si agatur de materia notabili?*

Commune est satisfacere qui audit a socio Lectiones, Responsoria, Capitula Ovationes et Antiphonas: item tenent probabiliter et illos satisfacere, qui dicunt soli Psalmos, et Lectiones audiunt: vel soli partem Psalmorum dicunt, et partem cum socio; quia satis communicant ex recepto usu in eo, quod audiunt². — Hoc posito: non improbabiler cum Elbel, Roncaglia, Salmanticensibus, aliisque excusant

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 162. Etsi tamen præstet, ut recitans se ipsum audiat, ad auferendum periculum syllabas syncopandi.

² Valide et licite recitatur Officium alternatim cum socio non obligato ad Horas, et etiam cum laico, ut passim docent, semper tamen per modum orationis seu actus religionis. Attamen dedecere videtur, ut cum femina dicantur Horæ canonicæ.

a repetendo quod non satis auribus perceptum fuit, si id contingat propter strepitum alienum, imo etiamsi id evenerit propter culpam Chori, vel socii. Quæ sententia innititur auctoritate S. Antonini, qui ait: *Si quis Lectionem, vel aliud quod in Choro legitur, non intelligat propter legentis ineptitudinem, non peccat, dummodo conetur intelligere saltem verba.* Suffragatur ratio: recitans cum socio per illam societatem et suam applicationem censetur moraliter communicare cum eo in oratione; cum intendat Deo exhibere omnes laudes et preces, quas socius profert. Accedit: præceptum Officii ex Ecclesiæ benignitate est benigne interpretandum: alioquin innumeris anxietatibus locum faceret¹.

232. Q. 3. *An in Officii recitatione requiratur intentio et attentio?*

R. Affirmative; recitatio Horarum est vera oratio, id est *elevatio mentis in Deum*: sed hæc nequit fieri ut oportet sine convenienti intentione et attentione. Quid est intentio? est volitio faciendi aliquid: quid attentio? est mentis applicatio ad id, quod agitur. Necessaria est igitur in Horarum recitatione: 1. *intentio*, seu volitio saltem generalis orandi: unde qui Horas eruditionis causa, vel animo sese exercendi in legendo aut Psalmos memoriæ mandandi recitat, non facit satis, sed tenetur illas repetere; cum talis recitatio non sit

¹ Certum est cum Holzman, Roncaglia, Azorio et Reginaldo, quod non oportet in Choro audire omnes, sed sufficit unum audire, et sufficit audire in confuso saltem partem alterius Chori, licet distincte nequeas audire. Ita Salmanticenses, qui testantur hoc docere fere omnes Doctores. Sic pariter est certum, ut docet Innocentius III, c. ix, *de celebr. Missæ*, quod *si in Choro omittas aliquid dicere verbum* (intellige non ultro), *non peccas; Chorus enim supplet.* Sed an satisfaciat surdus, qui ex obligatione Choro assistit, et suam tantum recitat partem? Affirmant Suarez, Escobar, Roncaglia, Sa. Magis tamen mihi placet sententia opposita cum Palao, Sanchesio, Salmanticensibus, Elbel, qui dicunt surdum lucrari quidem distributiones; sed teneri ad repetendum non audita; sed bene tamen potest eodem tempore satisfacere submisso dicendo partem alterius Chori. » Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 165. — Sane surdus non potest dici, quod quantum in se est cum aliis communicet; cum imo totum per ipsum sit, quod non possit communicare. Diversa est ratio illius, qui potens est communicare, et de facto quantum in se est, communicat; sed aliquid non percipit ob alterius impedimentum tantummodo.

oratio; 2. *attentio*, id est animi applicatio ad Officium quod persolvitur; secus recitatio non fieret humano modo, sed materiali omnino.

233. Intentio autem alia est expressa, alia implicita. *Expressa* qua quis ab initio Breviarum sumens dicit actu: *Volo orare.* *Implicita* vero, qua id non dicit quidem actu, sed id virtualiter intendit, dum vult recitare Horas Canonicas juxta Ecclesiæ præceptum. Hæc porro sufficit; nam prima illa non est semper posita in nostra potestate.

Attentio item alia est *externa*, quæ excludit omnem externam actionem physice impossibilem cum eo, quod agitur; alia *interna*, quæ consistit in interiori mentis advertentia ad id quod agitur. Certum est ad validitatem Officii *attentionem externam* requiri; cum secus haberi non possit ipsa recitatio: uti esset fabulari, scribere, os in risum laxare, attentam alienis sermonibus aurem præbere, magna animi applicatione aliquid diversum agere, sibi celeriter vestes accommodare; qui enim hæc agit, Deum potius irridere, quam eum exorare dicitur. Aliter esset, si quis dum recitat, signa quærit, se lavat, flores colligit, ignem fodicat, collem aspiciat: vel recitat ubi alii fabulantur vel canunt, modo his animum non serio applicet; hæc enim satis compatibilia sunt cum recitatione. Sed in hisce rebus non una regula est: nam quædam actiones, quæ pro uno sunt distractivæ, tales non sunt pro alio.

Non ita tamen res certa est, si quæretur de *attentione interna*: communior et probabilior sententia omnino consulenda docet, hanc quoque requiri; nam sine attentione interna non constituitur oratio, quæ universe definitur: *Elevatio mentis ad Deum.* Unde quamvis Ecclesia non imposuerit speciale præceptum positivum attentionis internæ; tamen præcipiendo recitationem Officii per modum orationis ad Deum colendum, veram præcepit orationem, quæ sine attentione interna non est vera oratio; nec Deus colitur per solam recitationem externam ab iis qui voluntarie se distrahunt, imo de his conqueritur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*¹. Adde: Tridentinum vult Offi-

¹ Matth. xv. — V. Casati, *De Sacram. Pœnit.*, art. de interrogandis Ec-

cium recitari *reverenter*, *distincte* ac *devote*: *reverenter*, en intentio; *distincte*, en attentio externa; *devote*, en attentio interna.

234. Sed (quæres) *quænam interna attentio requiritur?* Præter attentionis divisionem tradi solitam in *actualem*, quæ est; in *virtualem*, quæ fuit et in alio perseverat; in *habitualementem*, quæ pariter fuit, sed in nullo effectu permanet; et in *interpretativam*, quæ esset; tripliciter adhuc distinguitur attentio interna. Alia *spiritualis* seu mystica, quæ est ad Deum ipsum; cum nempe mens ad eum elevatur, meditando v. g. ejusdem attributa, vel passionis Christi mysteria. Alia *litteralis*, id est ad sensum; cum nempe attenditur ad percipiendam verborum intelligentiam. Alia demum *superficialis*, quæ est tantum ad verba, cum nempe attenditur ad recte verba proferenda, ne error fiat ea mutilando vel transferendo, cum intentione generali colendi Deum.

Hisce positis, dicimus: — 1. attentio *habitualis* non sufficit, quia non est hominis agentis humano modo: item neque *interpretativa*, quia hæc nondum existit. *Actualis* vero optima quidem est, sed non necessaria, cum ea non sit semper in nostra potestate, et ei opponantur distractiones etiam involuntariæ. Sufficit ergo et requiritur saltem attentio *virtualis*, cui quidem solum voluntariæ distractiones opponuntur; — 2. attentio *spiritualis*, ut eam nos explicamus, non requiritur: hæc sane licet sit optima et ideo laudanda, non est necessaria; cum de facili haberi non possit; nec requiritur *litteralis*; quia secus non orarent qui latinam linguam ignorant. Sufficit ergo et requiritur saltem attentio *superficialis*: id est attentio ad verba, non quidem ad singula omnino, sed moralis et generalis conjuncta cum pia intentione orandi et colendi Deum. Hæc, inquam, attentio requiritur et sufficit: *requiritur*, quia Breviarium est oratio vocalis, et ideo orali vocis sono compleunda per distinctam verborum pronuntiationem: *sufficit* autem; oratio enim sic facta est vera oratio: *Primo est attentio ad verba quibus petimus*, inquit Angelicus, *deinde ad petitionem ipsam... et*

clesiasticis, n. 3. — Liguori, *Homo Apost.*, App. III, n. 75; et fassius in *Op. Mor.*, l. IV, n. 172; et l. III, n. 669. — Ferraris, *2º Officium divinum*, art. 2. Unde qui cum sola attentione externa recitat, non potest facere fructus suos; potest tamen retinere si eos jam fecerit bona fide. Ratio primi, quia esto quod opinio quæ non requirit attentionem internam sit adhuc probabilis: at cum sola probabilitate nequit inchoari possessio fructuum. Ratio secundi, quia posito jure certo, quod ipse habet ad res jam bona fide possessas, non tenetur ad restitutionem, nisi sit certus de obligatione restituendi.

*quæcumque harum attentionum adsit, non est reputanda inattenta oratio*¹ (K).

235. Q. 4. *Quomodo dirigendus est scrupulosus circa Officium?*

R. Potest quis esse scrupulosus, vel quia dubitat de intentione debita: vel quia dubitat de attentione sufficienti; vel quia dubitat de accurata verborum expressione; vel quia timet, ne brevis, quam par sit, tempus impenderit in Horarum recitatione. Jam vero:

1. Ei, qui dubitat circa *intentionem debitam*, suadebit Confessorius dubium illud quamdam esse insanie speciem nemini aperiendam; intentio enim adest hoc ipso, quod Breviarium manu suscipit et Officium de facto recitat. Addat, non requiri intentionem satisfaciendi, sed sufficere intentionem recitandi: imo ne requiritur quidem intentio explicita; sed sufficit implicita, et virtualis intentio orandi, quæ certe adest quotiescumque vult quis vel Officium dicere vel colere Deum vel propriæ obligationi satisfacere. Unde ne sit anxius de intentione.

2. Ei, qui dubitat de *sufficienti attentione*, aperte dicat eam certo perseverare quoad ipse recitare pergit, et stat etiam cum distractione voluntaria, dummodo non sit certo voluntaria relate ad Officium. Et licet per hanc distractionem attentio esset amissa; sufficienter tamen renovaretur per distractionis exclusionem opus inceptum proseguendo. Imo metus ipse quo scrupulosus agitur, ne intentio amissa sit, et non renovata, signum est certum quod ipsa adsit. Et D. Thomas docet, non esse indicium sufficiens voluntariæ distractionis, etsi post recitationem Horarum non amplius recordemur nos fuisse attentos, vel nos omnia recitasse; quia non requiritur memoria nec attentio attentionis. In hoc scrupulosi se laboriose et perniciose fatigant; nam uti observat Suarez, hic etiam peccatur per excessum; et velle attendere ad attentionem reipsa distractionem parit.

3. Ei, qui dubitat de *accurata verborum expressione*, suadendum, ne inter recitandum hæreat, sed decurrat sine ulla anxia sollicitudine, sine compressione vocis, oris aut pectoris, absque motibus impatientiæ vel tristitiæ; neque examinet quomodo processerit, certus quod Deus magis honoratur cura moderata, cum tunc sit habere Deum ut benignum Patrem. Item ne quid repetat, quamvis judicaret se non satisfecisse præcepto propter voluntariam ut putat distractionem, vel intentionis defectum; sed conscientiam infestantem sedet et tranquillet ex hac theologorum doctrina utique tuta, quod præceptum Ecclesiæ non illum obligat ad repetendas Horas, quidquid tandem ipse

¹ In iv, dist. xv, q. 4. Ex his patet, optimam esse hanc orationem, licet eam recitaverit Monialis, quæ sensum verborum non intelligit. — V. De Ponte, *La perfezione cristiana*, t. III, c. vi, § 1 et 2.

putet: cum Ecclesia non obliget cum tot incommodis, et cum periculo infirmitatis quod inde quandoque sequitur; et benigna Mater non vult filios suos meticulosos et anxios, sed hilares et quietos. Dens.

4. Ei tandem, qui anxius est de tempore impendendo in recitatione, suadere poterit Confessarius, imo etiam injungere: a. ut spatium sibi ipse determinet ordinarie necessarium, et quod a probis impendi solet; b. ut illa quæ intra tale spatium recitare nequit, omittat; Ecclesia enim non plus ab ipso requirit. Liguori¹.

N. 4. De causis a recitatione excusantibus.

236. Q. Quot sunt causæ ab Officio excusantes?

R. Causæ ab Officio excusantes communiter adsignari solent.

1. *Inculcata Breviarii carentia* cum impotentia aliud sibi comparandi; quia tunc quoque habetur impotentia physica. Diximus *inculcata carentia*; si enim quis Breviarum in ignem projiciat vel in flumen, peccat et tenetur retractare perversam illam voluntatem, simulque curam omnem impendere ad aliud sibi Breviarium comparandum, recitando interea quod memoria tenet²: alioquin tot peccata committit quot sunt omissiones quas prævidet, nisi eum poeniteat primi peccati; quia perseverat voluntarium in causa.

2. *Oculorum cæcitas*; hæc enim constituit veram impotentiam physicam: idem dicatur de oculorum morbo, quo quis laboret. Si tamen Officii pars aliqua notabilis memoriæ teneatur, illa recitari debet ex dictis; sed non ideo obligatur sub peccato ad Horas ceteras memoriter addiscendas, quia hoc esset medium extraordinarium.

3. *Gravis metus*, cum Ecclesiæ præcepta ex se non obli-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 177.

² Diximus *recitando interea*, etc., quia in re en regula: si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi, secus ad nihil neque sub levi; quia modicissima pars seorsim sumpta non censetur æstimabilis ad finem legis. Quod si habeas Officium commune, non tamen proprium diei, adhuc teneris; quia satis observaretur substantia. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 157. — Ferraris, *vº Officium*, a. 5.

gent cum gravi incommodo; ideo liberatur *vel in toto vel in parte* ab Officio qui sibi prudenter timet obventurum esse grave aliquod corporis vel honoris detrimentum, v. g., si quis obligatus inter hæreticos, vel infideles degens ob Officii recitationem tales eorum in se furores excitaret, ut persecutiones graves pertimesceret. Diximus *vel in toto, vel in parte*; nam si præcepti materia divisibilis est, qui non potest implere totum, tenetur implere partem quam potest: ea ipsa ratione, qua ære alieno gravatus, cum non potest solvere totum, debet solvere quod potest. Unde damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 54 propositio: *Qui non potest recitare Matutinum cum Laudibus, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.*

4. *Gravis infirmitas*: hac ratione excusantur ab Officio non solum qui actu laborant morbo gravi; sed etiam qui nequeunt illud recitare absque gravi ejusdem periculo, v. g. si quis prudenter timeat sibi inde obventuram notabilem capitis gravedinem, aut virium lassitudinem. Idque probabiliter tenet, etiamsi infirmus per magnam diei partem legeret libros ad solandum animum; quod enim legere queat libros recreationis causa, non sequitur posse et teneri recitare Officium, quod requirit tum intentionem tum attentionem, quibus major profecto inhæret difficultas. Ita Elbel, Holzman, Salmanticenses, Sanchez et Sporer. Quod de ægrotante, illud etiam de convalescente dicendum cum Concina ac Tournely, saltem per aliquot dies ad arbitrium prudentis, donec nempe viribus reficiatur: et quamvis interim Missam valeat celebrare; quia Missa non ita aggravare solet. — In dubio, an infirmitas sufficiat, poterit quilibet acquiescere judicio medici aut superioris aut viri prudentis: et regulariter favorabilem partem amplecti, cum possideat jus naturale de propria conservatione¹.

5. *Gravis occupatio*: quæ tunc tantum excusat ab Officio, cum vel non potuit præveniri, vel non potest omitti sine

¹ Communiter docent cum Fagnano, infirmitatem excusare, etsi per gravem culpam fuerit contracta, v. g., ebrietatem; quia revera hic et nunc adest impotentia, ad quod quidem unice attendit lex.

gravi scandalo aut sine gravi damno alieno aut proprio, neque cum Officio potest conciliari: quæ ubi concurrant, censetur adesse impotentia moralis, ideoque obligationis cessatio. Sic excusantur Parochi, qui occupantur tota die in cura infirmorum; cum eam haud possint differre: item Confessarii, qui per totam diem Confessiones excipiunt, quas omnino non possunt ad aliud tempus protrahere: item concionatores, si tamen nequeunt omittere concionem sine scandalo, aut infamia. Non vero excusantur qui studio vacant; secus actum esset de hac recitatione: hinc contraria propositio sub n. 21 ab Alexandro VII damnata est.

Qui tamen prævidet occupationem sibi in die obventuram, quæ stare nequeat cum recitatione, ut longum iter et asperum, tenetur Officium si ejus jam inceperit obligatio, in antecessum recitare, v. g. summo mane, casu quo nequeat reliquis diei horis; quia jam summo mane contraxit obligationem recitandi totum Officium. Ex quo merito inferunt, rarissime contingere, quod Officium omitti possit propter occupationem. — Diximus, si ejus jam inceperit obligatio; quia nemo tenetur prævenire illius præcepti implementum, quod nondum existit. Sic valde probabile apparet cum Elbel, Holzman et Sporer, quod ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, minime teneatur die antecedenti id agere; quia præcepti obligatio nondum inceperit; et licet permittatur recitari, id tamen non ex præcepto, cum nondum urgeat, sed ex privilegio inductum est, quo nemo ligatur.

6. *Dispensatio*: supremus Pontifex absolute, et etiam sine causa potest valide dispensare, licet agatur de Beneficiato: quia hæc obligatio (uti docent cum Benedicto XIV) non est de jure naturali, sed tantum positivo Ecclesiastico, a quo bene valet dispensare¹. Episcopus autem dispensare non

¹ *Notificatione XIX.* — In Bulla *Pastor bonus* idem Pontifex habet, § 50: *Major Pœnitentiarius super recitatione divini Officii seu Horarum Canonicarum propter aliquam impossibilitatem seu moralem difficultatem, dispensandi cum commutatione in alias preces vel orationes vel alia pia opera, earumque seu eorum injunctione, habeat facultatem.* Quæ opera si omittantur, adhuc Beneficii fructus sunt restituendi, ac si ipsum Officium omitteretur: nam dispensatio cum commutatione reddidit quidem facilio-

potest, nisi cum causa, et cum aliquo particulari, atque ad breve tempus: sic fert recepta ubique consuetudo: causa erit, quando dubitatur de morali Clerici impotentia. Hanc autem facultatem valet Episcopus exercere etiam per Vicarium suum generalem, modo tamen speciale illi mandatum eam in rem elargiatur; nam ex generali commissione non ipsi committuntur, nisi quæ sunt de jure Episcopi ordinario et proprio.

Hinc versus:

*Quem Papa dispensat, nullus labor opprimit, æger,
Qui timet, aut oculis, Officioque caret.*

DISPUTATIO SECUNDA DE ACTIBUS RELIGIONIS EXTERNIS

CAPUT PRIMUM DE ADORATIONE

237. Adoratio est actus, quo quis propriam submissionem alteri exhibet, in testificationem ipsius excellentiæ ipsum reverendo, v. g., genuflectendo ante illum. Alia est civilis seu politica, alia sacra seu religiosa; illa exhibetur supremis principibus propter excellentiam status quam præ aliis habent: hoc sensu Nathan adoravit David regem¹, et sic Cardinales adorant Papam vix electum. Ista alicui exhibetur ob

rem, at non abstulit conditionem faciendi fructus suos; esto etiam quod opera commutationis sint non ita gravis momenti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 4053; et l. IV, n. 159.

¹ III *Reg.* i. — V. S. Thomas, 2, 2. q. 84 et seqq. — L. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Cultus Sanctorum. Et Dogmaticæ tractatores, passim.

gravi scandalo aut sine gravi damno alieno aut proprio, neque cum Officio potest conciliari: quæ ubi concurrant, censetur adesse impotentia moralis, ideoque obligationis cessatio. Sic excusantur Parochi, qui occupantur tota die in cura infirmorum; cum eam haud possint differre: item Confessarii, qui per totam diem Confessiones excipiunt, quas omnino non possunt ad aliud tempus protrahere: item concionatores, si tamen nequeunt omittere concionem sine scandalo, aut infamia. Non vero excusantur qui studio vacant; secus actum esset de hac recitatione: hinc contraria propositio sub n. 21 ab Alexandro VII damnata est.

Qui tamen prævidet occupationem sibi in die obventuram, quæ stare nequeat cum recitatione, ut longum iter et asperum, tenetur Officium si ejus jam incepit obligatio, in antecessum recitare, v. g. summo mane, casu quo nequeat reliquis diei horis; quia jam summo mane contraxit obligationem recitandi totum Officium. Ex quo merito inferunt, rarissime contingere, quod Officium omitti possit propter occupationem. — Diximus, si ejus jam incepit obligatio; quia nemo tenetur prævenire illius præcepti implementum, quod nondum existit. Sic valde probabile apparet cum Elbel, Holzman et Sporer, quod ille, qui non potest recitare Matutinum die sequenti, minime teneatur die antecedenti id agere; quia præcepti obligatio nondum incepit; et licet permittatur recitari, id tamen non ex præcepto, cum nondum urgeat, sed ex privilegio inductum est, quo nemo ligatur.

6. *Dispensatio*: supremus Pontifex absolute, et etiam sine causa potest valide dispensare, licet agatur de Beneficiato: quia hæc obligatio (uti docent cum Benedicto XIV) non est de jure naturali, sed tantum positivo Ecclesiastico, a quo bene valet dispensare¹. Episcopus autem dispensare non

¹ *Notificatione XIX.* — In Bulla *Pastor bonus* idem Pontifex habet, § 50: *Major Pœnitentiarius super recitatione divini Officii seu Horarum Canonicarum propter aliquam impossibilitatem seu moralem difficultatem, dispensandi cum commutatione in alias preces vel orationes vel alia pia opera, earumque seu eorum injunctione, habeat facultatem.* Quæ opera si omitantur, adhuc Beneficii fructus sunt restituendi, ac si ipsum Officium omitteretur: nam dispensatio cum commutatione reddidit quidem facilio-

potest, nisi cum causa, et cum aliquo particulari, atque ad breve tempus: sic fert recepta ubique consuetudo: causa erit, quando dubitatur de morali Clerici impotentia. Hanc autem facultatem valet Episcopus exercere etiam per Vicarium suum generalem, modo tamen speciale illi mandatum eam in rem elargiatur; nam ex generali commissione non ipsi committuntur, nisi quæ sunt de jure Episcopi ordinario et proprio.

Hinc versus:

*Quem Papa dispensat, nullus labor opprimit, æger,
Qui timet, aut oculis, Officioque caret.*

DISPUTATIO SECUNDA DE ACTIBUS RELIGIONIS EXTERNIS

CAPUT PRIMUM DE ADORATIONE

237. Adoratio est actus, quo quis propriam submissionem alteri exhibet, in testificationem ipsius excellentiæ ipsum reverendo, v. g., genuflectendo ante illum. Alia est civilis seu politica, alia sacra seu religiosa; illa exhibetur supremis principibus propter excellentiam status quam præ aliis habent: hoc sensu Nathan adoravit David regem¹, et sic Cardinales adorant Papam vix electum. Ista alicui exhibetur ob

rem, at non abstulit conditionem faciendi fructus suos; esto etiam quod opera commutationis sint non ita gravis momenti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 4053; et l. IV, n. 159.

¹ III *Reg.* i. — V. S. Thomas, 2, 2. q. 84 et seqq. — L. Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v^o Cultus Sanctorum. Et Dogmaticæ tractatores, passim.

ejus sacram et supernaturalem excellentiam; et talis est adoratio quæ exhibetur Deo, B. Virgini et Sanctis. Ceterum ut omnis tolleretur æquivocatio, usus invaluit, ut solus cultus Deo debitus, dicatur *adoratio*; cultus vero quæ B. Virgini et Sanctis tribuitur, *veneratio* vocetur. Item cultus distingui cœpit in *latriam*, in *hyperduliam*, in *duliam*; primus qui Deo, alter qui Virgini matri, tertius qui Sanctis tribuitur.

Adoratio secundum se actum corporalem non importat; nam Angeli qui incorporei sunt, adorant Deum; item et nos sola mente illum adorare possumus. Attamen hæc adoratio pro nobis non sufficit; quia cum ex anima et corpore simus compositi, exhibere debemus Deo submissionem tum mentis per actus internos, tum corporis per actus externos, ut ita totum nostrum esse illi submittamus.

CAPUT SECUNDUM

DE VOTO

Art. I. — De voti definitione, honestate et divisione.

238. Q. 1. Quid est votum?

R. Votum, prout est actus Religionis externus, definitur a D. Thoma: *Promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili*¹.

1. *Promissio*, id est talis actus voluntatis, quo quis erga Deum se obstringit ad aliquid agendum, vel omittendum. Et sic distinguitur votum a simplici proposito: qui enim proponit, intendit quidem facere quod proponit; non intendit tamen in se assumere obligationem illud præstandi ne sub levi quidem.

2. *Deliberata*: votum enim est lex, et quidem per se gravis, quam vovens sibi ipse libenter imponit: atqui nemo censetur citra sufficientem animi deliberationem sese obligare.

¹ 2, 2, q. 88, a. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 194.

3. *Deo facta*: est enim votum actus Religionis, et quidem *latreuticus*, id est soli Deo debitus. Cum ergo Catholici quædam vovent B. Virgini ceterisque Sanctis, id est hoc sensu, quod nempe vota nuncupant B. Virgini, et Sanctis tanquam testibus, patronis et adiutoribus.

4. *De bono meliori et possibili*. *De bono*, alioquin non esset Deo gratum; *de bono meliori*, promissio enim quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit, nec potest esse illi grata; *de bono possibili*, nam promissio de re impossibili est ridicula et stulta.

239. Q. 2. An votum sit res bona, honesta et sancta?

R. Lutherus et Calvinus docuerunt, votum tale quidem esse, si fiat de iis, quæ jam in lege præcepta sunt, adque ex animo illa expeditius exequendi; sed esse rem illicitam, turpem et impiam, si fiat de iis, quæ in lege minime præcepta sunt, et ex solo motivo colendi Deum, uti sunt v. g. vota Monachorum. Sed falluntur: sane Apostolus sic scribit de viduis, quæ postquam continentiam Deo vovissent, nubere iterum cupiebant: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*¹. Hic profecto agitur de re, quæ minime præcipiebatur in lege, nempe de continentia perpetua in illo statu viduitatis servanda; atqui tamen voti materiam constituebat, et Apostolus eam habuit uti bonam, honestam et sanctam, ita ut damnationis sententiam ediverit contra mulieres, quæ votum illud voluissent infringere. Hinc in ipsa Scriptura, nulla votorum distinctione facta, de omnibus votis generatim dicitur: *Redde Altissimo vota tua: si quid vovisti Deo, ne moreris reddere*². Deinde si res ita non esset, cur Ecclesia, columna veritatis, vota non solum semper admisit, sed et plurimum commendavit³? Hinc jam a sæculo IV arcebantur in perpetuum a fidelium communione virgines, quæ votum castitatis violaverunt, uti constat ex Concilio Eliberitano.

¹ I Tim. v. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, vº Votum.

² Ps. XLIX; Eccles. v.

³ V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., vº Vœu. Neque dicant hæretici votum adversari libertati Evangelicæ, nam libertas Evangelii est libertas a peccato, non autem a lege, a præcepto, aut a vinculo quocumque, quod fideles majoris perfectionis causa sibi voluntarie possunt imponere.

Accedit populorum consensus; neque sane tantum penes gentem Israeliticam, sed etiam apud ethnicos vota nuncupabantur ad cultum divinum spectantia, cujus quidem rei complura exempla refert Livius. Accedit et ratio; per votum enim magis magisque voluntas nostra firmatur in bono, quod profecto pertinet ad perfectionem virtutis.

240. Ex hoc tria corollaria deducuntur: — 1. opus factum ex voto melius esse opere, quod fit sine voto, tum quia quod fit ex voto, procedit e virtute præstantiori, nempe religione: tum quia sic magis Deo nos submittimus; tum quia propriae ejus bonitati superaddit bonitatem voti¹; — 2. non tenere votum de *non vovendo*; quia non est de bono meliori, nisi forte conjunctum sit cum illa conditione: *de consilio Confessarii expostulando*, ad vitandum votum præceps. Si tamen hoc voto non obstante, adhuc deliberate quis voveat, valet secundum votum cum habeat objectum satis validum. Item valet votum de non ludendo etiam ludo honesto; quia actus majoris virtutis est se abstinere etiam ab aliquo actu virtuoso ad majorem perfectionem; — 3. fideles non esse promiscue avertendos a votis nuncupandis; sed potius in iis recte dirigendos, ne imprudenter voveant, v. g. jejunia sanitatem læsura, eleemosynas facultatibus non accommodatas. Hæc generatim regula tenenda, ut facilius permittantur vota ad tempus, v. g. jejunii ad diem in mense; castitatis ad annum, vel de uno ad aliud Festum (L).

241. Q. 3. *Quænam est voti divisio?*

R. Triplici modo votum spectari potest: nempe tum ratione rei, quæ promittitur; tum ratione formæ, qua res ipsa promittitur; tum ratione temporis, ad quod se extendit executio rei promissæ.

1. Ratione rei, quæ promittitur, votum aliud est *positivum*, aliud *negativum*; aliud *reale*, aliud *personale*, aliud *mixtum*; aliud *liberum*, aliud *necessarium*. — Voto *positivo* promittitur res facienda, v. g., oratio; *negativo* promittitur aliquid omittendum, v. g., jocus. *Reali* promittitur res externa pretio æstimabilis, v. g., calix; *personali* promittitur personæ actio, v. g., Missæ auditio; *mixto* actio personalis simul et res pretio æstimabilis extra nos posita, ut si voveas peregrinationem cum oblatione calicis. *Libero* res non præ-

¹ S. Thomas, 2, 2, q. 88, a. 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 478 et 210.

cepta promittitur, v. g., religionis ingressus; tandem voto *necessario* promittitur res jam in præcepto, v. g., a venereis abstinentia.

2. Ratione *formæ* qua fit promissio, aliud est votum *absolutum et conditionatum*, aliud *solemne et simplex*, aliud *reservatum et non reservatum*, aliud *expressum et tacitum*. — Absolutum fit pure et simpliciter, v. g., voveo eleemosynam. Conditionatum est quando adjungitur conditio, ita ut promissio non habeat vim obligandi, nisi ponatur conditio illa, v. g., voveo peregrinationem, si a morbo convaluero: huc revocatur votum quod vocant *pœnale*, cui nempe per modum conditionis adnectitur pœna, v. g., voveo eleemosynam, si iterum ad ludum redibo. Solemne est, quod fit ritibus ab Ecclesia præscriptis, accedente nempe Ecclesiæ ipsius approbatione, et assoluta in perpetuum acceptance: tale est votum castitatis, quod Ordinibus sacris adnectitur ac professioni Religiosæ. Simplex nullam habet talem solemnitatem¹. Reservatum est quod non potest relaxari, nisi a Pontifice: non reservatum, cujus relaxatio haberi potest ab alio Superiore. Expressum, quod verbis exterius profertur, ut ordinarie contingit. Tacitum, quando quis aliquid vult, cui scit votum esse adnexum: tale est votum, quod emittitur ab iis, qui promoventur ad Subdiaconatus Ordinem.

3. Ratione *temporis*, quo comprehenditur executio rei voto promissæ, votum aliud est *temporaneum*, aliud *perpetuum*. — Temporaneum limitatur ad tempus determinatum, v. g., voveo jejunium singulis sabbatis per anni spatium. Perpetuum extenditur ad totam vitam: tale est votum ingrediendi Religionem approbatam.

Art. II. — De conditionibus ad votum requisitis.

242. Q. 1. *Quinam possunt vovere?*

R. Omnes possunt vovere, qui sufficientem habent rationis usum, dummodo legitime non impediuntur; isti enim et voti

¹ V. Bouix, *De jure Regularium*, pars I^a, c. II. — Dens, Sylvius, Suarez, Billuart.

naturam cognoscere et cultum Deo exhibere queunt. Cum autem usus rationis præsumatur post septennium; ideo vota ante septennium emissa censentur invalida, nisi ex circumstantiis constet usum rationis adfuisse.

Diximus dummodo legitime non impediatur; nam potest quis a voti nuncupatione legitime impediri, etiam post sufficientem usum rationis: 1. auctoritate Ecclesiæ, quando Ecclesia quasdam voventibus imponit conditiones, quibus non servatis, votum est nullum. Sic Tridentinum præscripsit decimum sextum annum completum pro emittenda professione religiosa: ideo nulla esset ac prorsus invalida, si ante id temporis fieret; 2. ratione materiæ, si nempe res voto promissa ad dominium alterius pertineat, uti si filiusfamilias voveret de substantia patris; 3. voluntate illius a quo fortasse vovens dependeat, quatenus superioris voluntati subiciatur: sic, v. g., erit de Religioso relate ad Prælatum suum; de minore relate ad suum tutorem, licet probabilius in hoc ultimo casu votum non sit irritum, sed tantum irritari possit¹.

243. Q. 2. *Quænam voluntas ad voti valorem requiritur?*

R. Talis ad voti valorem requiritur in vovente voluntas, quæ sit vere et proprie se obligandi ad aliquid agendum vel omittendum, ita ut in promissario (scilicet in eo, cui promissio facta est) verum jus enascatur rem voto promissam exigendi. Est enim votum lex quædam privata, quam vovens sibi sponte imponit; atqui sine positiva obligationis inducendæ voluntate lex nulla esse potest. Hinc nudum propositum, quamvis firmissimum, ad voti naturam non sufficit².

Quod si vovens hic et nunc non attendat ad voti obligationem, tunc vel iste conscius est obligationis, quæ voto inhæret; vel non. Si 1, valide vovet, modo verba votum significantia proferat; quia hoc ipso, quod voluntarie emittit votum conscius obligationis, censetur implicite ipsam quoque obligationem intendere. Si 2, nullum est votum; nemo

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 231.

² Notandum votum tenere, licet quis dum vovet, velit quidem se obligare, sed nequiquam votum implere; nam votum non facit intentio implendi, sed se obligandi.

enim dici potest velle obligationem quam ignorat, cum voluntas non feratur in incognitum. Excipe si iste voluerit modo illo ordinario vovere, quo vovent alii; tunc implicite obligationem ipsam voluisse dicendus esset.

An (quæres) quis possit vovere rem gravem, sed cum voluntate se obligandi tantum sub levi? Utiq; potest; vovens enim habetur in voto uti legislator: atqui communis opinio est legislatorem præcipere posse rem gravem sub levi. Si quis tamen rem gravem voveat, quin intentioni suæ limites expresse apponat, censetur se obligare secundum rei naturam et materiæ capacitatem, ac proinde sub gravi¹.

244. Q. 5. *Quænam advertentia requiratur ad voti valorem?*

R. Ad voti valorem requiritur, ut advertentia sit plena et directa: *plena*, qualis nempe requiritur ad mortale; nemo enim præsumitur obligationem ex genere suo gravem imponere sibi velle, nisi eam plene cognoverit atque elegerit. Hinc votum cum advertentia semiplena, v. g., ex repentino animi motu, vel ex contracta loquendi consuetudine, lingua mentem præveniente, non tenet. *Directa*, ut nempe votum sit in se volitum: hinc vota emissa in ebrietate, etiam ante prævisa, et sic volita in causa, non sunt valida; quia non sunt volita in seipsis atque directe. Bonum enim non exurgit, nisi ex integra causa: licet malum, id est peccatum oriatur etiam a voluntario indirecto, sive a quocumque defectu².

245. *Sed (quæres) quid de voto facto ex errore et ignorantia? Error sicut ignorantia in voto versari potest: —*

1. circa ipsam voti substantiam, v. g., si quis voveat ingressum in tale Monasterium, putans esse S. Dominici, cum sit S. Francisci: vel dare Ecclesiæ calicem, quem credebas argenteum, et postea cognoscas esse aureum; — 2. circa causam voti finalem: v. g. si quis voveat eleemosynam Titio pauperi elargiendam eo quod sibi sit consanguineus, cum

¹ At nemo potest se obligare per votum ad rem omni parte levem sub gravi; quia materia undequaque levis est capax levis tantum obligationis. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 211.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 196 et seqq. Motus iræ raro impedit rationis usum.

tamen non sit; — 3. circa substantiales circumstantias, circa adjuncta videlicet, quæ substantiam voti ingrediantur, v. g., si quis voveat peregrinationem ad Domum Lauretanam putans illam non distare, nisi triginta leucarum itinere, cum distet tercentum; — 4. circa circumstantias accidentales, v. g. si quis voveat dare eleemosynam Titio pauperi, quem putabat probum; cum tamen probus non sit. Hisce positis dicimus:

Ad tres primos casus quod attinet, votum in iis emissum nullum est, quia voluntas voventis, quæ est principium obligationis in votis, ferri non potest in incognitum. Ad quartum vero quod spectat, si circumstantiæ illæ accidentales sunt magni momenti, ita ut, iis prævisis, votum non fuisset emissum, votum non tenet; quia tales circumstantiæ pertinent ad rationem causæ finalis. Secus tenet votum.

246. Q. 4. Quænam libertas requiritur ad votum?

R. Requiritur libertas perfecta, talis nempe, ut in nostra potestate sit votum elicere, vel non; nam votum est actus humanus ac gravissimus ab hominis arbitrio omnino dependens. Cum ideo fortis hæc obligatio sit omnino gratuita, absque plena libertate contrahi nequit.

Quid ergo (dices) de votis factis ex metu? Si agitur de metu levi, probabilius validum erit votum; quia metus levis non potest censori causa rei tam gravis, quale est per se votum. Item valet, si metus sit gravis sed juste incussus; tunc enim vovens non est rationabiliter invitus. Iterum valet, si metus gravis non sit ad extorquendum votum incussus: v. g., si quis timens latronis minas mortem minantis, votum Deo faciat cum sufficienti advertentia, ut liberetur, valide vovet. Idem est, si metus gravis proveniat a principio intrinseco: hinc valide vovet qui ad evitandam mortem, quæ sibi imminet ex morbo, naufragio, peste, etc.; votum deliberate emittit; tunc enim voluntas non necessario determinatur ad votum, sed libere illud eligit uti medium ad periculum illud superandum.

Tota ergo quæstio est de metu gravi ex causa extrinseca injusta. Alii stant pro voti valore; quia est adhuc satis voluntarium; alii certant probabilius pro illius nullitate, cum tota

ratio voti in omnimoda libertate sita sit; neque Deus vult dare vim injustæ coactioni, tale votum acceptando. Quidquid sit de votis simplicibus, certum est vota solemnia per metum gravem injuste incussum esse invalida jure saltem positivo Ecclesiastico, cum ista indigeant magna libertate¹.

247. Q. 5. Quid requiritur ad votum ex parte rei promissæ?

R. Ad votum ex parte rei promissæ tria requiruntur, ut res voto promissa sit de bono, de bono meliori, et de bono possibili.

1. *De bono*, secus votum detraheret Deo: sed nihil refert, si illud lege jam præceptum sit; uni enim vinculo novum addi potest. Ex his patet: votum de re indifferenti esse invalidum, nisi res illa ex circumstantiis vel fine evadat bona; quia tale votum non potest a Deo acceptari, cum ei displiceat *stulta promissio*². Votum autem de re mala non solum est irritum, sed etiam peccatum mortale; et quidem probabilius, etiamsi res illa sit tantum venialiter mala, v. g., mendacium, jocosum; irrogatur enim injuria Deo gravis, cum sit velle, ut malum cedat in honorem Dei: excipe nisi id contingat ob ignorantiam.

2. *De bono meliori*; quia promissio, quæ impedit majus bonum, sub hoc respectu de cultu Dei detrahit: unde non potest esse illi grata. Hoc tamen non est intelligendum comparate ad bonum quodcumque, alioquin oporteret nos Deo promittere debere rem omnium nobis possibilium præstantissimam; sed intelligendum est de bono, quod melius sit ejus opposito: sic, v. g., non esset verum et proprium votum promissio Deo facta de matrimonio contrahendo, licet agatur de ducenda paupere, vel de tollendo peccato alieno, v. g., ducendo meretricem; quia celibatus semper est Deo gratior. Excipe tamen casum peculiaris circumstantiæ, quæ relate ad personam determinatam reddat matrimonium melius quam

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. V, n. 25; et *Op. Mor.*, l. III, n. 197.

² Eccli. v. Plerumque excusantur matres, quæ vovent Deo, ut earum filii continuo ægrotantes ex hac vita commigrent et secum Deus eos in cœlum suscipiat; cum id agant potius ex simplicitate et compassionis impulsu, quam ex animo malevololo et mortis filiorum desiderio.

continentiam, v. g., ad scandalum aut honorem puellæ contaminatæ reparandum; vel ad bonum publicum promovendum, si, v. g., interest reipublicæ quod princeps nubat, etc. — An vero valeat votum, si quis voveat nubere ob expertam sui fragilitatem, negant Lessius, Fagnanus, Palaus et alii. Verum supposito quod talis nolit uti aliis melioribus remediis, certe et longe probabilius docent Bellarminus, Cajetanus, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Trullenchus, Dens, Viva aliique tale votum validum esse. Ratio est, quia in hoc casu matrimonium est majus bonum respective: cum ad concupiscentiam sedandam eis, qui alia remedia meliora suscipere nolunt, matrimonium a Deo concessum sit, juxta illud Apostoli: *Melius est... nubere quam uri*¹.

3. Tandem de bono possibili; promissio enim de re impossibili, v. g., manu cælum tangendi, esset omnino ridicula, illusoria et stulta; *displicet enim ei (Deo) infidelis et stulta promissio*². Adde, hanc promissionem non posse efficaciter intendi: hinc nullum erit ex hac parte votum emissum tam de facto alieno, v. g., si pater voveat filii sui ingressum in Religionem, quia liberum factum alterius non est in potestate voventis; quam etiam de facto proprio moraliter vel physice impossibili, v. g., si quis votum faciat *nunquam peccandi in genere*; tanta enim est nostra fragilitas, ut moraliter impossibile sit omnia in genere peccata (vel etiam sola et omnia venialia) evitare absque speciali Dei auxilio.

Diximus *nunquam peccandi in genere*; nam verius valeat votum, si esset de vitando omnia mortalia, vel etiam omnia venialia ex perfecta advertentia; quia utrumque ordinario Dei auxilio obtinere potest perfectionis amans. Votum item abstinendi a venialibus absolute in aliqua materia determinata communiter valet, v. g., non mentiendi; quamvis ob nimiam

¹ I Cor. vii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 75; l. III, n. 209. Dices: Ergo subdiaconus vovens castitatem, posset nubere si non posset se continere, cum tunc nubere sit illi melius bonum. Sed respondetur, quod hic ob bonum commune expedit magis votum in suo robore manere, quam illum sic consulere suæ fragilitati. Est certum.

² Eccles. v. — V. Tridentinum, sess. vi, c. xxiii. — V. Bellarminus, l. VI, *De amiss. grat.*, c. x.

executionis difficultatem hujusmodi vota non expediunt¹.

248. Quid (dices) de voto nuncupato ob finem pravum? Si finis pravus est *ex parte rei quæ vovetur*, quod tunc evenit, quando res voto promissa dirigitur ad finem pravum, uti si ideo voveas jejunium, ut ex illo plausum captes, si voveas centum florenos dare pauperibus, ideo ut litem injustam vincas, votum est invalidum; quia tunc sumitur uti medium ad malum. Idem est si finis sit indifferens, ut si quis voveat jejunium, ut parcat sumptibus. Secus tamen dicendum, si opus pravum non ponatur uti finis voti, sed uti nuda et simplex conditio, v. g., si quis voveat jejunium, si inimicum occidet, si furtum faciet; tunc valet votum, quia impleta conditione posita, honestum est in se votum illud implere. Item valet votum emissum ad obtinendam a Deo sanitatem, vel alia bona temporalia; cum bonum sit a Deo illa sperare.

249. Si vero finis pravus se habeat *ex parte voventis*, scilicet quando non res vota, sed ipse vovendi actus dirigitur ad finem pravum, ut si quis ex corde jejunium voveat, sed id faciat elata voce, ut ab aliis commendetur; cum substantiam voti non inficiat, illud validum est: ideo sic voventem poeniteat de modo, et substantiam retineat. Item validum est votum religionis ingrediendæ cum intentione emissum, ut ingressus fiat abbas, commode vivat, etc.; cum enim religionis ingressus bonus sit, supponitur vovens, non elegisse illum tanquam purum medium ad malum finem, sed tanquam præsuppositum simpliciter acceptasse. Validum item est votum, si quis, v. g., voveret eleemosynam, si ex duello evaserit salvus, si non capiatur in furto, si filius sibi nascatur ex adulterio, etc.; licet enim duellum, furtum, adulterium velle malum sit, tamen his positis, non lædi, non infamari, prolem gigni mala non sunt, sed Dei dona; et votum non cadit super ista mala, sed super hæc bona considerata (ut suppono) non quatenus media ad malum, sed quatenus in se bona sunt, etsi aliunde conjuncta cum causa mala².

Art. III. — De voti obligatione.

250. Q. 1. An votum sit obligatorium?

R. Affirmative, votum obligat sub peccato. Probant: ®

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 205. — Laudabile tamen est propositum (non votum) omnia peccata vitandi, quod emittere solent Christiani, etsi interdum deficiant; proponendo majora vitamus, et ipsi nobis quasi vim inferimus, ut quod animo promittimus, effectu compleamus. Vel majus proponimus, ut minus saltem efficiamus, exemplo eorum (ait Perrone, *De gratiâ*) qui sagittas ad scopum emittunt; solent eas altius dirigere, ut optatum punctum attingant. — ² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 206. — *Bible de Vence*: dissert., vol. II, sur le vœu de Jephthé.

1. Scripturæ, ubi legitur: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus: et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio*¹; 2. Patres: D. Augustinus ait: *Quia vovisti, jam te obstrinxisti; aliud tibi facere non licet. Iterum idem Sanctus: Vovere est voluntatis, sed reddere necessitatis*². Et D. Thomas: *Hæreticum est asserere votum non obligare*³. Ratio: promissio enim facta homini certe obligat: quanto magis facta Deo? Hinc vulgare illud: *Verba ligant homines*. Obligatio autem voti gravis est in materia gravi: levis in materia levi; votum enim legem imitatur, quæ quidem obligat juxta materiæ capacitatem⁴. Neque dicas, juramentum assertorium pro certo obligare sub gravi etiam in materia levi; etenim disparitas est, quod in juramento Deus ipse inducitur testis, cui semper fit gravis injuria, si veritas desit; in voto autem homo se libere sua lege obstringit. — Porro materia gravis existimatur, si ad honorem Dei, vel ad proximi aut ipsius voventis utilitatem notabiliter influat, ita ut si ab Ecclesia præciperetur, obligaret utique sub gravi. Si quis, v. g., jejunium, Missæ auditionem et Confessionem vovisset, hoc votum diceretur obligatorium sub mortali; quia revera sub mortali obligat lex Ecclesiastica illas ipsas res jubens⁵.

¹ Deut. xxiii; Eccl. v. — ² Ep. xlv et cxxvii.

³ *Quodl.* iii, a. 2. Obligatio voti causatur a fidelitate ad Deum; ideo est major quam obligatio juramenti, quæ est ex reverentia Dei. Idem Angelicus, 2, 2, q. 89, a. 8.

⁴ Hinc inferitur (ait S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. III, n. 211), quod votum vitandi peccatum non obligat, nisi juxta illius gravitatem; puta si voves vitare mendacium, mentiendo peccas tantum leviter, sed dupliciter, contra veracitatem et contra votum: Salmanticenses cum Sanchez, Trullencho, Navarro, etc. Nisi tamen vitatio illius peccati ob causas sit res magni momenti, prout mendacium valde indecens esset personæ in dignitate constitutæ; vel nisi per illud peccatum multum quis impediatur a profectu in virtutibus. Salmanticenses.

⁵ Contra vero (ait *Sporer*), vota orandi quotidie quinque Pater et Ave, vel Litanias B. V., etc., censentur esse de re levi, et sub veniali tantum obligare; quia etiam respectu legum publicarum censentur esse de materia levi, et eorum executio non multum confert, nec eorum omissio multum derogat honori divino. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, un. 212, 220.

251. An (quæres) materiæ leves in votis possint secum coalescere, et peccatum mortale constituere? Affirmative: si diversæ materiæ leves voto promissæ fuerint per modum unius, et ideo dies non adsignetur ut terminus, sed ne ultra illum differatur executio: tunc una materia cum materia alterius diei continuatur. Aliter vero esset, si illa parva materia sit affixa diei: tunc transacto die, transit etiam promissum, neque cum alio unitur.

Ut autem dignoscatur, an materiæ voti sint per modum rerum complurium vel unius, interroganda est ipsa voventis intentio, suprema lex voti. Quæ si dubia sit, resolutio fit juxta communem sensum Doctorum, qui tenent diversas materias esse per modum unius et coalescere in votis realibus, non in personalibus: sic esset votum *reale*, si quis voveat dare unam monetulam quotidie per annum; esset *personale*, si voveat recitare unum Pater singulis anni diebus. Quod si adhuc res dubia maneat, votum censetur affixum diei, adeo ut ejus materiæ non coalescant, sed quælibet terminetur in die; quisque enim minoris quo potest, censetur voluisse se obligare.

252. Q. 2. Quid sentiendum de voto dubio?

R. Vel dubitatur, an votum fuerit emissum; vel an votum emissum fuerit validum; vel an votum valide emissum, fuerit impletum.

Si dubitatur, utrum votum fuerit emissum, vovens ad nihil tenetur, si adhuc dubium perseveret post sufficientem diligentiam ad illud tollendum. Ita communiter Anacletus, Cabassutius, Ferraris, Gousset, Salmanticenses, Sanchez, Sporer, Suarez, etc.; in dubio enim odia sunt restringenda, et melior est conditio possidentis. — Idem dicendum si dubites an voto comprehendatur aliquid: non teneris quoad partem de qua dubitas. Sic in jure cum aliqui vota quædam certo emisissent, et postea dubitarent, an tenerentur ad majus vel ad minus promissionis factæ, sancitum fuit eos teneri ad minus: nam *in dubiis liberum est sequi quod magis placuerit*¹.

Si dubitatur, utrum votum certe emissum, fuerit validum, vovens ad votum obligatur: esset si voverit et dubitet, an

¹ Cap. *Ex parte xviii*, de censib.; et Glossa in loc. cit.

habuerit animum se obligandi; nam *præsumitur recte factum quod erat de jure faciendum*: neque quis censi debet voluisse inaniter votere. Hinc ad rem habet D. Thomas: *Si autem dubitet, quomodo id votendo se habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat*¹, scilicet violandi votum, quod certo supponitur emissum, ut patet ex toto illius contextu. — Item est si dubitetur de advertentia sufficienti, paritate rationis (nisi ante septennium fuerit votum emissum, nam tunc votens in dubio non censetur sufficienti rationis usu donatus; res enim ex communiter contingentibus resolvenda est). Idem est in dubio, an votum fuerit emissum ante, an vero post septennium; nam omnis actus præsumitur factus tempore habili et rite, donec contrarium non constet.

Si tandem dubitatur, utrum votum certe emissum fuerit impletum, votum certo implendum est; quia votum est in possessione, et dubitanti incumbit probare, se illud jam certo implevisse.

253. Q. 5. *Quid de voto disjunctivis vocabulis nuncupato?*

R. Votum disjunctivum, nempe præstandi unum de duobus vel unum de pluribus, validum est; cum vera sit promissio, et satis res designatæ sint. Id unum remanet, ut electio fiat a votente, cum eam sibi reservavit; unde si promisisti unum ex tuis calicibus, ex tuis animalibus, fuum est eligere ex illis²: at facta electione, rem electam præstare debes, etsi postea altera pars pereat; nam votum determinasti per electionem. Imo adhuc ad partem superstitem teneris, licet alia pars ante determinationem perierit, si tu fuisti in mora culpabili in determinando; tunc enim ex modo te habendi tacite censeris voluisse obligationem indeterminatam ad illam partem determinare.

Aliter esset, si res una totaliter et omnino perierit absque

¹ In 4, d. 58, q. 1, a. 5, quæst. III, solut. 1, ad 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 196; et l. I, n. 28; *Homo Apost.*, tract. V, n. 25.

² Si tamen unum de duobus est inutile vel vanum, tum nullum esset votum; cum ex una parte promissio sit tantum sub disjunctione; ex alia vero parte rem vanam eligere sit peccaminosum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 224.

tua culpa ante electionem; votum tunc corrumpitur, quia non amplius habes potestatem eligendi, sub qua quidem te tantummodo obligasti ad votum. Item est, si facta electione, pereat res electa, et non alia: v. g., votisti dare bovem vel equum; postea statuisti dare bovem, et equum vendidisti; si ante traditionem absque tua culpa bos penitus pereat, ad nihil teneris. Cum enim votum evaserit absolutum per determinationem, res semel determinata debetur (non alia aut ejus pretium): porro res determinata, ut supponitur, omnino et totaliter perit.

254. Q. 4. *Quid de voto conditionato?*

R. 1: Cum Stapf: « Aliqui vota conditionata de superstitione accusant, eo quod homo cum Deo quasi transigere et pacisci videatur, dum quidpiam non nisi sub certa conditione spondet. Verum præterquam quod hæc votorum species ab ipsis sacris Paginis suffragium accipiat, v. g., ab exemplo Jacobi¹, eadem de illa obtinent quæ generatim de piis petitionibus dicimus: scilicet etiam per hæc vota fidem, fiduciam, nostramque erga Deum devotionem exhibemus: et Deus ipse de ordine stabilito nihil immutare cogitur, utpote qui ab æterno omnia sibi præsentia intuetur². » Hoc posito:

R. 2: Votum conditionatum potest esse vel de conditione impossibili et turpi; vel de conditione possibili et honesta: et quidem præsentis, præterita, aut futura: — 1. votum de conditione impossibili et turpi est nullum, imo est impium; quia sic Deus ludibrio haberetur; — 2. votum de conditione possibili et honesta tam præsentis quam præterita, statim validum est vel invalidum, prout conditio existit vel non: neque vere dici potest conditionatum, cum conditionis effectus sit suspendere actum in eventum futurum et incertum; — 3. votum de conditione futura, si est de futuro necessario, statim obligat; sed ejus executio suspenditur usque ad conditionis eventum, cum talis præcise sit ipsa votentis voluntas; conditio enim ex se obligationem non infirmat, sed tantum modum imponit. Si vero est de futuro contingenti, votum non

¹ Gen. xxviii.

² *Th. Mor.*, § 241.

obligat ante conditionis eventum; ipsa autem conditione cessante, votum fit nullum; talis enim est voventis mens. Hinc legitur: *Facies sicut promisisti Domino*¹; nota illud *sicut*.

Hic tamen notandum: 1. condiciones implendas esse non tantum æquivalenter, sed etiam specificè; nam cum votum sit lex ligans, non ita facile extendi debet. Sic si vovisti jejunium casu quo pejeraveris, non teneris ad jejunium, si blasphemis; 2. conditionem valere, licet sit de bonis temporalibus, ut si quis voveat aliquid, si convaluerit; quia melior est sanitas, quam ejus oppositum, ut nempe ea utamur ad serviendum Deo. Item valet si conditio sit in penam, ut si voveas Religionem ingredi, si blasphemaveris; nam est ad bonum, nempe ad abstinendum a peccatis. Qui vero vovit dare unum aureum si omittat festo die audire Sacrum, si non audiat ob infirmitatem, non tenetur dare, quia illud votum censetur pœnale, nec datur pœna sine culpa. Tenetur e contra ad votum qui promisit sub voto dare aureum singulis vicibus quibus juraverit, etsi inadvertenter juret; quia iste censetur vovisse non mere in penam, sed etiam in sui medicinam, ut ita eradicet malam consuetudinem. Billuart.

255. Q. 5. Quotuplex peccatum committit qui votum violat?

R. Vel votum est de re jam præcepta, vel de re nullimode præcepta. Si 1, duplex erit peccatum in voti violatione: unum contra virtutem, ad quam pertinet res voto promissa; aliud contra virtutem Religionis: nam duplex præceptum violatur. Si 2, unum erit peccatum contra Religionem; quia vovens hoc casu non aliam sibi vult obligationem imponere, quam quæ exoritur vi voti. Hinc vovens vitare mendacium, si mentiatur, peccat et contra fidelitatem et contra veracitatem; at vovens ingredi Religionem, si non ingrediatur, committit tantum peccatum infidelitatis; quia per se Religio non est præcepta².

256. Quandam (quæres) votum implendum est? — Si votum est negativum, obligat semper, uti legis negativæ pro-

¹ Deut. cap. xxiii. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 219.

² Utrum autem violatio cujuscumque voti induat etiam malitiam sacrilegii, negant alii cum Suarez; quia peccatur tantum contra fidelitatem Deo debitam, ideoque est perfidia. Alii affirmant cum Angelico, quia per votum res fit sacra Deo; verum in quonam consistit sacrilegium, nisi in hoc, quod quis irreverenter se habeat ad rem sacram? — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 47.

prium est: tale esset votum, v. g., non ludendi. Si *positivum*, tunc si vovens designavit tempus, v. g., jejunandi in tali vigilia, obligatio erit pro tempore illo, ita ut peccet eo tempore minime implendo; faceret enim contra promissum¹. Quod si nullum fuerit determinatum tempus implendi voti, votum impleri debebit quamprimum moraliter et commode poterit, habita ratione circumstantiarum. Est regula juris: *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, res præsentis die debetur*. Hinc ait Scriptura: *Si quid vovisti Domino Deo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*² (M).

257. Quænam autem censeatur gravis dilatio voti, si tempus sit indeterminatum, videndum est an votum respiciat Dei obsequium temporaneum, v. g., tot recitandi Rosaria, tot peragendi jejunia, tot donandi Ecclesiæ libellas; vel an respiciat obsequium Dei perpetuum, v. g., ingrediendi Religionem.

Si 1, dilatio erit mortalis, si fiat absque gravi causa per longa tempora, nempe ad duos, vel tres annos, ut recte dicunt: nam quisque censetur sic obligationem suam accipere,

¹ Obligatio tamen extinguatur lapsu temporis illius, si constet voventem certum illud tempus determinasse præcise ob aliquam connexionem rei voto promissæ cum tempore ipso: ut si quis, v. g., voveat peregrinationem ad urbem Romanam tempore hebdomadæ Sanctæ, ut mysteriorum passionis Christi celebrationi intersit. Si vero non constet tempus illud fuisse præcise determinatum ob talem connexionem, sed potius ad sollicitandum voti implementum, tunc eo etiam tempore præterlapso, obligatio voti subsistit; quia in hoc casu votum non comprehendit rem promissam et circumstantiam temporis per modum unius; sed virtualiter duo habentur vota, unum de re certe facienda, alterum de ea non differenda ultra tale tempus. Ergo si tempore illo non impletur, peccabitur; sed res adhuc præstanda erit.

² Deut. xxiii. « Paul promet à Dieu purement et simplement (ait ad rem cl. Card. Gousset, *Théol. Mor.*, n. 505) de donner sans délai, mais il prévoit que son aumône, étant différée de quelques mois, sera plus utile; il peut certainement attendre. Vous avez fait vœu de vous confesser une fois chaque mois; vous pouvez renvoyer votre confession de quelques jours au delà du mois, s'il se présente une fête pour laquelle vous désirez vous confesser. » — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 220.

ut eam non nimium differat. Et si quælibet difficultas satis foret ad licite expectandum, vix unquam tempus opportunum inveniri poterit ad voti implementum. — Si 2, peccat mortaliter qui diu differt illius voti implementum, nempe in plurimum sensu, si ad sex menses. Excipe nisi causa satis rationalis excuset, uti esset, v. g., si vovens speret dilatione illa parentes fore emolliendos, vel si gravis necessitas spiritualis adverteretur, aut temporalis sororum seu fratrum. Neque dilatio illa sit nimis diuturna, neque det locum periculo nunquam implendi votum illud, ut solet contingere, opere perfecto dæmonis, cui vota invisæ sunt et peringrata¹.

SCHOLIUM. — De votorum interpretatione.

258. Q. Quomodo fieri debet interpretatio votorum?

R. Prima ratio interpretandi vota est ipsa voventis voluntas, a qua votum vim suam habet: quæ si non satis percipiatur, en regulæ, quas communiter admittunt cum Sporer.

Regula 1^a est, ut verba obligationis voti intelligantur secundum communem usum et acceptionem regionis: unde qui, v. g., vovit calicem, in dubio sufficit si donet calicem argenteum, non aureum; quia sic calix accipitur in vulgari ac communi usu. Imo apud montanos neque argenteus intelligitur; cum illorum calices sint ex inferiori materia.

Regula 2^a est, ut si iterum dubium maneat, ipsa materia voti inspiciatur, et obligatio accipiatur secundum ejus naturam et necessarias conditiones. Sic, v. g., qui vovit preces, eas dicere tenetur devote, ut natura orationis requirit.

Regula 3^a est, ut adhuc manente dubio, votum observetur eo modo, ac si haberetur lex divina, vel ecclesiastica de eadem re. Ideo qui vovit jejunium per mensem, non tenetur jejunare Dominicis diebus²; censetur enim voluisse se obli-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 221.

² e Quamvis ex c. *Sacerdos* xxvi, q. 7, vetetur jejunare in die dominica (ait Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 4) ad extirpandam hæresim Manichæorum negantium resurrectionem Christi; qui tamen mortificationis causa jejunaret, non peccaret ne leviter quidem, ut ait Viva. Imo mereretur, quia talem

gare ad modum quadragesimæ. Item qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem dominicam incidat, die sabbato, juxta morem Ecclesiæ jejunare potest. Item qui vovit jejunare die veneris, probabilius non tenetur, si ea die venerit Nativitas Domini (aliter esset si id præviderit, quo sensu accipitur Decretum Honorii III, qui etiam tali die obligat); tantæ enim lætitiæ die non præsumitur vovens voluisse jejunare.

Regula 4^a est, ut si hisce omnibus consideratis, iterum res dubia sit, vota accipiantur in favorem voventis; sunt enim leges voluntatis: quisque porro censetur se velle minus obligare, quam potest: ita cum Cajetano communiter Layman, Salmanticenses, etc.

Hinc merito resolvitur: 1. qui vovit per mensem audire Sacrum, non tenetur duo audire diebus festis; nam intentio præsumitur tantum fuisse de non transigendo die sine Missa; 2. qui vovit Religionem ingredi, satisfacit voto, si minus rigidam ingrediatur; quia substantia jam impletur. Item qui vovit Religionem, non tenetur eam quærere extra propriam regionem vel provinciam, si ibi non admittatur; imo si est fœmina, non tenetur quærere Monasterium extra patriam, si ibi adest; quia aliter agere habetur pro illa nimis grave; 3. qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. g., eleemosynam, pecuniam, satisfacit dando quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius illudere Deo; 4. qui vovit unum Rosarium, satisfacit tertiam partem recitando; quia sic communiter accipitur: potest etiam alternatim recitare; nam illud censetur obligare ad modum divini Officii¹.

Art. IV. — De voti extinctione.

259. Q. 1. Quotupliciter votum extingui potest?

R. Extingui potest multipliciter: 1. per cessationem causæ

hæresim Ecclesia abolevit: etsi dicant Salmanticenses, melius esse abstinere a tali jejunio, et ideo communiter docere Doctores quod jejunium promissum in die Dominico possit in Sabbato antecedenti adimpleri. »

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 224.

finalis; 2. per notabilem mutationem materiæ; 3. per commutationem; 4. per dispensationem; 5. per irritationem; 6. addunt et per defectum conditionis ponendæ, cum nempe res non est nisi sub tali conditione promissa; ea enim deficiente, cessat obligationis fundamentum.

260. Q. 2. *Quandonam votum extinguitur per cessationem causæ?*

R. Causa alia est finalis, alia impulsiva. *Finalis* est quæ ita determinat ad vovendum, ut sine ea votum non fuisset emissum: *impulsiva* est quæ allicit tantummodo ad libentius vovendum, sed ex se sola ad votum non determinat. Porro cessante causa solum impulsiva voti, votum non extinguitur, cum illa non influat in voti substantiam. At extinguitur et cessat votum, cessante causa ejus finali: nam tunc cessat omnis ratio vovendi; porro sine voluntate votum esse nequit. Hoc valet, etsi causa cesset culpa voventis; in hoc enim casu haberetur quidem peccatum ob impedimentum appositum, sed non haberetur voti materia, ideoque nec ipsum votum.

261. Q. 3. *Quid de notabili materiæ mutatione in voto?*

R. Triplici modo contingit materiæ mutatio in voto: 1. si fiat illicita, vel indifferens, vel impeditiva melioris boni; 2. si fiat omnino impossibilis; 3. si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus, ut si quis vovisset jejunium, sed postea infirmetur; vel ædificationem Ecclesiæ, sed dein ita pauper factus sit, ut nequeat amplius sine status sui detrimento Ecclesiam construere.

Per se loquendo tales mutationes voti obligationem extinguunt; cum vovens merito præsumatur nunquam habuisse intentionem sese obligandi in dictis casibus: est commune. Imo probabilius votum ne tenet quidem, cum supervenit circumstantia, quæ si prævisa, vovens sese certo abstinuisset a voto: *Id liberat ab obligatione voti aut juramenti*, ait Angelicus, *quod si ab initio accidisset aut notum fuisset, hæc fieri impediret*⁴. Ex quibus verbis generalibus deducitur, id quoque locum habere, si circumstantia imprævisa non sit ita no-

⁴ In 4, d. 38, q. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 226; et l. IV, n. 50.

tabilis: sane votum non obligat ultra intentionem. In dubio tamen standum est pro valore, cum votum possideat; ideo ad Superiorem recurrendum pro relaxatione.

Diximus *per se loquendo*; nam excipienda:

1. Vota etiam simplicia castitatis, quæ remanent firma ob quæcumque notabilem circumstantiam supervenientem, etiam non prævisam. Qui ergo stimulis carnis insolitis et imprævisis agitur, adhuc castitatis voto tenetur; alioquin vix ullum votum firmum esset, cum vix sit qui hac de re graves tentationes non patiat. Hinc Tridentinum Concilium damnat eos, qui dicunt, posse *omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patitur nos supra id, quod possumus, tentari*⁴.

2. Id multo magis tenendum est de votis solemnibus valide emissis in professione religiosa, vel in susceptione Ordinum. Ratio quia Religiosus et Ecclesiasticus in hoc casu non consideratur ut persona particularis, cui melius sit tunc non esse voto obstrictam; sed ut pars communitatis Ecclesiæ, cui præstat postponere bonum privatum: alias quot inconvenientia, quot scandala et perturbationes!

3. Idem omnino dicendum ob eandem rationem boni communis de votis, quæ emittuntur a viris aut mulieribus in aliquibus congregationibus, maxime si addatur juramentum perseverantiæ; tunc enim intervenit contractus onerosus: at nulla circumstantia etiam non prævisa et superveniens solvit contractus hujusmodi. Unde sicut congregatio nequit alumnus dimittere ob supervenientes circumstantias (exceptis circumstantiis criminum); ita nec alumnus congregationem.

262. Q. 4. *Quid de voti commutatione?*

R. Voti commutatio definitur: *Substitutio unius materiæ in locum illius, quæ fuit voto promissa, facta sub eadem voti obligatione*. Hæc substitutio fit in melius, in æquale et in minus. *In minus* vovens non potest mutare votum suum; quia tunc neque in æquivalenti promissio servatur. Imo probabilius neque *in æquale* ipse potest mutare; quia supposita

⁴ Sess. XXIV, can. IX.

promissione, magis gratum Deo fore censetur, si vovens præstet rem promissam, quam si præstet æqualem non promissam. Ita tenent Azor, Cajetanus, Layman, Sanchez, Suarez, alique cum D. Thoma, qui ait¹: *Commutatio est quidam contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis: unde cum homo per votum Deo se obliget, non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus ejus qui vicem Dei gerit in terris, scilicet Prælati.* — Si tandem commutatio fit in melius, potest vovens suum votum commutare; quia quod melius est, Deo magis gratum existimatur: adde minus in majori eminenter contineri. Excipe vota reservata (nisi commutentur in alia reservata); eorum enim relaxatio aut commutatio sibi fuit a Superiore reservata.

Qui porro habet potestatem ordinariam dispensandi in votis, habet etiam potestatem ea commutandi sive intra sive extra Confessionem: quia commutatio est pars dispensationis. Est etiam regula juris: *Cuilibet quod est plus, licet utique quod est minus*². Non tamen potest dispensare qui tantum habet facultatem commutandi; quia minus non continet quod majus est: item neque vota reservata commutare potest, qui simplicem habeat commutandi facultatem; secus reservata non essent. Confessarii autem ad commutandum delegati non possunt vota commutare, nisi in foro sacramentali; si excipias regulares, qui ex diversis privilegiis hanc facultatem exercere possunt etiam extra Confessionem³. Hæc autem præ oculis habeat qui votum commutat:

1. Ut si solum habeat commutandi facultatem, eadem non utatur, nisi pro commutatione in bonum æquale, non tamen mathematicæ, sed moraliter acceptum: ne animi anxietatibus aditus fiat⁴.

2. Ut sciat ad commutationem peragendam sufficere majo-

¹ In 4, d. 58, q. 1, a. 4. — Liguori, *Homo Apost.*, tract. V, n. 58.

² Reg. III, in 6. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 234.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 556, § 14; et l. III, n. 257.

⁴ « Interroget pœnitentem (ait Alphonsus noster, *Praxis Conf.*, § 4, n. 26) quæ opera soleat exercere præter debita ex præcepto, aut ad quæ majorem habeat propensionem, et in ea commutat vota. Commutatio autem securior in omni votorum genere erit semper frequentia Sacramentorum. »

rem voventis propensionem, aut minus periculum transgressionis: in dubio, an bonum sit æquale, sufficit notabilis molestia in voto implendo.

3. Ut pro commutatione in bonum notabiliter minus requirat gravem causam: quia secus dicunt eam non tantum illicitam, sed probabiliter etiam invalidam; nam Prælati nequit sine causa in re non sua valide excedere facultatem sibi delegatam.

4. Ut curet votum personale commutari in personale; reale in reale; mixtum item in mixtum; perpetuum in perpetuum, etc., ut magis quam fieri possit, proportio conservetur. Excipe nisi legitimæ occurrant rationes aliter agendi: qua in re vitandæ sunt animorum anxietates tam in commutante quam in vovente.

5. Ut facta commutatione, adhuc voventi liberum sit ad primam voti materiam redire, si commutatio contigerit in bonum æquale, ut communiter docent. Imo in sententia probabiliori potest vovens, saltem sine gravi culpa, ad primum votum regredi, tametsi commutatio facta fuerit in bonum melius; quia commutatio semper est in favorem voventis, qui potest juri suo renunciare. (Excipe nisi certo constet voventem voluisse se quasi novo voto ligare; esset enim tunc novus contractus et nova ac diversa obligatio.)

263. Q. 5. Quid est voti dispensatio?

R. Voti dispensatio est *voti remissio facta Dei nomine ob justam causam ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo.*

1. *Remissio*, id est condonatio rei Deo promissæ facta ab Ecclesia nomine Dei ipsius: hanc potestatem Ecclesiæ inesse constat tum ex facto, cum semper ea in usu sit; tum ex jure, cum id expediat fidelium bono: et sane generalia sunt illa Christi verba: *Quodcumque solveritis, etc.* Soli autem Ecclesiæ eam inesse certum est, cum enim hæc sit actus spiritalis, solius potestatis spiritalis esse debet.

2. *Dei nomine facta*; cum enim Ecclesia non dispenset in lege sua, sed Dei, non potest id agere, nisi nomine ipsius Dei. Et quidem *ob justam causam*, quia inferior cum sit simplex executor, non potest sine legitima causa dispensare in

lege Superioris¹: quod si agat, invalide agit juxta verio- rem sententiam, et peccat, nisi bona fides eum excuset. Esset legiti- ma causa, si quis vovisset ex ira, aut tristitiæ impulsu, aut levi timore naufragii, incendii, mortis vel alterius mali. Item si quis vovisset dum erat impuber, ob non adeo maturam deliberationem: votum erit quidem validum, sed ob hanc causam erit dispensabile absque ulla commutatione. Item sufficiens causa est dispensandi notabilis difficultas in voti executione (etsi antea prævisa), nempe si voto obstrictus esset in periculo gravi votum violandi, aut si magnis scrupulis vexaretur. Item bonum commune tam Ecclesiæ quam Reipub- licæ et familiæ, et major etiam profectus voventis. Cum autem omne factum præsumatur recte factum, in dubio an fuerit sufficiens dispensationis causa, standum pro valore dispensationis.

3. *Ab habente spiritualem jurisdictionem in foro externo;* cum enim hæc potestas ad externam gubernationem perti- neat (sicuti potestas ferendi leges, quarum naturam imitatur votum), facultatem dispensandi non possunt habere, nisi qui externa pollent jurisdictione: et quidem in probabiliore sen- tentia in subditis tantum exerceri potest.

264. Isti porro præter summum Pontificem in tota Eccle- sia (qui dispensare solet organo S. Penitentiarii majoris, si agatur de votis occultis: si de publicis, organo Datarii), sunt: 1. Episcopus in sua Diocesi: et Vicarius capitularis, Sede vacante; 2. Prælati Regularium in suos subditos ha- bentes jurisdictionem quasi Episcopalem; 3. quilibet a Superiore Ecclesiastico delegatus, si tonsuratus. Excipe nisi ab ipso Pontifice Ordinario Ordinariorum sit illis limitata po- testas, ut eam ipsis limitavit quoad nonnulla vota (N).

265. *Quænam (quæres) sunt vota summo Pontifici reser- vata?*

¹ Si causa non sufficit ad integram dispensationem, votum partim dispen- sari et partim commutari potest. Ad legitimam commutationem atque dispensationem hæc tria maxime sunt consideranda, nempe *quid liceat se- cundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, quid expediat se- cundum utilitatem.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 254, et n. 262. — Bouix, *De Episcopo*, p. V, c. xxiii.

R. Ex consuetudine ubique recepta, atque ex jure¹ vota summo Pontifici reservata præter solemnissima, sunt 1. *votum Religionem approbatam ingrediendi*; 2. *votum perpetuæ castitatis*; 3. *votum peregrinationis Hierosolymitanæ*, id est *ad Terram Sanctam*; 4. *votum peregrinationis ad limina Apostolorum*; 5. *votum peregrinationis ad S. Jacobum Compostellanum*. Quæ tamen reservatio utpote odiosa, stricte accipienda est et interpretanda; ideoque extendi non debet, nisi ad vota proprie dicta, absoluta, omnino libera, perfecta, determinata: et quoad substantiam, non vero quoad cir- cumstantias, ita ut si in hisce ex parte deficiant, quamvis valida, non tamen sint reservata².

Generatim Episcopus nequit dispensare valide in votis re- servatis; nam iccirco vota hæc dicuntur reservata, quia solius Pontificis eorum dispensatio propria est. Excipe si urgens existat necessitas, uti si non sit facilis accessus ad Papam; et in mora sit periculum gravis damni spiritualis vel temporalis, proprii vel alieni. Tunc Episcopis et omnibus Episcopalem jurisdictionem habentibus censetur communiter tradita facultas in votis iis, licet perfectis, absolutis ac determinatis dispensandi ad grave subditorum damnum impediendum³.

266. Q. 6. *Quid de voti irrotatione?*

¹ *Extrav. Comm.*, l. V, tit. ix, cap. v. — V. Pavone, *La luce*, ecc., § 108.

² *Diximus vota proprie dicta*: unde non esset reservatum votum emitti- endi votum reservatum; quia non esset votum factum, sed faciendum. Item est, si non sit principaliter emissum in honorem Dei. — *Absoluta*, unde vota non sunt Pontifici reservata, si sint pœnalia; vel conditionata, etiam conditione impleta. — *Libera omnino*, unde non sunt reservata, si sint emissa etiam sub levi metu ab alio incusso. — *Perfecta*, unde non essent reservata, si emissa sub levi obligatione; vel si non sint completa in suo genere: hinc votum castitatis, si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum: quare non censetur Pontifici reservatum votum non nubendi, non adulterandi, non fornicandi, non petendi debitum, nec votum quod indirecte tantum castitatem respicit, uti esset votum sacros Ordines suscipiendi. — *Determinata*: hinc non esset reservatum votum disjuncti- vum. — *Quoad substantiam*, unde quamvis sint reservata vota, non tamen reservata sunt circumstantiæ ipsorum: quare si quis, v. g., voveat ingres- sum in Religionem arctiorem, potest etiam Episcopus dispensare, ut etiam benigniorem is ingrediatur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 257.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 256; l. VI, nn. 807, 808, 1025 et 1059.

R. Voti irritatio est ejusdem rescissio facta ab eo, qui potestatem habet in voventem, vel in ipsam materiam voti. Hoc jus in natura fundatum est, ex Angelico¹; nam est de jure naturæ, quod in superiore sit dominativa potestas, qua quidem ipse nequit se expoliare: hinc valide semper irritat vota subditorum, licet ea ratificaverit. — Hæc autem irritatio duplex est: una *directa*, quæ directe et immediate cadit in personam voventis; altera *indirecta*, quæ non nisi mediate cadit in personam, sed directe cadit in ipsam voti materiam.

Omnis superior potestate dominativa præditus in voluntatem alterius, ut est superior regularis vi voti obedientiæ, potest omnia subditorum vota directe irritare. Vota igitur inferiorum quorum voluntas vi status perfecte superiori subjacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem: *Nisi superior contradixerit*; et ideo semel irrita reddita non amplius reviviscunt. — Omnis alius superior vel dominus irritare poterit indirecte omnia subditorum vota in iis, in quibus ejus potestas læditur; quia quisque jus habet, ne in suo dominio lædatur. Sed vota hæc reviviscunt, quando sine alterius præjudicio adimpleri possunt: quæ ideo voti potius suspensio, quam irritatio dici deberet; etenim, eo impedimento cessante, votum habet quod reviviscat.

Vota irritare subditorum sine causa, de se nullum peccatum est; quia censentur emissa sub conditione consensus Superioris; unde obedientia stat pro causa. Attamen in praxi difficulter poterit a veniali excusari, esset enim actus otiosus et irrationabiliter profectus alterius impediretur. Hæc tamen vota quoadusque irritentur, probabilius cum D. Thoma valida sunt in iis, quæ Superiorum mandatis atque jurisdictioni non præjudicant; quia subditi non carent voluntate, sed eam tantum subjicere debent Superiori, quando ipse contradicit.

267. Q. 7. *Quinam possunt vota filiorumfamilias irritare?*

R. Vel agitur de filiisfamilias, qui adhuc impuberes sunt; vel de filiis familias, qui jam ad pubertatem pervenerunt:

Si 1, pater (et in ejus defectu avus paternus) potest directe vota omnia filiorum irritare sive personalia sive realia; in tali

¹ 2, q. 189, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 227, 239.

enim ætate deesse censetur perfecta deliberatio ad tantam obligationem suscipiendam; ideo ad talem defectum natura prospexit, præbendo parentibus facultatem irritandi¹. Pariter in dubio, utrum votum ante, an post pubertatem emissum aut etiam ratihabitu fuerit, adhuc in patre ea facultas existit, quia possidet potestas paterna.

Si 2, non possunt neque indirecte parentes irritare vota personalia, v. g., castitatis, frequentiæ Sacramentorum, etc. (nisi domesticæ rerum procuratori graviter adversentur, uti esset votum peregrinationis vel diuturnæ absentiæ); jam enim in ea ætate filii propriæ saluti consulere valent, et quoad eam sunt sui juris. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis* (ait D. Thomas) *si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta quod obliget se Religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat*². — Possunt tamen irritare indirecte vota realia; quia in minori ætate constituti filiifamilias bonorum suorum carent administratione, nisi agatur de peculio castrensi vel quasicastrensi, vel de filio jam a patria potestate legitime subducto³.

Quæ de patre dicta sunt respectu filiifamilias, eadem valent de tutore respectu minoris; cum succedat in locum patris. Imo probabilius est hanc potestatem etiam matri inesse saltem quoad vota personalia, licet patre existente; cum ipsi quoque matri filii teneantur obedire, et Angelicus indistincte parentibus hanc facultatem faciat.

268. Q. 8. *Quidnam potest maritus circa vota uxoris?*

R. Filiucius, Layman, Lessius, Sporer, Voit aliique docent, maritum non nisi indirecte posse irritare vota suæ uxoris, quatenus nempe sibi præjudicant; sic enim satis est provisum mariti juribus. Sed probabilior saltem extrinsece videtur contraria sententia Azorii, Grassi, Ledesmae, Sa, Sanchez, Soti, etc., qui docent, maritum posse directe irritare omnia vota uxoris post matrimonium emissa; licet neque usui matrimonii, neque proli educationi, neque domesticæ admi-

¹ Caus. xx, c. II, *Puella*, q. 2. — ² 2, 2, q. 88, a. 8.

³ Can. II, caus. xx, q. 2.

nistrationi adversentur, et licet essent exequenda post ejus mortem: *Evidentissime apparet*, ait D. Ambrosius apud Salmanticenses, *ita virum esse caput mulieris, ut nulla vota abstinentiæ vel religiosæ conversationis liceat sibi sine ejus licentia Deo offerre*. Et doctor Angelicus¹: *Nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati; sicut nec votum puellæ existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris, nisi sit de consensu mariti*. Ratio est illud Apostoli: *Mulier debet esse subjecta viro, sicut membrum capiti*²; ergo sicuti capiti subduntur omnes corporis actiones, ita etiam mulier viro, adeo ut hic illi directe dominetur quoad omnes voluntatis actus. Et hoc etiam maxime conducit ad bonum pacemque familiæ. Diximus *post matrimonium emissa*; vota enim ante emissa, non potest vir directe irritare, cum non fuerint emissa tempore subjectionis; etsi possit eorum suspendere executionem, si præjudicant ejus potestati.

Uxor autem, utpote sub viri potestate, nequit directe irritare illius vota; hoc enim esset dominatum exercere. Poterit tamen indirecte, casu quo adversentur usui matrimonii et internæ domus procurationi; cum harum rerum et uxori suæ sint partes. Esset, v. g., votum magnæ abstinentiæ, induendi habitum heremiticum, etc.

269. *Quid (quæres) de voto castitatis a conjugibus emisso?*

R. Vel votum istud emissum est a conjugibus mutuo consensu; vel emissum est ab uno tantum conjugum.

Si 1, communis est sententia, votum illud esse validum, et a neutro revocari posse; quia virtualiter uterque cessit juri suo. Non desunt tamen qui volunt adhuc posse maritum irritare votum uxoris suæ; cum hæc irritatio fundata sit in ipso jure, quo se vir nequit irrevocabiliter expoliare: quia tamen hoc est contra communem sententiam, ideo illud sapientibus

¹ 2, 2, q. 88, a. 8, ad 5. Quod tamen hic tradit maxime de filiis, intellige quoad dispositionem domesticam, non autem quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam; nam quoad hæc homo ex quo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis.

² Eph. v. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. V, n. 56; *Op. Mor.*, l. III, n. 254.

remittimus. Si 2, validum erit volun quantum ad non petendum debitum; suspenditur vero quantum ad non reddendum usque ad mortem conjugis non voventis: unde talis vovens debet reddere, non tamen petere. Rationem affert Angelicus inquiring: *Non peccat reddendo, quia hoc necessitatis est; peccat autem exigendo, quia hoc est voluntatis*¹, quæ quidem est ligata per votum præcedens. Conjux tamen non vovens, poterit votum hujusmodi irritare; cum ipsi onerosum sit, maxime si sit vir, qui voverit; quia valde gravosum est uxorem cogi semper ad petendum. Imo censent Salmanticenses, tale votum esse invalidum, utpote de materia inepta, si non consenserit compars.

270. Q. 9. *Quid possunt domini circa vota famulorum?*

R. Nequeunt domini famulorum vota irritare directe; quia nullibi ipsis tributa legitur hæc dominativa potestas spiritualis, neque illis est necessaria. Indirecte tamen possunt: nempe possunt ea suspendere pro tempore famulatus, si debitis obsint officiis.

CAPUT TERTIUM

DE JURAMENTO

Art. I. — De definitione, divisione, honestate

271. Q. 1. *Quid est juramentum, et quanta ejus efficacia?*

R. Juramentum definiri solet cum Angelico: *Invocatio Divini Nominis ad fidem dictis faciendam, vel ad firmandam promissionem*². Assumptio divini Nominis potest etiam fieri tacite et implicite, si nempe juretur per creaturas, prout hæc referuntur ad Deum: talis porro invocatio in eo sita est, quod jurans velit Deum id quod jurat attestari; non præcise per

¹ Quodl. m. a. 18. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 255, 259.

² 2, 2, q. 89. — V. Del Bene, *Tractatus de juramento, in quo et de ejus et voti relaxationibus, etc.*; necnon de mendacio, perjurio, adjuratione, etc., eruditissime tractatur.

miraculum, quod est tentare Deum : sed quando et quomodo eidem placuerit, sive in hac sive in alia vita. Unde patet maximam esse juramenti efficaciam; adducitur enim ipse Deus, qui nec falli nec fallere potest, in testimonium. Hinc Apostolus : *Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum*¹.

272. Ex tradita definitione constat, non omnes locutiones, quæ per quemdam juramenti modum efferuntur, verum esse juramentum. Videlicet intentio ipsa loquentis imprimis inspicenda est; quia (pro foro saltem interno) juramentum vere et proprie non habetur, nisi duo interveniant, nempe et intentio saltem virtualis jurandi, et locutio qua Deus expresse vel tacite in testem adducatur, quæcumque verborum formula adhibeatur. Hinc colliges non vere jurare qui diceret : *Juro ita esse per conscientiam meam, in conscientia, super conscientia mea, in rei veritate, in fide viri probi vel Sacerdotis*; nam hic Deus nec tacite nec expresse in testem vocatur.

Neque etiam vere jurare censebitur qui jurat per creaturas, si tales sint, ut in iis speciali modo non elucescant divina attributa, v. g., si quis dicat : *Juro per hanc herbam, per hunc equum, per hunc lapidem*. Si vero creaturæ sint nobiliores et tales, ut specialiter in iis divina elucescat natura, verum erit juramentum, v. g., si quis dicat : *Juro per animam meam, per cælum, per templum, per sanctos, per crucem, per Evangelium, per fidem catholicam*. Ratio disparitatis : locutiones prioris generis non censentur factæ cum ulla relatione ad Deum; at locutiones aliæ talem in loquentis animo relationem ex se evidenter exhibent (unde in dubio intentionis sic accipienda sunt). Nam *anima* est spiritus de ejus spiritu; *cælum* est ejus habitatio; *terra* est illius scabellum; *templum* illius domus; *sancti* de ejus sanctitate participant; *crux* illius patibulum est; *sacramentum* ipse instituit; *Evangelium* ipse dictavit; tandem *fidei* ipse est consummator².

¹ Hebr. vi. Juramentum a *jure* deducitur, ve quia jus veritatis redditur Deo, vel quia jure inductum est ad veritatem firmandam, vel quia quod juratur, facit jus ac legem.

² « Comme certaines personnes peu instruites, les enfants surtout, s'ac-

273. Q. 2. *Quotuplex est juramentum?*

R. Juramentum multipliciter potest spectari :

1. Ratione *formæ* qua concipitur, aliud est verbale, reale vel mixtum : aliud explicitum vel implicitum : aliud solemne vel simplex : aliud contestatorium, execratorium vel comminatorium. — *Verbale* solis verbis conflatur. *Reale* includit aliquam corporis actionem, v. g., erectionem digitorum, crucis contactum, Evangelii deosculationem. *Mixtum* coalescit ex verbis simul et corporis actione. — *Explicitum* est cum quis Deum conceptis verbis vocat in testem, ut si dicat : *Testis est mihi Deus*. *Implicitum* est cum quis jurat per creaturas, sed quatenus in iis elucet speciale Dei attributum. — *Solemne* conjungitur cum caeremoniis quibusdam, v. g., cum Missa, cum præcedenti Communione. *Simplex* puram Dei invocationem præfert verbis vel signis. — *Contestatorium* Deum simpliciter vocat in testem. *Execratorium* (vocant etiam *imprecatorium*) non modo vocat Deum in testem; sed etiam in vindicem perjurii, v. g. : *Deus me morte puniat n hoc ipso loco, si mentior*. Huc revocatur etiam formula : *Ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia* : sicut enim qui hæc pronuntiat, bonum sibi ominatur, si verum dicat; ita malum sibi imprecatur, si mentiatur. *Comminatorium* est cum jurans sub attestatione divini Numinis alteri minatur pœnam, v. g. : *Juro per Deum, quod nisi hoc tu feceris, penas lues*¹.

2. Ratione *temporis*, quod in juramento indicatur; et aliud est assertorium, aliud promissorium. *Assertorium* vocat Deum in testem rei præteritæ, vel præsentis, v. g. : *Testor coram Deo, me non esse talis criminis reum*. At *promissorium* Deum vocat in testem rei futuræ, quæ juramento pro-

censent d'avoir juré en prononçant quelques paroles grossières, il est à propos de leur faire remarquer que ces expressions ne sont pas des juréments, en les avertissant toutefois qu'on ne doit jamais les appliquer aux choses saintes, et qu'il est inconvenant de les préférer contre qui que ce soit. » Ita Goussel. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 135.

¹ Si hæc verba proferantur a parentibus in filios, ordinarie non obligant; quia vel fiunt ob res inutiles, vel calore iracundiæ, vel cum intentione simpliciter terrendi. — Vid. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 139.

mittitur, v. g. : *Juro ac testor coram Deo, me Superioribus meis semper esse obtemperaturum in omnibus.*

3. Denique ratione loci, ubi fit; et juramentum aliud est *judiciale*, si in judicio; aliud *extrajudiciale*, si emittitur extra judicium. Et ipsum juramentum judiciale duplex ex civili lege dividitur, prout nempe defertur ab una litigantium parte, vel ab ipso iudice: si 1, dicitur *decisorium*, quia ab eo dependere censetur decisio causæ; si 2, dicitur *ex officio*, quia iudex illud defert ex officio suo¹.

Omnia numerata juramenta per se loquendo sunt ejusdem speciei; cum omnia Dei veracitatem respiciant.

274. Q. 3. *An juramentum sit res bona et honesta?*

R. De fide est contra nonnullos hæreticos juramentum esse bonum et honestum; ac licitum esse jurare, debitis intervenientibus conditionibus². Constat 1. ex Scriptura: in veteri Testamento legitur: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies, ac per Nomen illius jurabis*³. In novo autem Testamento habemus inter cetera illud Pauli: *Testem Deum invoco in animam meam: quæ... scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*⁴; — 2. ex Patribus: unum proferimus Augustinum, qui scribit: *Invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum; non ergo est peccatum jurare*⁵; — 3. ex ratione: ipsa enim dictante, actus ille bonus est et honestus, qui Deum maxime honorat, et ejus attributa veneratur. Atqui tale est juramentum; in quonam enim ejus natura sita est? In hoc profecto, quod Deus adducatur in medium, et invocetur tanquam summa æterna Veritas in testimonium alicujus rei; ergo Deum maxime honorat et ejus attributa veneratur. Unde dicitur: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*⁶. Merito ergo a Concilio Constantiensi damnata est hæc Wiclephi propositio: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus, et commercia civilia* (O).

275. Q. 4. *Quinam jurare possunt ac debent?*

¹ Codex Albert. Art. 1475. — C. G. 1557. — C. M. 2599.

² Est contra Pelagianos, Waldenses, Anabaptistas, Quacheros, Anglicanos, Americanos, etc. — V. Bergier, *Dictionnaire*, vº Serment.

³ Deut. vi. — ⁴ II Cor. 1; et Gal. 1. — ⁵ Serm. clxxx. — ⁶ Ps. lxxii.

R. ad 1: Si de jure naturæ sermo est, omnis homo rationis particeps jurare potest; nam jure naturæ quilibet ratione utens confirmare potest dictum suum per testimonium majoris Veritatis, nempe Divinæ. Si vero sermo est de jure civili, tunc ordinarie repelluntur a juramento in judicio ferendo: — 1. impuberes ob defectum maturitatis; — 2. in causa criminali etiam puberes, qui nondum ad ætatem annorum viginti pervenerint, exceptis casibus quibusdam gravioribus, uti si, v. g., agatur de aperiendo crimine læsæ majestatis; — 3. perjuri, quibus nulla fides¹. Ceteri omnes generatim loquendo jurare possunt, cum hac tamen advertentia: quod olim juramentum simplex præstari poterat etiam per procuratorem; nunc semper personaliter præstari debet². Diximus *generatim loquendo*; videndum enim, si adsint speciales leges quoad aliquas personas ratione status, cui illæ sint ad dictæ (P).

R. ad 2: Regulariter urget obligatio jurandi: 1. quoties id necessarium est ad subveniendum proximo; quisque enim ex lege charitatis tenetur occurrere proximi necessitati medio licito ac facili, uti est juramentum; 2. quoties a Superiore legitime exigitur: sic ordinarie ad juramentum obligantur illi, qui in aliqua communitate recipiuntur, puta Collegio, ut ita illius statutis adamussim studeant; tum illi, qui aliquo publico officio donantur, uti Episcopi, Canonici, Beneficiati, Confessarii, Medici, Testes, etc. Hoc sane valde confert, ut omnes proprium munus pro conscientia adimpleant; hinc propositio 75 Synodi Pistoriensis, qua improbantur hæc juramenta, damnata fuit³.

* Ex lege civili (Cod. pœn., art. 253) officialis publicus, qui officium suum civile exercet antequam emiseric ab ipsa lege præscriptum juramentum, mulctatur.

¹ V. Cod. pœn., art. 374; et etiam Cod. proced. criminalis et civilis.

² Cod. civ., art. 1472. — Cod. Mut., art. 2598.

³ De quibusdam particularibus juramentis vide Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 181.

Art. II — De conditionibus ad juramentum requisitis.

276. Q. 1. Quænam sunt debitæ conditiones juramentorum?

R. Conditiones ad juramentum tradidit Deus: *Jurabis, vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia*¹. Ubi sic scribit S. Hieronymus: *Animadvertendum est, quod juramentum hos habeat limites, veritatem, judicium atque justitiam: si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* Et violaretur secundum Decalogi præceptum: *Non assumes Nomen Dei tui in vanum; non enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit Nomen Domini Dei sui.*

277. Q. 2. Quid de veritate requisita ad jurandum?

R. Veritas hic tota subjectiva est, non objectiva; in eo nempe consistit, quod jurans certus sit de veritate rei, quæ sui juramenti materiam constituit. Non autem requiritur certitudo absoluta et omnino infallibilis, quæ nempe adstruitur ex argumentis metaphysicis et physicis, alioquin fere nunquam liceret jurare; sed sufficit moralis, id est tanta veri probabilitas, quæ ad certitudinem moralem pertingat, sive quæ in mente jurantis est prudens æstimatio seu judicium ipsi dictans esse verum quod juramento affirmat vel negat. Unde excludit quidem omne mendacium in ipso jurante, non autem excludit omnem errorem qui esse potest in ipsa re².

278. An (quæres) liceat in juramentis uti restrictione mentali, aut æquivocationibus³? — Restrictio mentalis definitur:

¹ Jer. iv. — V. Veith. *Sacra Scriptura*, in III Reg., n. 56.

² Imo volunt posse a nobis affirmari cum juramento etiam quod audivimus a persona ita fide digna, ut moraliter certos nos faciat; si tamen excipiat materia judicii, ubi juramentum quod exigitur, est de certitudine propria, et juxta gradum suum: « *Lorsqu'il s'agit de déposer en justice, on doit exposer les motifs de sa déposition, afin que les juges puissent l'apprécier à sa juste valeur.* » Gousset. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 147, etc.

³ Ardua est præsens quæstio, in qua possumus decipi tum in adsignanda legitima causa, tum in usurpandis legitimis loquendi formulis; de facili enim

Actus mentis, quo quis suum sermonem detorquet vel restringit ad sensum diversum ab eo, quem verba nude ac prima fronte spectata, præ se ferunt. Duplex est: alia late, seu non pure mentalis, quæ nempe ex modo interrogandi vel respondendi, ex usu recepto, vel ex aliis circumstantiis ab auditoribus generatim intelligi potest, licet forte, defectu advertentiæ, non percipiatur: v. g., si petenti mutuandam pecuniam respondeam: *Non habeo*, subintelligendo, *quam tibi mutuo dare velim.* Alia vero est pure mentalis, quæ ex nullis adjunctis ab auditoribus intelligi potest: v. g., si quis interrogatus, an rem surripuerit, respondeat *se non surripuisse*, et surripuerit, intelligendo se sinistra manu non surripuisse. — Porro hic sermo non est de restrictione pure mentali: hæc enim etiam sine juramento certe prohibetur, ut constat ex propositionibus 26, 27 et 28 damnatis ab Innocentio XI. De hac etiam ait Ecclesiasticus: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est*⁴. Sane sic loqui mendacium est, cum ita falsum exprimitur, ut sensus in mente habitus nullo modo percipi possit ab auditoribus.

279. Tota quæstio est de restrictione late mentali: ad quam revocatur æquivocatio, seu amphibologia, quæ est *sermo ambiguus* seu habens duplicem sensum, qui satis ab auditore percipi potest (a græco *amphibolos* dubium et *logos* sermo). Triplici autem modo contingere potest: 1. cum verbum habet duplicem sensum omnino diversum, v. g., verbum *volo*, sonat tam *velle*, quam *volare* in persona prima numeri singularis modi indicativi, temporis præsentis; 2. cum sermo ipse duplicem sensum exhibet, v. g., si dicam: *Hic liber meus est*, duo possum significare valde diversa, scilicet vel me esse dominum libri, vel me esse ejusdem auctorem; 3. cum vocabula habent duplicem sensum, unum magis communem, alium vero minus: seu unum litteralem, alium

restrictio late mentalis esse potest pure mentalis. Quare caute in hac re procedendum est, ne humanæ societati ac consuetudini noceamus, ne confusionem inducamus, ne christianæ simplicitati derogemus; sed quoad potest sit *sermo noster, est, est; non, non*, Matth. v. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Restrictio mentalis.

⁴ Eccli. xxxvii.

spiritualem, uti cum dixit Christus de Joanne Baptista: *Ipsa est Elias*. Hoc etiam sensu viri pii dicunt cibos delicatos sibi nocere, id est spiritus mortificationi¹.

Hoc posito dicimus: commune est vel apud ipsos rigidiores, licere ex iuxta causa, ac per se loquendo uti restrictione late mentali et verbis æquivocis, etiam cum juramento; tunc enim non decipimus proximum nostrum, sed permittimus ut decipiat ipse se: nec tenemur ex alia parte ad mentem aliorum loqui, iuxta extante causa. Nec mendacium est; nam sensus in mente retentus ex adjunctis satis percipi potest: unde prudens tantum est veritatis occultatio. Idque probat exemplum ipsiusmet Christi Domini: nonne restrictionibus hujusmodi usus est tum quando rogatus, ut ad quamdam festivitatem ascenderet, respondit: *Non ascendo*, et tamen ascendit; subintelligendo *palam et manifeste*, sicuti interrogatio præ se ferebat, et eruitur ex textu, et exponunt Chrysostomus, Theofilactus et Eutymius²? tum quando rogatus de die judicii extremi, respondit: *De die illo... nemo scit neque Filius*, subintelligendo *ad manifestandum*, sicuti volebant Discipuli, uti interpretantur Hieronymus, Augustinus, Ambrosius et Basilius³? Adde Sanctorum doctrinam. Augustinus ait: *Quamvis omnis, qui mentitur, velit celare quod verum est; non tamen omnis, qui vult quod verum est celare, mentitur*⁴. Et D. Thomas: *Aliud est veritatem tacere, aliud falsitatem proponere*. Idem: *Non est licitum mendacium dicere ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo liberet; licet tamen*

¹ Hoc modo si quis interrogetur de re, quam celare expediat (salvo meliori consilio) respondere poterit: *Dico non*, quasi dicat: *Profero hanc particulam negativam non*. Verbum enim *dico* duplicem sensum exhibet, nempe communem *asserere aliquid*; et minus communem in vulgari loquendi usu, nempe *proferre aliquid vocabulum*.

² Joann. vii. — V. Corn. a Lapide, in hoc loco. — Veith, *Sacra Scriptura, De libro Tobie*, n. 21, ubi quærit, an a mendacio excusentur quæ Angelus Raphael de se affirmat.

³ Marci xxiv. « Par ces paroles, ait Bergier (*Dict. Encycl.*, v^o *Agnoëtes*), le Seigneur voulait réprimer l'indiscrette curiosité de ses Disciples, en leur faisant comprendre qu'il n'était pas à propos qu'il leur révélât ce secret. Sa réponse a le même sens que celle d'un père qui dit à son fils trop curieux: *Je n'en sais rien*. » Gousset.

⁴ L. *contra Mend.*, c. x

*veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione, ut Augustinus dicit in libro de mendacio*¹. Adde inconvenientia, quæ secus evenirent; si nempe non liceret, iuxta extante causa, uti tali restrictione, nullus esset modus secretum honeste celandi, quod quis sine damno vel incommodo aperire nequiret: hoc autem humanæ societati non minus esset perniciosum, quam ipsum mendacium. Si ergo tali uti restrictione bonum est, nihil officit, quod etiam juramento firmetur, quotiescumque id circumstantiæ postulaverint². — Non tamen negandum majorem causam requiri ad æquivocandum cum juramento, quam sine juramento; quia divinum testimonium non est ita facile usurpandum.

Diximus 1. *ex justa causa*, ne temere inducatur tergiversandi locus; nam licet id non sit mendacium, aliquid tamen

¹ 2, q. 69 et 110, a. 2.

² Porro allata principia nonnullis exemplis illustrando dicimus. — 1. Confessarius affirmare potest etiam cum juramento, se nescire peccatum auditum in Confessione, subintelligendo *ut hominem*; quia interrogans non habet jus, nisi ad habendam notitiam communicabilem. — 2. Reus, vel testes a iudice non legitime interrogati possunt jurare se crimen nescire, subintelligendo se nescire crimen *de quo legitime possint inquiri*. — 3. Qui venit de loco, qui falso putatur morbo infectus, potest negare se illinc venire, scilicet *ut pestilentia infectus*, qualis est interrogantium animus. — 4. Invitatus ad mensam et rogatus, an cibus sit bonus, potest affirmare esse talem, licet revera sit insipidus, intelligens *ad mortificationem et poenitentiam*: et aliunde omnes sciunt quod eo in casu sic responderi soleat, quomodolibet sit confectus cibus. — 5. Qui mutuum accepit et satisfacit, si postea iterum urgeatur, potest negare accepisse mutuum, *ut nempe denuo debeat solvere*. Qui habet unum panem sibi necessarium, vere respondere potest se nullum habere pro eo, qui petit commodatum; quia nullum habet quem commodare possit, de quo solo ille interrogat: ita De Lago. Idem dicit Cardenas de pecunia petita, si domino ea sit necessaria. — 6. Creditor ex instrumento potest asserere cum juramento nihil sibi solutum, si pars sit quidem soluta, sed ex alio capite ipse habeat creditum, quod probare non potest; modo aliis creditoribus anterioribus non inferat damnum, nec juret talem summam sibi deberi ex illo instrumento: ex quo patet, quod in praxi vix habere potest locum. — 7. Qui fuit coactus ad matrimonium potest asserere non contraxisse, nempe *libere*. Qui non teneatur ad gabellas, potest dicere, *se nihil ferre*, ut solvere teneatur. Hoc sensu licite etiam proferuntur cæremoniæ, protestationes, ut *osculor manus, offero me famulum*; quia ex communi usu accipiuntur uti verba materialia prolata tantum ad honorem vel ad urbanitatem. — V. Voit, *Theol. Mor.* — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 155 et seq., ubi plures casus.

detrimentum affert communi convictui et colloquiis humanis; atque aliquo modo derogat humanæ fidei, cum semper auditores non possint esse ita cauti, ut omnes æquivocationes cavere possint. Justa autem causa loquendi ambigue esset, ut dicunt communiter, quicumque finis honestus ad servanda bona quæ nobis prosunt, vel etiam ad se liberandum ab importuna, fastidiosa et injusta interrogatione¹. Docent tamen probabilius contra Vivam, Cajetanus, Lessius, Lugo, Salmanticensis et Sanchez, quod per se si causa tantummodo desit, nostra tergiversatio non sit nisi venialis; quia defectus est tantum in discretione.

Diximus 2: *Per se loquendo*; nam æquivocis verbis sub gravi prohibemur uti: 1. si inde auditores in aliquod grave damnum inciderent: hoc enim charitatis præcepto tenemur avertere; 2. quando contractus mutuos celebramus; debemus enim ex justitia verba ad mentem contrahentis nude proferre, ne eum decipiamus; 3. quando iudex vel superior communis in rebus sui officii legitime interrogant; tunc debemus in sensu interrogantis clare respondere: secus justitia publica ac bonum communis nimis frequenter a discipulis læderetur. Unde tunc qui reus est, veritatem nude fateri tenetur, idque probabilius, etiamsi ex tali confessione grave ipsi imminet damnum.

280. Q. 3. Quid de iudicio in iuramento?

R. *Iudicium hic non sumitur pro executione iustitiæ*, inquit Angelicus, *sed pro iudicio discretionis*²; cum enim iuramentum sit res sanctissima, non debet fieri absque prudentia, consideratione ac reverentia: quæ tria in discretionis iudicio continentur. Quare juraturus debet diligenter perpendere: 1. an iuramentum sit necessarium ratione proprii officii, vel ut fides verbis suis adhibeatur; 2. an notabilis spes affluat fore, ut alii credant; 3. an rem iuramento pro-

¹ Regulariter possunt uti restrictione late mentali omnes personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut secretarii, legati, duces, magistratus, advocati, medici, obstetrices, etc. Si enim secreta ejusmodi personis commissa violarentur, gravissima certo sequerentur incommoda.

² 2, q. 89, a. 3.

missam tempore suo præstare valeat, ne in discrimen iuramenti violandi adducatur.

Ubi tamen non desit, nisi iudicium in iuramento, ut si quis juret absque necessitate, vel ex quadam levitate, vel ex consuetudine, non erit, ut plurimum, nisi veniale, prout communiter docent cum S. Antonino: quia gravem injuriam contra Deum continere non videtur. *Ut plurimum*; quia in consuetudine frequenter jurandi adest periculum scandali et perjurii: sub quo respectu iuramentum iudicio destitutum potest esse etiam mortale, sicut advertit Augustinus. Hinc Scriptura monet: *Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa...*; *vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga*¹. Et laudatus Doctor: *Istam consuetudinem jurandi avertite a vobis, amputate a linguis vestris, circumcidite ab ore vestro*².

281. Q. 4. Quid de iuramenti iustitia?

R. Iuramenti iustitia in eo consistit, ut res jurata sit justa, licita et honesta. Hujus defectu peccat in iuramento promissorio mortaliter: 1. qui jurando promittit se quidpiam mali esse facturum, v. g., homicidium, sive animum habeat implendi, quia Deus invocaretur, ut patronus iniquitatis, sive non habeat, quia tunc esset perjurium³; 2. qui iuramento utitur ad consummandum peccatum etiam veniale; quia sic jurans quantum in se est, Deum facit complicem peccati sui. Neque tunc tenet iuramentum; quia non est obligatorium contra bonos mores, neque vinculum rerum vanarum. Hinc probabilius non obligat promissio jurata prodigi; quia est saltem leviter mala⁴.

¹ Eccli. xxiii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 145.

² Serm. clxxx, *de verb. Dom.* — V. Salvatori, *Istruzione*, ecc., § 16.

³ *Quid (dices) si res iuramento promissa sit tantum venialiter mala, aut vana, aut inutilis, aut frivola?* Tunc licet Antoine, Billuart et Collet dicant non esse nisi veniale illam sub iuramento promittere, nobis magis arridet sententia Elbel, qui cum aliis docet id grave esse, quia non levis, sed gravis semper irreverentia est Deum vocare testem ac veluti fidejussorem peccati, tametsi venialis.

⁴ Neque etiam tenet iuramentum, si quis juret contra Evangelica consilia; quia est impeditivum inspirationis cœlestis: excipe nisi sit in favorem tertii, ut si obligaveris tuum famulatum alicui; tunc enim ille jus jam acquisisset. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 146.

282. *An (quæres) peccet graviter ex defectu justitiæ, qui cum juramento se jactat de peccato commisso? Qui juramento se jactat de peccato commisso, probabilius non videtur peccare, nisi venialiter contra Religionem, ut docent Salmanticensis, Sanchez, Suarez alique; ideo enim in juramento promissorio defectus justitiæ est peccatum mortale, quia juramentum in eo assumitur ad firmandam voluntatem malum peragendi. At in juramento assertorio non assumitur, nisi ad alios certiores faciendos de peccato utpote jam patrato, quod quidem per se non est nisi venialis quædam animi levitas. Diximus per se, erit enim mortalis culpa, si id contingat cum gravi audientium scandalo; vel si complacentiam peccati confirmet; vel si juramentum assumatur ad firmandam proximi detractionem; quia tunc adhiberetur uti medium ad alterius infamiam certiore reddendam.*

283. Q. 5. *Quod peccatum est perjurium?*

R. Perjurium generatim sumptum, licet sit quodlibet juramentum destitutum veritate, justitia et judicio; attamen ex S. Thoma⁴, a falsitate præcipue specificatur perversitas illius; cum ista intimius ejus substantiam inficiat. Ideo perjurium proprie erit juramentum veritate destitutum: quod quidem ex natura sua mortale est; quia semper irrogat Deo injuriam, eum in testem falsitatis adducendo. Neque parvitas materiæ excusat, quia semper graviter repugnat Deum testificari falsum; unde ait Augustinus: *Peccatum perjurium et grande peccatum nemo dubitat*⁵. Et Innocentius XI hanc damnavit propositionem sub n. 24: *Vocare Deum in testem mendacii levis non videtur tanta irreverentia propter quam velit aut possit damnare hominem.*

Diximus, *ex natura sua*; potest enim perjurium esse culpa venialis per accidens, ob defectum nempe plenæ deliberationis vel consensus; tale est in quibusdam rusticis perjurii malitiam non percipientibus. Quare non debent Confessarii statim illos de gravi peccato monere, si pejerandi consuetudine teneantur, ne illorum peccata formalia evadant; sed sensim sine sensu fortiter insistendo ut falsum jurare desi-

⁴ 2, 2, q. 89, a. 7. — ⁵ Sermone cLXXX.

stant eos curare studeant, media apta suggerendo, v. g., ut statim dictum retractent, veniam petant, se pœniteant, vel orationem recitent, toties determinatam eleemosynam pauperi tribuant¹, etc.

Art. III. — De juramenti obligatione, extinctione et interpretatione.

284. Q. 1. *An res juramento promissa sit præstanda sub gravi?*

R. Si res juramento promissa gravis est, utique sub gravi præstari debet: cum juramentum nedum gravis promissionis vim minuatur, imo potius eandem augeat, et servet ad pacta firmanda. Unde legitur in Scripturis: *Reddes Domino juramenta tua*². Si vero res promissa est levis, controversia est: alii dicunt cum Bonacina, Collet, Lessio, Toletus, etc., rem juramento promissam, etsi levem, adhuc sub gravi esse præstandam; quia aliter semper violaretur juramentum, in quo non datur materiæ parvitas; vocaretur enim Deus in testem falsitatis, si veritas non conformaretur rei promissæ: ita et S. Thomas ac Catechismus Romanus. Alii cum S. Antonino, Antoine, Billuart, Layman, Sanchez, Sylvio, Soto, Suarez et ceteris negant dicentes, tunc tantum perjurium committi, cum Deus vocatur in testem mendacii: atqui hic non vocatur Deus in testem mendacii, nam si jurans actu juramenti habuit voluntatem implendi et postea promissa non implet, non committit mendacium, sed tantum infidelitatem, quæ (cum res promissa non sit gravis ex hypothesi) protrahi non poterit ad culpam gravem. Hæc sententia non est

¹ V. Liguori. *Op. Mor.*, l. III, n. 150.

² Matth. v. Quærenti an obligatio juramenti promissorii, aliquid scilicet tribuendi, transeat ad hæredes, respondemus cum D. Thoma, duo hic esse distinguenda: primum est *ipsa promissio*, quæ si licita et acceptata sit, transit ad hæredes, qui in omnia jura et onera realia defuncti succedunt; aliud est *vinculum religionis* ex juramento ipso, quod cum sit personale, non obligat hæredes, qui ideo non sunt perjuri, si illud non servent, quamvis sint injusti. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 172.

minus probabilis quam prima; imo fortasse est probabilior, si intrinseca ratio spectetur.

Quidquid sit, certum est, eum qui ex multo quod promissit, non omittit nisi quidquam parvum, non peccare mortaliter, v. g., si quis jurasset se nunquam vinum esse bibiturum, non peccabit mortaliter parum vini bibendo; quia tunc gravitas non afficit, nisi materiam ipsam universim sumptam¹.

285. Q. 2. Quid de juramento metu gravi et injusto extorto?

R. Distinguendo: vel agitur de juramento, quod jam a jure ipso sive civili sive ecclesiastico irritatur utpote metu sic extortum; vel de juramento agitur, quod nulla lege prohibetur. Si 1, certum est, nullum esse juramentum, quia est contra leges illud infirmantes ob bonum commune; ideoque est de illicito. Hoc sensu non obligat juramentum metu gravi et injusto extortum super professione religiosa, sponsalibus, matrimonio, etc. — Si 2, D. Antoninus, Sanchez aliique tenent neque tale juramentum valere: nam juramentum naturam actus sequi debet; atqui actus extortus gravi metu injusto est invalidus: ergo et juramentum. Adde: juramentum hoc est actus prorsus inutilis, cum illico retractari possit: sic, v. g., post pecuniæ traditionem vi juramenti latroni a te factam, eandem pecuniæ tu a latrone, etiam vi adhibita, statim recuperare potes; ad quid ergo eam illi tradidisti? Verum longe probabilior sententia cum Angelico, Billuart, Lugo, etc., docet, juramentum illud obligare erga Deum; est enim regula generalis, quodlibet juramentum esse servandum quando potest sine peccato; tum ne in testem mendacii adducatur Deus; tum quia bonum est servare promissum². Adde jus Canonicum; in eo enim dicitur Ecclesia juramentum metu inicum relaxare: ergo illud supponit validum³.

¹ Non peccat contra juramentum qui urbanitatis causa juravit se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc., si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque juramentum est nullum defectu aut intentionis jurandi aut materiæ aptæ; vel si valeat, ab altero relaxatur. Arcendi tamen sunt homines ab hisce formulis, cum deceant. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 180.

² 2, 2, q. 89, a. 7. — ³ *Decretal.*, l. I, tit. xxiv, de jurej., c. xv.

Diximus erga Deum, non erga hominem: quare si quid injuste coactus Titio jurasti et tribuisti, recte tribuisti; nam reddidisti Domino juramentum tuum: sed postea potes repetere in judicio solutum; neque enim iniquitas debet iniquo patrocinari. In juramento, quod quis coactus facit, ait Angelicus, duplex est obligatio: una quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem, quod ille qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur; alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur ut impleat quod per Nomen ejus promissit, et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit, vel Prælato denunciare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra justitiam publicam¹.

286. Q. 3. Quid de juramento promissorio dolose emisso?

R. Tripliciter potest aliquid dolose cum juramento promitti: sine animo jurandi, sine animo se obligandi; et sine animo adimplendi.

1. Qui aliquid juramento promittit, sed sine vero animo jurandi, nempe non cum animo se obligandi ex vi virtutis religionis, sed ex vi solius promissionis humanæ, peccat, uti constat ex hac propositione ab Innocentio XI sub n. 25 damnata: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis*; nam illuditur divinum testimonium. Docent tamen communissime, eum peccare tantum venialiter, si aliunde habeat animum implendi, neque res sit coram judice vel in contractibus: tunc enim nulla deceptio contra justitiam, cum intentio habeatur rem promissam præstandi; sed solum inanis divini Nominis usurpatio adesset; — 2. qui juramento aliquid promittit, sed sine animo se obligandi, communius dicunt, quod graviter peccat; cum videatur gravis irreverentia adducere Deum in testem, et nolle

¹ 2, 2, q. 89, a. 7. — Hinc si quis metu mortis latroni juravit, se ei daturum pecuniæ, et insuper se velle illi consociari in furtis, non valet juramentum de societate ineunda, quia est de illicito; valet tamen de pecuniæ solvenda, quia hanc dare potest sine peccato.

eius testimonio obstringi. Sunt tamen qui docent, id esse tantum veniale, et quidem valde probabiliter; nam sine animo se obligandi nulla vera promissio, nullumque subsistit juramentum, et ideo illud violari non potest; non enim potest intelligi juramentum, nisi ut productivum obligationis. Si ergo hanc excludis, et juramentum excludis; ergo habetur solummodo vana usurpatione divini Nominis¹; — 3. qui juramento aliquid promittit cum animo jurandi et se obligandi, sed non implendi, v. g., si quis vere juret se eleemosynam daturum, sed cum animo non standi promissioni, peccat mortaliter, quia violat quod vero juramento juravit. Et semper tenetur servare promissum; illa enim nolitio executionis non impedit, quin revera posita fuerit substantia juramenti, et consequenter ejus obligatio. Idem est, si quis non advertit ad obligationem juramenti; nam obligatio sequitur ex illius natura, nisi illa positive excludatur.

287. Q. 4. Quomodo juramentum extinguitur et cessat?

R. Juramentum iis ferme modis cessat, quibus volum. Nempe cessat: 1. *cessatione causæ finalis*; nam sine causa non subsistit effectus. Hinc cessat juramentum, si quis juraverit se puniturum esse discolos, sed isti emendentur; — 2. *mutatione notabili*; nam talis mutatio aliud facit objectum, ad quod jurantis intentio non se extendit. Hinc non obligatur juramento qui juratas promisit nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, bonæ formæ, si has dotes amittat. Item non peccat qui secretum juratum detegit, si non potest illud servare sine gravi suo, vel alterius damno; quia ipsa promissio secreti obligat tantum sub conditione, *nisi graviter noceat*: nisi agatur de secreto consilii, quod in omni casu ob publicum bonum expedit observare; — 3. *irritatione*, quæ fit a quolibet dominatum habente in jurantem, licet agatur de contractibus, si ab eodem possint irritari; — 4. *commutatione*,

¹ Imo probabilius est, quod sic jurans per se non tenetur juramentum servare: tum quia ex dictis est invalidum; tum quia Deus juramenta promissoria non acceptat, nisi juxta jurantium intentionem, quæ cum non sit se obligandi, non importat, nisi simplex propositum quod in conscientia sub peccato non obligat. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 172. — Tamburini, *De Decal.*, l. III, c. III, § 2.

vel *dispensatione*, quæ quidem dantur ab habente jurisdictionem in externo foro¹.

288. Quomodonam (quæres) juramentum interpretandum est?

R. Juramentum interpretandum est secundum quod est usu receptum; sic enim recte creditur esse mens jurantis. Item in favorem illius, qui illud emisit; cum sit vinculum propriæ voluntatis. Hinc commune est in juramento promissorio sequentes conditiones semper tacite intelligi, nempe: 1. *si potero*, quia nemo censetur se ad rem vel etiam moraliter impossibilem obligare; 2. *salvo jure Superiorum*; 3. *si is, cui promissio a me fit, eam acceptet vel non remittat*; 4. *si res non fuerit notabiliter immutata*; 5. *si alia pars fidem servaverit*, casu quo agatur de promissione reciproca² (Q).

SCHOLIUM. — De adjuratione.

289. Adjuratio ex Angelico est invocatio Dei, vel rerum Sacrarum, vel Sanctorum ad inducendum aliquem ad aliquid³. Alia est *solemnis*, quæ fit ab Ecclesia modis constitutis, ut in exorcismis; alia *privata*, quæ fit a quocumque sine solemnitate; alia *deprecativa*, si precibus; alia tandem *imperativa*, si imperio fiat. Adjuratio est actus Religionis; cum per ipsam aliquem movere intendamus per Dei reverentiam atque timorem. — *Privata* unicuique cum causa licita est; sicuti enim juramento promissorio licet se compellere ad aliquid, ita licere debet

¹ Huc revocanda jam dicta de voti extinctione ac interpretatione. Sed potestas obtenta dispensandi in votis non complectitur potestatem dispensandi in juramentis, cum sit diversum vinculum. Sacra Pœnitentiaria relaxat juramenta, quæ non sint in favorem tertii ex Bulla *Pastor* Benedicti XIV.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 181 et 187.

³ 2. 2. q. 90, a. 1. — Quæ de juramento diximus, huc possunt de facili revocari. Porro per se sola creatura rationalis est idonea, ut adjuretur; quia hæc sola potest percipere divina eorumque reverentia et amore impelli ad agendum. Res autem inanimæ hoc sensu solum adjurantur, ut adjuratio dirigatur ad naturam rationalem, quæ illis presidet, easque movere potest. Huc pertinet adjuratio S. Brixii, qui infantem triginta dierum adjuravit, ut diceret, si ipse esset pater ejus, ut sparserant; cui infans respondit non. Continebat hæc adjuratio tacitam orationem, qua Deus rogabatur, ut infanti vocem daret. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 195.

alios compellere adjuratione. Solemnis tamen fit tantum ab Ecclesie ministris ad id deputatis.

CAPUT QUARTUM

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM

Art. I. — De natura et vi hujus præcepti.

290. Q. 1. An præceptum Festorum sit naturale, an positivum?

R. Cum D. Thoma: Præceptum de sanctificatione sabbati est partim morale, partim vero cæremoniale: morale (id est naturale, sub quo respectu in tertio Decalogi præcepto ponitur) quidem est quantum ad hoc, ut homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum Divinis; sed in quantum in hoc præcepto determinatur speciale tempus in signum creationis mundi, est præceptum cæremoniale: et quatenus cæremoniale ab Ecclesia fuit abolitum¹. Nempe loco sabbati substitutus est dies dominicus: quæ substitutio ab Apostolis facta merito præsumitur juxta Augustini regulam: Quot universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, id non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur². In hanc longe probabiliorem ac communem sententiam concedit quoque Catechismus Romanus; et ideo observantia Dominicæ ab Ecclesia mutari et dispensari utique potest, quamvis dispensari non possit, quod nullus sit dies festus.

Restat ergo concludendum: — 1. temporis determinationem ad Deum colendum, ac modum cultus relictum Ecclesie fuisse. Et sane quamvis ratio dictet, Deum esse adorandum, et aliquod temporis cultui ejus esse devovendum, non præcipit tamen specialiter, quod sit integra dies, hoc potius

¹ 1 p., q. 22, a. 4.

² l. IV, De Bapt. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 263.

tempus quam illud, hoc potius modo quam altero: erat ergo Ecclesie id omne determinare, ne fideles in re adeo essentiali fluctuarent omni vento doctrinæ; — 2. nos juxta Ecclesie determinationem festa colendo et ipsi naturali, ac divino præcepto rite satisfacere; quod etiam eruitur ex verbis D. Thomæ, qui ut certo supponit Ecclesie præscriptionem versari circa hoc naturale ac divinum præceptum, ejus non quidem necessitatem, sed omnes substantiales circumstantias determinando. Causam cur in nova Lege sabbato fuit substituta observatio diei Dominicæ, nobis suppeditat S. Leo Magnus¹: In hoc (die Dominico) per resurrectionem Christi et mors interitum et vita sumpsit initium: in hoc mandatum accipiunt Apostoli prædicandi Evangelium in universo mundo: in hoc potestatem dimittendi peccata: in hoc promissus a Domino Spiritus sanctus advenit, et Evangelica Lex in die Pentecostes promulgata est.

291. Certum est, Principem sæcularem non posse Festa Ecclesie instituere, dispensare, nec imminnere aut transferre; cum nulla ei sit in spiritualibus potestas: unde quando mandat ab operibus servilibus, id civiliter est intelligendum, quoad politiam nempe externam; non vero quasi obliget in conscientia. Habet autem potestatem hanc Pontifex pro tota Ecclesia, cum ipsi Dominici gregis cura demandata sit. Pro festis particularibus suæ Diocesis Episcopus, qui et nova Festa instituit, modo accedat Cleri populique consensus, et agatur de festo alicujus Sancti, non Beati². Episcopos tamen monet Urbanus VIII, ut abstineant a novis festis ob multa incommoda, quæ inde oriri solent³.

Et in Synodo Novariensi merito omnis vis adimitur festis particularibus, quæ speciali Episcopi approbatione munita non sint (pag. 67).

¹ Epist. ad Diosc. — V. Ferraris, vº Sabbatum. — Liguori, Op. Mor., l. III, n. 265.

² C. Conquæstus de ser. — V. Bouix, De jure liturgico, c. iv. — Liguori, Op. Mor., l. III, n. 266.

³ Diximus pro festis particularibus suæ Diocesis; pro festis enim generalibus totius Ecclesie nihil potest Episcopus; cum agatur de lege superioris; et contraria propositio Synodi Pistoriensis sub n. 74 est damnata uti falsa, juri Conciliorum generalium et SS. Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens. — V. Ferraris, Bibliotheca canonica, etc., vº Festa, Festivitates.

292. Q. 2. An præceptum sanctificandi Festa obliget sub gravi?

R. Præceptum sanctificandi Festa obligare sub gravi est communis Theologorum doctrina ac fidelium persuasio. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 52 propositionem: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus*. Est autem observandum, nomine *Festorum* præter dies Dominicos, eos etiam intelligi, quorum sanctificationem præcipit Ecclesia intra hebdomadam vel in honorem Sanctorum, vel ad memoriam alicujus Redemptionis nostræ mysterii¹. — Hoc præceptum, quatenus ab Ecclesia determinatum, obligat omnes fideles rationis compotes, id est circa finem septennii; tunc enim possunt illud modo humano observare. Diximus *fideles*: ipsi enim tantummodo per Baptismum præceptis Ecclesiæ subduntur (R).

293. Præceptum autem sanctificandi Festa nos obligat sub gravi ad duo: nempe 1. ad audiendum Sacrum; 2. ad abstinendum nos ab operibus, quæ dicuntur servilia. Utrumque præceptum est²: utrumque et usu et praxi fidelium confirmatum est. *Præter hæc*, ait clarissimus Roncaglia, *nihil aliud importare obligationem sanctificandi festos dies, est communis Doctorum sententia*; sane vel ipsi rigidiores Theologi non audent damnare de mortali eos, qui hæc solum agerent; cum tamen apud omnes in confesso sit violationem Festorum in re gravi gravem esse. Ita inter alios Antoine, Billuart, Cajetanus, Pontas, Cuniliati, ac Concina qui aperte fatetur, quod nostræ sententiæ *communiter accedunt tum theologi magis communiter tum casuistæ omnes*.

¹ Objectum Festorum sunt non tantum Deus, sed etiam B. Virgo et Sancti, in quibus ipse Deus mirabilis exhibetur. Universali autem consuetudine sancitum est, ut quævis Ecclesia in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti aut Sanctæ erigeretur: si *prius*, persona divina aut mysterium dicitur Titulus aut Titularis Ecclesiæ; si *posterius*, Sanctus vel Sancta vocatur Patronus vel Patrona Ecclesiæ et loci ab ea dependentis. — V. Benedictus XIV, *De festis*. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 270.

² C. *Vice illius de tregua*, etc. *Si quis de consecr.*, disput. 1; et c. III, *licet de feriis*. De Sacri auditione diximus *de legibus*, disp. II. — Hic vid. *Opette di Emmanuele Mariano d'Ituriaga*, vol. II: dissertazione sulla Santificazione delle Feste.

294. Sed (dices) nonne saltem concio est de necessitate audienda in Festis, ut ista dicantur sanctificari? — Sunt qui affirmant, et probant tum ex Tridentino, quod jubet Parochis, ut illis diebus concionem habeant, quod frustra esset, si fideles eam audire non tenerentur; tum ex Nicolao I ad Consulta Bulgarorum, ubi idipsum præcipitur. Nos tamen dicimus, quod ex se loquendo festis diebus nulla adest obligatio concionem audiendi, quasi nempe non interessentes graviter ac præcise delinquant contra speciale præceptum sanctificationis Festorum. Sane nullibi legimus præceptum stricte tale. Tenentur quidem Episcopi et Parochi Verbum Dei *singulis diebus dominicis et solemnioribus festis* per se vel per alios, si legitime impediatur, populo annuntiare; sed communis sententia docet, non teneri fideles his concionibus interesse, nisi quatenus quisque tenetur discere necessaria ad salutem: nec ea discere potest, quin concionibus illis ac præsertim Catechesibus intersit; et nisi quatenus absentia potest scandalum procreare, uti in parvis præsertim oppidis solet contingere.

Adde: hanc esse fidelium etiam timoratorum persuasionem negari nequit, qui illico se graviter peccare percipiunt, si non abstineant a servilibus, vel Sacrum non audiant; non ita tamen, si una vel altera vice, etiam sine necessitate, concionibus non intersint. Adde: quot sunt ex ipsis Ecclesiasticis, qui non semper concioni intersint, qui si una vice Sacrum omitant audire vel celebrare festo die, peccatum suum (utpote mortale) fatentur; sed nunquam de concionis omissione se accusant: quæ quidem si essent in præcepto, vel unam omittere mortale esse deberet, sicuti mortale est vel unam omittere Sacri auditionem. Nec dicant, quod ipsi instructi jam sunt; non enim hic agitur de necessitate instructionis, sed de necessitate sanctificationis festorum: hoc porro præceptum sanctificandi Festa nullam personam excipit, non clericum, non sacerdotem, non episcopum, non doctum, non indoctum (S).

295. Hæc dicta sint, ut qua par est, veritas aperiatur, ac ne laqueum animabus imponamus: ceterum alia ratione fideles ad concionibus et præcipue catechesibus interessendum

compellendos esse censemus, opportune et importune; nam ex una parte instructio maxime indigent, ex alia solis festis diebus instructio habetur. Unde si quæstio sic instituitur: 1. tenenturne fideles concionem et instructionem audire festis diebus? nostra responsio generatim est affirmativa; at si quærat; 2. estne de necessitate concio audienda in festis, ad hoc præcise ut ipsa dicantur sanctificari? respondemus negative. Quare in festis qui Missam audit et a servilibus abstinet, non peccat amplius contra præceptum speciale de observantia festorum; etsi facile possit graviter peccare contra alias virtutes et obligationes sui status, concionem, catechesim et cetera pietatis opera omittendo: et ideo omni modo ad ea festis diebus peragenda sit compellendus¹.

296. Rem totam concludens ait Episcopus Bouvier:....

1. Vi præcepti divini aut Ecclesiastici fideles non teneri prædictis diebus interiores actus fidei, spei, charitatis, aut contritionis elicere; quia nullibi legimus tales actus his diebus esse præceptos: nec sacram concionem audire ob eandem rationem;... 2. eos qui diebus dominicis et festis ab operibus servilibus abstinent et Missam debito modo audiunt, cunctis aliis Religionis operibus neglectis, licet reprehensibiles præcepto de sanctificandis præfatis diebus satisfacere quoad sub-

¹ Hinc sicuti non probamus eos, qui in publicis concionibus omnes indiscriminatim fideles sub mortali peccato ad hoc jugiter obstringunt; ita neque eos laudamus, qui absolute eos liberant. Utrumque enim sine discretionem est; primum ob onus, quod justo gravius imponit; secundum ob multorum inscitiam atque infirmitatem, qui ea doctrina abuti possunt. Certæ namque veritates singulæ singulis pro uniuscujusque captu ac necessitate aperiendæ sunt; unde ad rem ait Augustinus, *De dono persever.*, c. xvi: *Utile est, ut taceatur aliquod verum propter incapaces.* Præstat ergo, ut sermo noster nulli offendiculo sit; hoc tamen non impedit, quominus gravioribus verbis generatim insistamus, ut fideles concionibus ac catechesibus intersint; nam in hac re inscitia major est, quam ut creditur: et qui instructus est, præstat ut instruat adhuc: quod quidem libri non ita facile suppleant; magis enim voce, quam lectione movemur. Adde hanc esse divinæ Providentiæ æconomiam; nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Rom. x. — Quod quidem ipsis etiam Ecclesiasticis dictum esse volumus: hinc reprehendendi sunt qui concionis tempore se in Sacramentum recipiunt vel ad Horas persolvendas sine necessitate, vel etiam forsitan ad confabulandum; hoc enim sine eorum detrimento et fidelium scandalo evenire non potest.

stantiam, ita ut mortaliter non peccent. Absolvi ergo et ad Communionem paschalem admitti possunt, si nihil aliud obstat: quamvis fortiter hortandi sunt ad ea præstanda ve fugienda, quæ optimi Christiani præstare et fugere solent, et ad quæ sancta Mater Ecclesia tam sollicitè et constanter incitat;... 3. patere quanti momenti sit distinctio a S. Thoma inducta inter rem præceptam, et finem præcepti sub præcepto non contentum, quam distinctionem plurimi theologi non attendentes in vagam abeunt doctrinam vel rigidiores emittunt sententias.

297. Q. 3. Quid circa observantiam Festorum ex Synodo Novariensi?

R. Hæc præcipue Parochis injunguntur: 1. ut si festum in hebdomada contingat, illud antea annuntient, observantiam urgentes; 2. ut solemnitatibus occurrentibus triduo tantum ante campanæ pulsentur, neque protrahatur sonus ultra primam noctis horam; 3. ut Titularium solemnia proprio celebrentur die, nec quidquam indecorum permittatur. (Tit. de Festis et Sacrif. Missæ.)

Art. II. — De operibus quæ diebus festis vetantur.

298. Q. 1. Quotuplex operum genus quoad Festa distinguitur?

R. Quadruplex operum genus quoad festa distinguitur. Alia sunt *opera corporis*, quæ corpore exercentur, et ordinantur immediate ad ipsam corporis utilitatem, uti suere, fodere, metere, vineas colere, filum digito torquere, et ceteræ artes mechanicæ: hæc porro dicuntur *opera ruralia* vel *servilia*: quia ut plurimum a servis præstari solent. — Alia sunt *opera animæ*, quæ ab anima præsertim procedunt atque ad ejusdem cultum diriguntur, uti docere, legere, scribere, canere: hæc dicuntur *opera liberalia*; quia exerceri solent a liberis, et mente potiusquam corpore: atque primario ordinantur ad ipsum excolendum intellectum. — Alia sunt *opera media*, quæ etiam dicuntur *communia*, quæ a servis simul et a liberis promiscue exercentur, uti venari, iter facere, militare, gladiari et similia. — Alia denique sunt *opera forensia*,

quæ scilicet ad forum judiciale, vel etiam ad mercatum spectant.

299. Q. 2. *Quid dicendum de operibus servilibus in diebus festis?*

R. Opera servilia proprie dicta prohibentur diebus festis, uti constat ex veteri lege et Canonico jure¹. Quod præceptum obligat: 1. integro die festo, id est ab hora duodecima noctis præcedentis usque ad horam item duodecimam noctis sequentis, ut usus universalis se habet; 2. omnes fideles septennio majores et ratione utentes; quia tunc illud humano modo servandi capaces sunt; 3. sub mortali, quia tendit in debitum cultum ex virtute Religionis Deo exhibendum, quæ est res ex genere suo gravis. Nihil vero refert, utrum hæc opera fiant ex lucro, an recreationis causa; an bona, an mala animi intentione; an corporis defatigatione, an ejusdem solatio: nam istæ rerum circumstantiæ non immutant eorumdem operum naturam².

300. Q. 3. *Quid dicendum de operibus liberalibus in diebus festis?*

R. Opera liberalia nulla lege prohibentur diebus festis, et ubique etiam a timoratis exercentur. Quare licebit: — 1. disputare, docere, cujuscumque scientiæ studio operam navare, concionari, advocatos consulere, canere, instrumenta musica pulsare et alia similia, licet omnia fiant ad lucrum captandum; quia intentio operantis non mutat operis naturam

¹ Lev. xxiii; et C. 1. *Omnis* de feriis. Non licet etiam ea facere, quæ levem laborem exigunt, ut rosaria, scapularia, imagines cereas, etc., quia hæc in usu communi inter opera servilia numerantur: et si multum laboretur, potest esse mortale. Item vetitum est die festo libros arte libraria colligare aut consuere, chartas aut telas conglutinare, volucrum retia texere vel caveas conficere, ligna secare, etc.: hoc advertant nonnulli, qui feriali die hisce quandoque vacantes, ea sibi et festo licere putant recreationis causa. Hæc opera, quæ ex se servilia sunt, naturam non mutant ex diversa operantis intentione. — Sunt vero qui excusant ancillas, quæ in familiis occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam sedusa alia necessitate: sed potius dicendum in his operibus majus temporis spatium requiri, ut sit culpa lethalis; cum isti labores leviusculi sint, neque animum valde occupent, neque corpus admodum defatigent. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 272, 282.

² V. Benedictus XIV, *Notificatione* lxxv.

ex Angelico; — 2. scribere et in probabiliori et communissima sententia etiam transcribere; cum utrumque referatur ad mentis instructionem, et praxis probet. Plures admittunt etiam notas musicales efformare, ac libros in bibliotheca ordinare; — 3. delineationes artificum, v. g., architectorum, pictorum, sculptorum, fabrorum, etc., in charta exarare (vulgo *dessiner*); quia in hoc magis quam corpus, mens exercetur. *Sculpere* autem communiter inter servilia amandatur, saltem in æstimatione hominum.

301. *Quid vero pingere?* — Pingere communius docent cum Suarez, Sanchez et Salmanticensibus esse opus servile; hoc enim requirit actionem materialem. Sed satis probabiliter negant Layman, Sa, Palaus, Roncaglia, Anacletus, Holzman: pingere enim probabilius videtur esse actio media et communis, cum tam a servis quam a liberis usurpetur. Vel dicendum potius opus liberale, quatenus tendit ad animum recreandum et magis in eo mens operetur, quam manus¹. Excipiunt tamen tingere pannos, dealbare parietes, colorare asseres, quæ in communi æstimatione inter servilia recensentur. Item excipe laborem notabilem in præparandis coloribus et tabulis dolandis.

302. *Quid de impressione ac compositione?* — Characteres componere plures admittunt, cum sit quædam quasi scriptio ordinata ad mentem instruendam: excipe nisi aliter, ut apud nos, se habeat consuetudo. At vetita est impressio; neque enim immediate concurrat ad instructionem; sed efficit tantum quoddam artefactum corporale: ideo ars prorsus mechanica est.

303. Q. 4. *Quid dicendum de operibus communibus in festis?*

R. Cum Angelico: *Opera etiam corporalia ad spiritualem*

¹ Saltem, ut dicit Roncaglia, non sunt dimittendi sine absolutione qui hanc opinionem ut probabilem sequuntur. Communiter autem admittunt Sporer, Potestas, Mazzota et alii cum Tamburini et Viva, non esse opus servile delineare, retrahere, imagines vel exemplaria acu, ut solent femina; hæc enim, ait Tamburini, magis referuntur ad exercendum ingenium, quam ad operandum. Excusant etiam Azor, Filiucius, Sylvius puellas acu pingentes, ut didiscant, vel ut otium fugiant. Hic videndus etiam usus regionum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 280 et 287.

*Dei cultum non pertinentia in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes: in quantum vero sunt communia servis et liberis, servilia non dicuntur*¹; ideo licita sunt festis diebus. Sed magna quæstio in iis adsignandis: qua in re consulenda est consuetudo legitima, et communis æstimatio. Hinc permittunt ludere, itinerari pedibus, equo, curru vel navi; cum hoc sit commune omnibus, et id negantes pharisaicæ superstitionis arguat Concilium Aurelianense (*Orléans*) tertium nationale, anno 558 celebratum.

304. *Quid (dices) de iis, qui currus vel jumenta ducunt cum onere in festis?* — Alii docent id illicitum esse, cum tantum servis proprium sit: unde iter inceptum tantum permittunt continuari, si sine damno interrumpi non potest. Alii probabilius et absolute permittunt, vel ob publicam utilitatem, vel ob timoris gravis damni, vel ob vigentem nec reprobam consuetudinem. Hoc valet etiam de nautis.

305. *An vero liceat molere in festis,* alii cum Sanchez affirmant, si mola aqua vel vento volvatur: quia cooperatio hominis modica est: imo alii cum Croix satis probabiliter dicunt quod quando cooperatio hominis est modica, non sit illicitum, saltem graviter, etiam cum bestiis molere. At Lambertini id permittit tantum ex necessitate, vel ex legitima inducta consuetudine².

306. *Quid de venatione et piscatione?* Communius et probabilius venatio in festis permissa est sive retibus sive armis agatur, tum ex consuetudine, tum quia non habetur opus servis proprium. Pariter probabilius est licere piscationem ex ipsa consuetudine, si moderato labore fiat; si enim fieret nimia defatigatione, prohibita esset; secus frustra Alexander III olim dispensasset quoad piscationem alecium³.

307. Q. 5. *Quid de operibus forensibus in festis?*

R. Præter opera servilia in jure prohibentur festo die etiam opera forensia. Sunt: 1. *actiones judiciales*, quæ respiciunt causas tam civiles quam criminales, attamen si strepitum requirant: hinc aiunt ordinarie licere emancipare, appellare, dispensare, privatim informare, eligere, excommunicare, etc., cum hæc fiant sine strepitu; 2. *mercatus*, qui fiunt cum stre-

¹ 2, 2, q. 122, a. 4.

² *Notificatione* LXV, §§ 50 et seq. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 277.

³ C. III, *de feriis*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 286.

pitum¹. Horum omnium ratio est, quia multum animum distrahunt a festorum sanctificatione. Ex consuetudine tamen permittuntur nundinæ universales, imo alicubi etiam mercatus hebdomadarii (sed apud nos transferuntur). Quoad mercium vero venditionem, Ecclesia eam prohibuit in publicis tantum officinis ratione scandali: unde, ut usus fert, vendi possunt clausis januis, maxime cum emptores pro tunc indigeant; exclusis semper horis divinorum Officiorum².

308. *NOTA:* nomine *mercatus* in communiore sententia non veniunt locationes, conductiones et similia; quia sic fert sapientum consuetudo, qua decretis tum Pii V, tum S. Rituum Congregationis derogatum fuisse videtur. Hinc multi docent licitos esse contractus omnes, qui fiunt sine instrumento, et sine iudicis auctoritate, eadem ferme ubique consuetudine probante. Imo Viva asserit ex communi cum Palao, quod permittitur conficere testamenta, contractus celebrare, aliosque similes actus facere, qui non requirunt strepitum iudicalem: *Et revera*, concludit Sanctus noster, *ubique inter nos in festis stipulantur instrumenta; quamvis notarii alicubi soleant petere ab Ordinario generalem licentiam quæ ceterum communiter conceditur.*

§ *unicus.* — *De causis ob quas opera servilia permittuntur.*

309. Q. 1. *Quænam causæ opera servilia in festis permittunt?*

R. Ex communi acceptione recensentur: dispensatio, pietas, charitas, necessitas, consuetudo, utilitas ac rei parvitas.

1. *Dispensatio*: hanc possunt elargiri: 1. Pontifex maximus pro tota Ecclesia; 2. Episcopus pro sua Diœcesi, Vicarius capitularis et Prælati Regularium pro suis subditis; est enim jurisdictionis actus³; 3. Parochus, sed non ex suo officio, bene

¹ C. I, 2 et ult., *de feriis*; et Benedictus XIV Constitutione *Ab eo*, 1745. — Schedoni, *Delle influenze morali*, t. II; le Feste.

² Hoc probat Benedictus XIV, *Notificatione* XLIII. — Synodus Novariensis, pag. 65 et 589.

³ Episcopus etiam habet, ut dispenset vel in festis communibus; sed cum hoc discrimine, quod in festis communibus ad dispensationem validam

vero ex consuetudine, quæ quidem solum permittit, ut dispenset ad tempus, et pro casu aliquo peculiari: poterit tamen semper declarare pro omnibus, quando hæc obligatio obtineat necne; cum sit doctor. — Hæc autem notanda ex Synodo Novariensi: 1. ut quisque adeat suum Parochum pro hac facultate obtinenda, neque illam audeant concedere Confessarii; 2. ut Parochus quibus illam concedit, moneat, non eos ideo solutos ab auditione Missæ. Dispensatio item tribuenda est pro ratione necessitatis: unde si necessarius labor spatio aliquot horarum peragi potest, reliqua diei pars Deo sacrata maneat; 3. ut si universa multitudo operatura sit nec ulla instet necessitas, ad Episcopum fiat recursus: urgente tamen necessitate, sufficit dispensatio certo præsumpta¹.

2. *Pietas in Deum*, juxta illud: *Sacerdotes in Templo sabbatum violant, et sine crimine sunt*². Hac ratione permittuntur opera, quæ proxime pertinent ad Dei cultum, v. g., pulsare campanas, crucem circumferre, ornare altaria, hostias coquere, verrere templum, sternere tapeta, tabulata ad festivitatem erigere, etc.; talis est etiam consuetudo. At probabi-

requiratur justa causa: in festis vero Synodalibus seu peculiaribus suæ Diocesis vel absque causa dispensationem valide concedat. Ratio primi est, quia dispensat in lege non sua, ideoque est simplex executor: ratio secundi, quia dispensat in propria lege, ideoque dominus est. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 288; *Homo Apost.*, tr. V, n. 16.

¹ Pag. 67: *Quand il y a évidemment nécessité de travailler, on n'a pas besoin de dispense, à moins que, eu égard à l'esprit du pays, il n'y ait scandale à travailler sans permission.* Gousset, n. 571. Quod quidem scandalum in omni casu cavendum est, quoties laborare permittitur, ut nempe vel secreto et remote fiat, vel de causa moneantur fideles, nisi per se evidenter ipsa appareat.

² Matth. xii. Hic quæri solet: *An liceat laborare in festo ad otium vitandum malitiæ fontem?* Nos iis libentius subscribimus, qui affirmant; sed in solo casu, quo tentatio sit, vel timeatur nimis molesta, ut nequeat alio modo superari, nisi se labori applicando: nam si excusat a labore necessitas corporis, tanto magis necessitas animæ. Verum hic casus nescio an moraliter possit accidere, saltem erit rarissimus; otium enim vinci potest multimodis, oratione, honesto solatio ac lectione librorum. Forsan id locum habere potest in montanis, ubi rustici aliqui rudes soli remanere soleant ad armenta curanda, quos non auderem damnare, si post actas preces, ad otium fugiendum aliquod servile opus non ita corpus defatigans in festis agerent. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 302.

lius non licet agros Ecclesiæ, colere, parietes Ecclesiæ dealbare, ligna, saxa ad ejus ædificationem vehere, etc., nisi adsit necessitas vel magna utilitas ab Episcopo probata; hæc enim non nisi remote ad pietatem in Deum concurrunt.

3. *Charitas*: per charitatem in proximum licet expedire causas pauperum, orphanorum et viduarum: item eorum indigentiam subvenire per opera servilia, vestes, v. g., conficiendo, etc. Licet fodere sepulturam; necessaria facere ad infirmos sublevandos et similia; cum enim charitas sit finis præceptorum, nihil eam debet impedire. Quod tamen de communi necessitate non est intelligendum: alioquin festa corruerent, cum hæc necessitas quotidiana sit: et hoc nobis videtur certo probabilius. Ideo necesse est, ut noscatur talis pauper graviter egens in particulari, vel gravis et certa necessitas alicujus communitatis.

4. *Necessitas* (intellige, si gravis): hæc sive propria sive aliena sive corporis sive animæ excusat a servilibus die festo; nam festa propter homines, non homines propter festa: et aliunde fatentur omnes, legem humanam cum tanto detrimento non obligare. Hinc dicimus non peccare: — 1. eos, qui propter præteritam, vel imminentem pluviam fœnum vertunt et congregant; aut soli exponunt frumenta et alia grana, quæ secus tabem aliquam contrahere possent ex humore non satis exsiccato; — 2. famulos, qui coguntur a domino laborare metu gravis incommodi, v. g., ne dimittantur sine spe faciliter et brevi inveniendi cui serviant. Idem dic de uxoribus et filiis coactis a patre ad laborandum: quod tamen non sit in contemptum Religionis; — 3. pauperes, qui aliter se suosque sustentare non possunt⁴; remoto tamen scandalo (curare nempe debent, ut secreto laborent); —

⁴ Ex hoc capite excusantur etiam. — 1. Rustici illi, qui pondere onusti ad Parciam a montanis non revertuntur, nisi mane diei dominicæ, et illico post vespas iterum ad montana sarcina onusti se conferunt, ne diem perdere cogantur. — 2. Alpini illi, qui in montibus admodum dissitis armenta pascunt, quæ non nisi alterne deserere possunt, ut ideo ad propria redeant festa sanctificaturi. — 3. Pauperculæ illæ matres, quæ tota hebdomada mercede conductæ, non nisi in festis filiorum vestes consuere possunt: his tamen non subito fides adhibenda, cum non semper vera necessitas sit.

4. eos, quorum apera semel incepta interrumpi non possunt absque gravi damno, uti coquentes lateres, calcem, vitrum; bombycibus folia ministrantes, et gas ad illuminationem parantes. Item permittitur equos calceare itinerantium, reficere vomeres eorum, quibus aliter die sequenti cessandum esset a labore, reparare vias et pontes, urgente necessitate; — 5. pistores, qui ex usu recepto panem recentem habere tenentur, nisi velint officinam ab omnibus derelinqui; — 6. sartores, qui conficiunt vestes die tali omnino necessarias, ut funebres vel nuptiales, si ea nequeunt terminare, nisi festo laborent¹. Non excusantur tamen illi, qui post mediam noctem sabbati laborant, ut vestes promissas exhibeant, nisi rationabiliter timeant graves rixas, blasphemias, etc., vel aliud notabile damnum; — 7. tandem eos, qui faciunt pastillos, si tamen opus sit ad publicam abundantiam.

5. *Consuetudo* : Ad rem Gerson : *De operibus servilibus non exercendis diebus dominicis et festivis plus et frequenter determinat consuetudo loci et personarum a Prælati tolerata, quam alia lex scripta*². Hoc modo excusantur : 1. quædam nundinæ publicæ, necnon quidam contractus emptionis-venditionis; 2. quæ ad domus nitorem pertinent, uti cubilia sternere, vasa lavare; 3. quæ respiciunt personæ compositionem, uti barbam tondere, vestes pulvere purgare; 4. licet parare cibos et coquere (quod etiam necessitas urget); item animalia occidere et excoriare, si pridie non possit, vel tempus sit æstivum : item irrigare olera : item uti lectica ab hominibus portata : item colligere fructus etiam non necessarios ad usum diei, ut integriores serventur, et hoc magis ne ab aliis subripiantur vel a pluvia contaminentur : item uvas calcare, si instet opportunum tempus. Ceterum notandum, non unam esse omnium locorum consuetudinem³.

¹ Est graviter increpandus eorum abusus, qui absque necessitate, non tantum in multam noctem quæ festum præcedit, sed ipso festo laborant vacationem in feriam secundam tanto animæ propriæ detrimento, aliorumque scandalo transferentes. Festa frustra non profanantur.

² *Reg. Mor.*, de præc. Decal. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 289.

³ Circa barbam tondendam aliqui dicunt, adesse consuetudinem ubique : alii dubitant. Ceterum probabiliter dicunt alii, universaliter permitti rusti-

6. *Utilitas* : quæ excusat, præsertim si publica, v. g., si agatur de communi lætitia, puta de celebranda Principis victoria, de paranda solemnī pompa pro receptione Episcopi vel Regis; cum hæc sint lætitiæ signa moraliter ad populi pacem necessaria. — Sed utrum excuset etiam utilitas privata, nempe occasio magni lucri acquirendi, negandum, alioquin semper liceret laborare diebus festis, cum quiescendo non parum lucri semper amittatur. Tamen id merito permittunt cum Billuart, Pontas aliisque, si agatur non de mercede diurna et consueta; sed de lucro extraordinario occurrente repente et transitorie, uti est in quibusdam regionibus piscatio lignorum, quæ nisi fiat statis anni diebus, quibus alluvio magna ex improvise contingit, nulla amplius fieret¹.

7. *Rei parvitas* : omnes fatentur hoc præceptum materiæ parvitatē admittere, ac proinde ejusdem violationem ex genere suo mortalem evadere posse venialem defectu materiæ. Pro materia gravi alii ponunt tres horas, sed hoc est nimis laxum; alii unam horam, sed hoc est nimis rigidum; alii communius duas horas (sive continuas sive discontinuas), idque maxime, si labor sit valde servilis, ut fodere terram, cædere lapides, etc. Sunt tamen multi qui ad mortale requirunt aliquid amplius, nempe duas horas cum dimidio : quam sententiā hac nostra ætate communiorem et probabiliorem dicit Croix². Verum si agatur de operibus forensibus, gravitas

cis tonderi in festo : quia hic dies tantum illis, ut tonderi possint, vacat. Et dicunt etiam, posse excusari tonsores, si eis renuentibus tondere diebus festivis, notabilis lucri jactura facienda esset. — *V. Liguori, Homo Ap.*, tr. VI, n. 15.

¹ Hæc sententiā etiam citra consuetudinem est satis, imo forte magis probabilis (cum Cajetano, Sanchez, Sporer, etc.; contra Roncaglia et Suarez), pro iis, qui laboribus se sustentant; cum enim isti communiter raras habeant occasiones talis magni lucri acquirendi, magnum lucrum amittere existimant idem esse ac magnum damnum sustinere. In idem enim revera coincidunt aliquid amittere, et prohiberi acquirere quod amplius acquiri non potest. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 501.

² Si penitens confiteatur laborasse aliquando plus, aliquando minus, interrogetur quoties laboravit judicans laborare in materia gravi; sed opus est, ut eum doceat, laborare per longum tempus etiam occulte, et animositate ac gratis, etiam esse peccatum. — *V. Liguori, Praxis Conf.*, n. 53; *Op. Mor.*, l. III, n. 505; et *Homo Apost.*, tract. VI, n. 25.

materiæ non tam desumitur a quantitate temporis, quam ab operis qualitate; hic enim non attenditur temporis diurnitas, sed actus solemnitas. Hinc versus :

*Legifer excusat, pietas, charitasve, necesse,
Usus et utilitas, exiguusque labor.*

DISPUTATIO TERTIA

DE VITIIS QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR

310. Vitia alia adversantur Religioni *per excessum*, non quod Deus possit cultu nimio adorari, cum dignus sit cultu infinito; sed quod ei cultus exhibeatur vel pravius in se, vel inordinatus in modo: vitia hæc *superstitionis* vocabulo solent indicari. Alia Religioni adversantur *per defectum*, et *irreligiositatis* nomine significantur. Hæc omnia peccata ex genere suo gravissima sunt: cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ, id est Religioni.

CAPUT PRIMUM

DE SUPERSTITIONE¹

311. Q. *Quid de superstitione?*

R. Superstitio definitur a D. Thoma: *Vitium Religioni oppositum secundum excessum... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet*². Hinc superstio spectatur ex parte tum rei, quæ cultu donatur; tum modi, quo cultus ille exercetur.

¹ Sic dicitur vel a gentilibus qui deos suos deprecabantur, ut filios suos sibi *superstites* habeant; vel a verbo *superfluo*, quasi cultus sit superfluus. — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., v° Superstition.

² 2, q. 92, a. 1. — V. Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, l. III, c. xv.

1. Ex parte *rei* triplex est superstitionis species: idololatria, divinatio et vana observantia; vel enim creatura colitur tanquam Deus et loco Dei, et oritur *idololatria*: vel ab ipsa creatura tanquam a Deo petitur rerum occultarum cognitio, et est *divinatio*: vel demum aliquid ab ea imploratur auxilium, et est *vana observantia*. Quæ omnia natura sua mortalia sunt; cum gravem Deo irrogent irreverentiam tribuendo creaturæ quod Deo soli debent.

2. Ex parte *modi* potest cultus ipse vel falsus esse, vel turpis, vel superfluus. *Falsus*, si quid falsi significet, v. g., si quis uteretur cæremoniis Judaicis, quæ Christum venturum significabant. *Turpis*, si quædam contineat Deo injuriosa, v. g., si quis suis in precibus induceret verba inhonesta et contumeliosa. *Superfluus*, si nihil conferat ad verum Dei cultum, uti si quis non vellet Missam audire, vel communionem suscipere, nisi a tali Sacerdote: quæ ultima species, secluse scandalo, ordinarie venialis tantum censetur; quia materia levis est, et potius mera simplicitas, quam positiva irreverentia. Alia vero semper mortales sunt; quia graviter repugnant cultui divino, qui sola veritate inimitur (T).

312. Ex Constitutione *Omnipotens* Gregorii XV malefici et sortilegi cum diabolo pactum facientes, a fideque apostatantes et alios lædentes, sunt denunciandi. Quod item valet de omnibus superstitionis, si operentur cum conscientia peccati: et si hæresis suspicionem tribuant¹. Ex Decreto autem sacre Inquisitionis approbato die 5 aug. 1745 a Benedicto XIV, Sacerdotes Sacrificio ad sortilegia abutentes præter poenas jam statutas contra sacrilegos, perpetuam inhabilitatem incurrunr ad Missam celebrandam: quæ tamen inhabilitas non incurritur, nisi accedente declaratione saltem criminis².

¹ Superstitiones hanc suspicionem tribuunt « cum sunt factæ cum pacto aut invocatione expressa demonis, aut eum adorando, aut certos Psalmos aut preces recitando, quibus videtur in auxilium invocari ille: aut hostiis consecratis; Chrismate, aut Oleo sancto abutendo; aut si illas ex professo docuerint vel docti fuerint, aut si effectum consecutæ sint. » Ita S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 78.

² Ita S. Pœnitentiaria 40 febr. 1785, referente Pavone. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 705.

materiæ non tam desumitur a quantitate temporis, quam ab operis qualitate; hic enim non attenditur temporis diurnitas, sed actus solemnitas. Hinc versus :

*Legifer excusat, pietas, charitasve, necesse,
Usus et utilitas, exiguusque labor.*

DISPUTATIO TERTIA

DE VITIIS QUÆ VIRTUTI RELIGIONIS ADVERSANTUR

310. Vitia alia adversantur Religioni *per excessum*, non quod Deus possit cultu nimio adorari, cum dignus sit cultu infinito; sed quod ei cultus exhibeatur vel pravius in se, vel inordinatus in modo: vitia hæc *superstitionis* vocabulo solent indicari. Alia Religioni adversantur *per defectum*, et *irreligiositatis* nomine significantur. Hæc omnia peccata ex genere suo gravissima sunt: cum opponantur virtuti inter morales præstantissimæ, id est Religioni.

CAPUT PRIMUM

DE SUPERSTITIONE¹

311. Q. *Quid de superstitione?*

R. Superstitio definitur a D. Thoma: *Vitium Religioni oppositum secundum excessum... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet*². Hinc superstio spectatur ex parte tum rei, quæ cultu donatur; tum modi, quo cultus ille exercetur.

¹ Sic dicitur vel a gentilibus qui deos suos deprecabantur, ut filios suos sibi *superstites* habeant; vel a verbo *superfluo*, quasi cultus sit superfluus. — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., v° Superstition.

² 2, q. 92, a. 1. — V. Valsecchi, *Fondamenti della Religione*, l. III, c. xv.

1. Ex parte *rei* triplex est superstitionis species: idololatria, divinatio et vana observantia; vel enim creatura colitur tanquam Deus et loco Dei, et oritur *idololatria*: vel ab ipsa creatura tanquam a Deo petitur rerum occultarum cognitio, et est *divinatio*: vel demum aliquid ab ea imploratur auxilium, et est *vana observantia*. Quæ omnia natura sua mortalia sunt; cum gravem Deo irrogent irreverentiam tribuendo creaturæ quod Deo soli debent.

2. Ex parte *modi* potest cultus ipse vel falsus esse, vel turpis, vel superfluus. *Falsus*, si quid falsi significet, v. g., si quis uteretur cæremoniis Judaicis, quæ Christum venturum significabant. *Turpis*, si quædam contineat Deo injuriosa, v. g., si quis suis in precibus induceret verba inhonesta et contumeliosa. *Superfluus*, si nihil conferat ad verum Dei cultum, uti si quis non vellet Missam audire, vel communionem suscipere, nisi a tali Sacerdote: quæ ultima species, secluse scandalo, ordinarie venialis tantum censetur; quia materia levis est, et potius mera simplicitas, quam positiva irreverentia. Alia vero semper mortales sunt; quia graviter repugnant cultui divino, qui sola veritate inimitur (T).

312. Ex Constitutione *Omnipotens* Gregorii XV malefici et sortilegi cum diabolo pactum facientes, a fideque apostatantes et alios lædentes, sunt denunciandi. Quod item valet de omnibus superstitionis, si operentur cum conscientia peccati: et si hæresis suspicionem tribuant¹. Ex Decreto autem sacre Inquisitionis approbato die 5 aug. 1745 a Benedicto XIV, Sacerdotes Sacrificio ad sortilegia abutentes præter poenas jam statutas contra sacrilegos, perpetuam inhabilitatem incurrunr ad Missam celebrandam: quæ tamen inhabilitas non incurritur, nisi accedente declaratione saltem criminis².

¹ Superstitiones hanc suspicionem tribuunt « cum sunt factæ cum pacto aut invocatione expressa demonis, aut eum adorando, aut certos Psalmos aut preces recitando, quibus videtur in auxilium invocari ille: aut hostiis consecratis; Chrismate, aut Oleo sancto abutendo; aut si illas ex professo docuerint vel docti fuerint, aut si effectum consecutæ sint. » Ita S. Alphonsus, *Homo Apost.*, tract. XIII, n. 78.

² Ita S. Pœnitentiaria 40 febr. 1785, referente Pavone. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. VI, n. 705.

Art. I. — De idololatria et divinatione.

313. Q. 1. Quid est idololatria, quotuplex et quale peccatum?

R. ad 1: Idololatria definiri solet: *Cultus divinus creaturæ exhibitus*, quo nempe creatura tamquam Deus habetur et adoratur¹. Dicta est ab *idolo* simulacro, et *latría* cultu.

R. ad 2: Idololatria triplex est: *Perfecta, imperfecta et simulata*. Perfecta creaturæ defert divinum honorem falso putans, eam esse Deum. Imperfecta defert quidem creaturæ honorem divinum, sed externum vel ex mera animi cupiditate vel ex odio veri Dei, utique sciens illam divinitate carere: hæc omnium est gravissima ob adeo pravam voluntatem. Simulata honorem illum creaturæ exhibet solo metu mortis, uti Christianis quibusdam accidit tempore persecutionum.

R. ad 3: Est idololatria scelus profecto atrocissimum, quod sic ostendit Angelicus: *Sicut enim in terrena Republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat, quam vero Regi:... ita in peccatis quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat, quia quantum est in se, facit alium Deum in mundo*². Unde merito a S. Gregorio Nazianzeno ea vocatur *extremum et primum malorum*³; quod quidem primo hoc Decalogi præcepto prohibetur: *Non habebis deos alienos coram me*.

314. Q. 2. Quid est divinatio?

R. Divinatio (quasi *divina actio*, vel *divina notio*) est *tacita vel expressa dæmonis invocatio ad cognoscendas res futuras vel occultas*. Dicitur *tacita vel expressa*; quia duplici modo ea fieri potest: vel adhibendo ad dæmonis opem implorandam media quædam ex se inutilia et inefficacia, et dicitur ta-

¹ Hæc est *formalis*; datur etiam idololatria *practica*: « Nempè quisquis libidini, vel avaritiæ, vel cuivis alio vitio indulget, hoc ipso a Deo avulsus vitam et vires suas turpissimo idolo impendit: quamobrem S. Paulus avaritiam diserte *simulacrorum servitutem* nominat. Col. iii, v. » Stapf, § 174.

² 2, 2, q. 94, a. 5. — ³ Orat. xxxviii.

*cita*¹: vel illud dæmonis auxilium expresse invocando, et dicitur *expressu*.

Variae sunt divinationis species, quas enumerat et damnat Sixtus V celebri Bulla *Cæli et terræ* anno 1586, et Urbanus VIII anno 1651. En præcipuas: 1. est *pythoismus*, cum nempe dæmon alicujus viri vel foeminae corpus occupans vocesque illinc emittens, futura prænuñtiat aut occulta patefacit; 2. *oraculum*, cum consultus dæmon in simulacris delitescens respondet; 3. *vaticinium*, cum dæmon ad futura et occulta significanda utitur opera pseudo-prophetarum, sicque falsis vel ambiguis suis responsis plebeculam incautam ludificatur; 4. *aruspicium*, cum spirantia immolarum pecudum viscera consulendo futura aperire præsumunt aruspices. Dicitur *augurium*, cum ex avium garritu; *auspicium*, cum ex eorum pastu, volatu et situ futurorum prædictionem enituntur deducere; 5. *necromantia*, quando dæmones per mortuos, vel per revocatos ad vitam sua ferunt eloquia; 6. *chiro-mantia*, cum alicui inspecta manus dexteræ vel sinistrae palma, prædicitur tota ejus vitæ series; 7. *astrologia judiciaria*, qua ex siderum motu quidam putant futura etiam libere *contingentia* vaticinari se posse; 8. *sortilegium*, cum futurorum et occultorum manifestatio a sorte, v. g. taxillorum jactu, deducitur; 9. *præstigium*, cum dæmon apparitionibus oculos perstringit; 10. *physiognomia*, si ex lineamentis vultus; *omen*, si ex aliquo casu; *oniromantia*, si per somnia; *geomantia*, si per figuram in terra; *hydromantia*, si per figuram in aqua; *aeromantia*, si per aerem; tandem *pyromantia*, si ex igne quis divinare præsumat, etc.

Quæ omnia ex genere suo *mortalia* sunt; societas enim cum dæmone est magnus Dei contemptus, cum ei dæmon sit perpetuus hostis. Hinc Apostolus: *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*². Omnes tamen hæc species materialiter tantum inter se distinguuntur; cum unum terminum habeant, et media diversa specialiter in mores non influant. Una excipitur *expressa* dæmonis invocatio quæ in Confessione est aperienda; cum sæpe adjuncta habeat alia peccata, v. g. hæresim, dæmonis adorationem, ac maxime scandalum.

315. Q. 3. Quid de mortuorum apparitionibus?

R. Certum est mortuorum apparitiones esse possibles,

¹ Cum enim talis rerum cognitio a Deo haberi nequeat, qui media inutilia non instituit; neque ab Angelis, qui illis non utuntur, sequitur prædictam occultorum notitiam a dæmone expectari, qui in his se immiscet, ut homines ad cultum sui trahat.

² I Cor. x. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Superstitio.

Deo volente; cum bene possit suscitare qui potuit creare, et plurimas genuina historia enarret: unde dicimus, eas non esse tam facile irrisionibus et contemptu excipiendas, uti quibusdam familiare est. Hinc merito D. Augustinus¹: *Magnæ impudentiæ est negare animas identidem e suis sedibus ad nos emitti; cum tot viri sapientes et Deo pleni id ipsum ratione et experimento comprobent suo.* — Non tamen negandum, quod hisce apparitionibus caute admodum fides sit adhibenda, cum innumerae diffusæ sint hac super re narratiunculæ prorsus fabulosæ vel ad timorem incutiendum, vel etiam ad simplices ipsos decipiendos consarcinatae. Qui horum sunt causa, graviter increpandi, uti sunt illi qui ideo magnos strepitus in domibus agunt vel linteo induti per vias noctu apparent: excipe nisi id fiat ex joco, nec inde grave revera damnum timeatur, habita ratione personarum quæ talia spectant.

316. Q. 4. *Quid de iis, qui somniis fidem habent?*

R. Somnia (imaginariæ nempe apprehensiones, quæ habentur tempore somni) quadrupliciter distinguuntur: 1. naturalia, quæ oriuntur a causis naturalibus, v. g., occupationibus vel temperamento; 2. casualia, quæ oriuntur ex diverso in mente nostra phantasticarum idearum concursu; 3. quæ sunt a Deo, juxta illud: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*²; 4. quæ sunt a dæmone, qui nempe phantasiam commovendo in mente nostra somnia procreat.

His positis dicimus: 1. ex somniis naturalibus superstitionum non est conjicere præsentem corporis valetudinem, vel etiam statum ejusdem futurum; quia inter hæc intercedit vera et naturalis connexio. Esset tamen superstitionum inde conjicere futura, libere contingentia; cum hæc non nisi a libera ac volubili hominis voluntate profisciscantur; 2. ex somniis casualibus est superstitionum futura deducere: quia si casualia, nequeunt esse accommodata ad rem quamlibet

¹ Lib. *De cura pro mortuis*. — V. Vence, *Bible*, Dissert., v. II, Apparition de Samuel à Saül. — Liguori, *Dissert. Theologico-Morali*, Diss. II, n. 19. — Calino, *Quaresimale*, p. III, *Sul purgatorio*.

² Num. XII. — F. Lucius Ferraris, *Bibl.*, etc., vº Somnium.

significandam. At non videretur peccare mortaliter qui ob somnium præcedens omittit vel ponit actionem indifferentem; quia id potius ex quadam animi simplicitate vel nimia timiditate provenire videtur, v. g., si quis omitteret deambulationem, quia somniavit se fore in ea proditorie hoc vel altero die interficiendum; 3. somniis, quæ sunt certo vel probabilius a Deo, tenemur fidem adhibere: cum aliquando ita locuturum se promiserit¹; 4. somniis diabolicis credere est mortale (nisi ignorantia vel simplicitas excuset); cum sit veritatem fundare in mendacio et societatem cum dæmone inire. Hoc sensu dicit Scriptura: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*².

317. *Sed quomodo (dices) somnia poterunt dignosci, et a se invicem discriminari?* En regula: 1. si somnium impellit ad bonum, v. g., ad fugam alicujus peccati, ad actum charitatis, merito a Deo esse censebitur, a quo sunt omnia bona: semper tamen cum magna humilitate et timore; cum diabolus sæpe se transfiguret in Angelum lucis. Aliter erit, si somnium impellit ad malum, vel ad quidpiam imprudens; nam ex operibus dignoscitur vir; 2. pariter si quis post somnium se sentiat alacriorem ad bonum et in proprii officii munera promptiorem, prudenter existimatur somnium esse a Deo. Secus si quis animo perturbatum se sentiat, et minus promptum experiatur; 3. si adhuc quoad somni qualitatem dubium remaneat, præstat somnium habere uti immissum a dæmone; quia Deus cum immittit somnia, simul reddit hominem certum, vel quasi certum quod illa ab ipso Deo sint immissa.

318. Q. 5. *Quid dicendum de chiromantia et astrologia?*

R. ad 1: Multis abhinc sæculis circumvagantur viri atque mulieres, vulgo *bohémians*: gens est vagabunda, socors, rapax, ferox, quæ ab India vel Ægypto per totam Europam sæculo XV disseminata est. Qui impie jactitant, se bonam vel malam cujuscumque fortunam vaticinari ex lineamentorum in fronte, in facie, ac præsertim in manibus inspectione. Hanc dicimus esse veram speciem divinationis, ideoque rem prorsus nefandam; quæ enim proportio mediorum ad finem?

¹ Act. XI, XVII. — ² Lev. XIX. — V. D. Thomas, 2, 2, q. 95, a. 6.

unde graviter peccant qui tam horridam artem exercent, etiam ratione scandalum. Qui autem eosdem adeunt manus iis ostendentes, ut bonam vel malam fortunam suam inde ediscant, peccant mortaliter, si firmam eorum dieteris fidem adhibeant, vel grave scandalum præbeant; venialiter vero, si id ob solam curiositatem vel mera ridendi gratia agant, uti communiter solet contingere¹.

319. R. ad 2 : Astrologia seu scientia astrorum, duplicis est generis : est nempe alia *naturalis*, alia *judiciaria*. Per primam homines ex siderum situ, motu, ortu et occasu vaticinantes prædicunt nonnullos effectus certos, qui nempe ex siderum et planetarum conversionibus, ac cursu necessario consequuntur, uti, v. g., eclipses; nonnullos autem incertos, id est naturales quidem, sed contingentes futuros, uti sunt venti, pluviae, tempestates et similia. Per alteram vero ex iisdem causis vaticinari præsumunt etiam quæ pendent a libera hominum voluntate, v. g., matrimonia, exitia, bella, et paces familiarum et imperiorum, mors principum, etc.

His positis, dicimus : 1. *astrologia naturalis* pro parte, qua prædicat effectus necessarios, non solum licita, sed valde laudabilis est; cum inserviat ad tempora designanda. Pro parte vero, qua prædicat effectus quidem naturales, sed non necessarios, quatenus nempe iis obstare possunt causæ innumeræ item naturales, licita quidem est, sed plerumque vana, quia nos latet quæ vis sideribus insita sit, quæve potestas; 2. *astrologia judiciaria*, si fiat de persona particulari, etsi tantummodo conjecturaliter, graviter illicita est et superstitiosa; quia corpora cœlestia in libera hominum voluntate nihil omnino queunt, cum necessario moveantur. Unde dicitur in Scripturis : *A signis cœli nolite metuere*² : et Sixtus V

¹ V. Bergier, *Dictionnaire*, etc. Append., v° Bohémien. Hic videndus Cenni, *I misteri subappennini*, ovvero *Lo stregone di Monterolo*, romanzo storico. Napoli, 1856. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v° Zingari.

² Jerem. x. — Diximus si fiat de persona particulari; censent enim licitam, si fiat in generali v. g. si pronuntientur bella, seditiones, etc., ex S. Thoma, qui (1 p., q. 115, a. 4) ait : *Plures homines sequuntur passionem, ad quas cooperari possunt corpora cœlestia. Pauci autem sunt qui passionibus resistant : et ita astrologi, ut in pluribus, vera possunt præ-*

anno 1585 eam damnavit; Urbanus vero VIII anno 1631 prohibuit omnes libros ea de re. Hæc autem scientia, si fundatur in astris ut signis, est sola divinatio; si fundatur in astris ut causis, est etiam hæresis, quia per eam tollitur libertas.

Prædictiones tamen quæ quotannis evulgantur per ephemerides (*almanachs*¹), a nemine, uti superstitiosæ habentur; sed ad summum temeritates, mendacia, vanitates, aut potius mentis joci sanè irridendi.

320. Q. 6. *Quid resolvendum de virga divinatoria et sortilegio?*

R. ad 1 : Virga divinatoria (cujus prima mentio facta est, uti aiunt, sæculo XIV) ex corylo est, ac bifurcata. Ea porro, quæ movetur vel non movetur ad merum nutum et intentionem ejus, qui illam manu tenet, utuntur ad inveniendos transpositos agrorum limites, homicidas, etc. Quod quidem diabolicum merito dicunt Continuator Tournely, Le Brun aliique; nam sola intentio nihil pro certo conferre potest ad motum physicum : porro virga movetur juxta mentem ferentis, ita ut si ille metalla quærat, non aquam, virga non moveatur si invenit aquam, et ita vicissim. Non tamen negandum, quod etiam naturaliter poterit evenire, ut aliqua virga moveatur ad unam potius partem, quam ad aliam; sicque aliquando inservire possit ad aquas vel metalla detegenda, vi nempe attractionis, ut patet de magnete; sed caveatur, ne quod naturale est, ad superstitionem referatur.

321. R. ad 2 : Nomine *sortilegii* vulgo intelliguntur omnes diabolicæ operationes; sed specialius intelligitur divinatio, quæ fit usu sortium. Sortes autem aliæ sunt divisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ divinatoriæ.

1. *Sortes divisoriæ*, quæ adhibentur, v. g., ad componendas lites, utraque parte consentiente, licitæ sunt, cum nihil contineant superstitiosi, sed sint veluti quædam species contractus; et probantur etiam in Scripturis : *Contradictiones*

dicare et maxime in communi, non autem in speciali. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 10. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, v° *Astrologia*.

¹ *Almanach* ducitur a verbis arabibus *al articulus*, et *monach* supputare (*calculer*).

comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat¹. Excipe jure positivo electiones ad prælaturas et beneficia ecclesiastica², quæ a Spiritu sancti inspiratione, ut ait S. Thomas, fieri debent : quod currit etiam de litibus circa eadem beneficia.

2. *Sortes consultoriæ*, quibus inquiritur quid in hac vel illa re sit agendum, nisi eæ fiant divina inspiratione (ut contigit in electione Matthiæ), sunt illicitæ prorsus; quia continent tentationem Dei, ac periculum diabolicæ fraudis³.

3. *Sortes divinatoriæ*, quibus inquiritur per taxillorum projectum rei occultæ vel futuræ cognitio, nullo modo sustententur; cum neque ex natura sua, neque rerum ceterarum, neque ex Dei aut Ecclesiæ institutione sortitio hæc ullam vim habeat ad prædictos effectus. Si tamen ad sortem ponendam impellat Deus ipse (quod vix unquam existimari debet), tunc licita erit; sicuti licita fuit Josue, quando ea usus est ad occultum Achan scelus explorandum⁴.

Art. II. — De vana observantia.

322. Q. 1. Quid est vana observantia?

R. Vana observantia in eo consistit, quod quis ad effectum aliquem obtinendum media adhibet vana et inutilia, quæ nempe neque ex natura sua, neque a Deo, neque ab Ecclesia

¹ Prov. xviii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 8.

² C. *Ecclesia*, de sortileg. Sed probabilius censent Salmanticenses, Suarez, Sanchez et Layman, hoc tantum vetari, adeo ut si sors usurpetur, electiones sint illicitæ, sed validæ; cum id nullibi declaretur, si excipiatur electio Prælati cum jurisdictione ex c. *Quia propter de elect.*

³ Act. i. V. *Bible de Vence*, vol. VI, *Dissert.*: Les élections faites par le sort. Hinc illicita est et merito pluribus in Conciliis damnata *Sors Sanctorum*, quæ olim erat in usu, in hoc consistens, ut ad aperitionem alicujus libri sancti, vel ad auditionem lectionis sacræ, ex prima sententia occurrente, cognoscatur occultum; vel quid agendum in tali circumstantia. Quæ sors est ad minus vana (nisi accedente Dei inspiratione); cum nullo nitatur fundamento: et in *Constit. Apostolicis* (l. I, c. vii) habetur prohibita tamquam ad idololatriam conducens. — V. Bergier, *Dictionnaire encyclopédique*, etc.

⁴ Sort. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 6.

⁵ Jos. vii. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Sors.

ad illum effectum ordinata sunt: ita S. Thomas¹. Convenit cum divinatione, eo quod utraque innitatur implorato dæmonis auxilio et pacto inito cum eo. Differt, quia divinatio ordinatur ad cognitionem occultorum, vana autem observantia ad quoscumque obtinendos effectus. — Vana observantia grande peccatum est; tum quia innititur quasi dæmonis pacto (etsi enim non invocetur expresse, æquivalenter invocatur; nam cum rebus vanis se Deus non immisceat, effectus non potest nisi a dæmone expectari); tum quia tribuit honorem divinum creaturæ ab ipsa expectando quod debet attendi a solo Deo. At multoties a mortali excusatur ratione ignorantiae, vel etiam inconsiderationis.

323. Quadruplex est vana observantiæ species: — 1. si observentur inutilia ad aliquid cognoscendum, dicitur *ars notoria*. Sic peccant stultissimi illi, qui elaboratam potionem sumunt, ut illico docti evadant.

2. Si inutilia observentur ad obtinendam sanitatem, tunc dicitur *observatio sanitatum*. Sic peccant qui nomina ignota certasque inanes ceremonias usurpant ad animalia nociva fuganda; vel qui amuleta, involucria vel quid simile ideo collo deferunt: cum enim naturaliter non videantur hæc posse tales effectus causare, non assumuntur tanquam curationum causæ, sed quasi signa, quæ pertinent ad tacita pacta cum dæmone.

3. Si ex consideratione alicujus omnino futis eventus decernatur quid sit futurum, dicitur *observantia eventuum*: esset si quis recusaret cum tredecim in mensa sedere, quasi id mortis sit signum (quamvis hoc plerumque valeat excusari, cum nulla huic rei vera adhibeatur fides; sed quædam simplex sit ac inanis formido). Non vero superstitiosum est observare lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, cædendis arboribus, etc., quia hoc non tribuitur dæmoni, sed naturæ. Esset tamen superstitiosum aliquos dies faustos et aliquos vero infaustos certo habere, ita ut actiones propriæ inde dirigantur.

4. Si observantia versetur circa corpora varie immutanda, aliosque viros vel noxios effectus producendos, dicitur *magia vel maleficium*.

324. Q. 2. Quid est magia, quotuplex et quale peccatum?

R. *Magorum* vocabulo Orientales intelligebant sapientes,

¹ 2, 2, q. 96, a. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 17 et seq. ubi questiones plurimas ad præxim pertinentes evolvit. — Ferraris, *Biblioth. canon.*, etc., v^o Superstitio.

eos præsertim, qui astronomiam colebant. Hinc illud: *Ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolymam*¹. Postea vero *magiæ* nomen translatum est ad significandam artem, quæ docet *facere opera insolita et mira per causas insolitas*. Hæc alia naturalis est, alia superstitiosa.

Magia naturalis est *ars operandi mira per causas naturales, sed occultas*, v. g., per operationes astronomicas, arithmeticas, chemicas, opticas, etc. Hæc licita profecto est; cum nihil mali in se complectatur, oriatur a causis mere naturalibus, imò hominum industriam mirifice juvet: modo tamen, ut notat Bouvier, absit deceptio, scandalum, et omnis spiritus superstitiosus, etiamsi quædam proferantur verba barbara, sine fide, ad illusionem adstantibus faciendam, et risum facilius excitandum. Hæc vulgo appellatur *la magie blanche*.

Magia superstitiosa (vulgo *la magie noire*) est *ars mirabilia producendi opera vires humanas prorsus excedentia ex pacto explicito vel implicito cum diabolo*. Quæ sane mala est et abominosa, divinæ Majestatis læsiva, ac vehementem suspicionem ingerens hæreseos: et hæc ordinarie intelligitur, quando sine alio addito magia nominatur. Quam quidem dari certum est: *Negari non potest*, ait Suarez, *sine errore in fide magos extitisse*. Quis enim ignorat quod de magis Pharaonis legitur in Exodo? quod docet S. Matthæus de Pseudoprophetis, *quia faciunt signa et prodigiâ*? quod tradit Historia sacra de Simone mago, et Historia ecclesiastica de aliis sine numero? Quæ omnia si ex una parte naturaliter explicari nequeunt; ex alia nulla est repugnantia, si fieri credantur ope dæmonis; neque enim repugnat, quod mali spiritus consocietur hominibus. Sane, Deo permittente, nobis die noctuque insidiantur ac circumventum quem devorent².

¹ Matth. ii. — V. Scotti, *Teoremi*, p. II, teor. viii, § 41; et *Catechismo medico*, p. II, c. vii.

² Exod. vii et viii, Matth. xiv. et Act. viii. Maxima quidem est imaginationis vis, ut patet ex noctambulis illis, qui fervidis spiritibus abundantes, musculorumque vi excitati in somnis mira faciunt (V. Soave, *Instituzioni di logica*, etc. Galuppi, *Elementi di Filosofia*). Quæ tamen talia semper

325. Q. 3. Quid de maleficio?

R. Maleficium est *ars nocendi dæmonis cooperatione*. Differt a magia, quod hæc intendat facere *mira*; illud autem dirigatur ad *noxia*. Maleficium aliud est *amatorium* seu *phyltrum*, et est ars diabolica, quæ vehementer ad libidinem excitat erga determinatam personam, quin tamen libertatem tollat. Aliud *veneficum*, et est ipsa præcise ars nocendi alicui variis modis, v. g., morbos suscitando, tempestates producendo, etc. Continet maleficium triplicem malitiam mortalem: contra Religionem, charitatem et justitiam; quia et Deo gravem et proximo irrogat injuriam damnosam. Hinc merito malefici in jure Canonico excommunicantur¹.

326. Quid (quæres) sentiendum de lamiis seu strigibus?

R. Lamiæ dicuntur illæ perditæ mulieres, quæ ope dæmonium hominibus insidiantur, noxia quæque contra ipsos moliendo, omni incantationum ac maleficiorum genere. Non ignoramus hisce temporibus plures esse, qui se præjudiciis vacuos jactantes affirmare non dubitant, inter aniles fabellas esse amandandum quidquid ab hominibus ope dæmonis peractum referatur. Nos vero licet concedamus non omnia, quæ circumferuntur, esse credenda, cum multa naturaliter bene explicantur: absit tamen ut ideo doctrinæ veritatem denegemus; nam error est vitium hominis, non veritatis. Imo D. Thomas, qui omnium non solum Theologorum, sed etiam Philosophorum princeps dici debet, jam scripserat hanc opinionem ortum ducere *ex radice infidelitatis sive incredulitatis; quia non credunt esse dæmones, nisi in æstimatione, vulgi tantum, ut terrores, quos sibi facit homo ex sua æstimatione, imputet dæmoni; et quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in sensu tales, quales homo cogitat, et tunc creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiatur, per quam Angelos de cælo cecidisse, et*

sunt, quæ ipsi vigiles in usu habent, et humanas vires haud superant; sed magia ars versatur circa incognita omnino, occulta, atque dissita, quæque humanum captum et virtutem omnino vincunt.

¹ Decr. II^a pars, caus. xxv, q. 5, cap. ii *Si quis ariolos* — V. Liguori, *Praxis Confess.*, § 7.

*dæmones esse credimus, et ex subtilitate suæ naturæ multa posse, quæ nos non possumus*¹ (U).

327. Q. 4. *Quid de dæmonis possessione et obsessione?*

R. *Possessio* in eo consistit, ut dæmon corpori humano quodam modo uniatur et in illo et per illud extraordinaria operetur. Quod si dæmon in corpore hominis residere non videatur, sed tantum externe operetur illud variis modis vexando, tunc habetur *obsessio*. — Veras dari *possessiones* et *obsessiones* sine errore in fide negari non potest. Constat ex variis Scripturæ locis. Constat ex perpetua traditione, ac Patrum sensu. Hinc et exorcismos habemus, quorum exercitium testatur Tridentinum semper in usu fuisse apud Ecclesiam². Quæ porro ad sensum metaphoricum haut possunt detorqueri. Neque hæc repugnant; attentata enim dæmonum natura, eorum magna virtute, eorumque per aerem præsentia, fieri certe potest, ut corpora hominum intime pervadant³.

Etsi autem et hodie hac de re exempla non desint, frequentiora tamen fuerunt primis Ecclesiæ sæculis; quod quidem fuit, Deo permittente, tum ut ejus gloria manifestaretur, tum ut melius veritas Christianæ Religionis innotesceret, etc. (V).

¹ Suppl. q. 58, a. 2. Imo docent Theologi, opiniones istas esse etiam periculosas in se, et valde injurias Ecclesiæ catholicæ: quippe quæ contra lamias sive striges pœnas indixit gravissimas. — V. Perrone, *De Angelis*: app. de dæmonum cum hominibus commercio. — Concina, *In 5 Dec. præcept.* — Delrio, *Disquisitionum Magicar.*; libri sex. — Tartarotti, *Del congresso notturno delle lamie, etc.*

² I Reg. xvi; Matth. xvii; Marc. xvi; et Concilium Tridentinum, sess. xxv, c. ii. — V. Klee, *Storia de dogmi*, t. I, p. 249.

³ Hac in re clarissimum medicinæ professorem Laur. Martini in suis *Elementis medicinæ forensis*, c. iii, audiant sciolis: Nos Ecclesiæ integram fidem præstamus; iccirco de energumenis non dubitamus. — It. vid. Fornì, *Del mondo degli spiriti e della sua efficacia nell'universo sensibile*. Torino 1851. — Martinet, de Vence, vol. VI, dissertat.: Les obsessions et les possessions du démon. — It. Scotti, *Dissertat. hac de re*. — Nicolas, *Études philosophiques sur le christianisme*, p. III, c. v, § 5. — Cesari, *Lezioni su Mosè*, lez. vi.

COROLLARIUM. — *De Magnetismo, uti vocant, animali, seu Mesmerismo.*

328. Q. *Quid de Magnetismo animali seu Mesmerismo?*

R. Sub fine sæculi decimi octavi (anno 1779) quidam Fridericus Antonius Mesmer medicus Germanicus novos quærens curandi modos librum edidit, in quo contra communes physicorum doctrinas eatenus in Scholis acceptas, tradebat se mirum invenisse remedium variorum morborum *in fluido quodam subtilissimo e cunctis animalium corporibus manante, fluxui magnetis simili*, quem ideo magnetismum animale nuncupavit. Qui fluidus transit e corpore magnetizantis in corpus magnetizati.

Magnetismi duo præcipue exhibentur effectus: 1. status somnambulismi, in quo quis usu sensuum destitutus, videt tamen, audit, loquitur et respondet ad omnia, de quibus interrogatur; 2. mira sui status cognitio et remediorum suo morbo convenientium: nec non, ut aiunt, visio actionum aliorum hominum, etsi longe distantium et similia. Hæc doctrina in Gallia præsertim propagari cœpit, et a suo auctore nomen tulit *Schola Mesmeriana, seu Magnetismus animalis*, dictus etiam simpliciter *Mesmerismus*. Sed a gravissimis deinde medicis et physicæ professoribus refutata, imo et a diversis Academiis expresse damnata tanquam falsa, prorsus insulsa et magis ridiculi ludionis seu histrionis, quam viri medici propria, penitus fere exolevit¹.

Quid tamen? adhuc ætate nostra *Magnetismus* revixit, primo in Gallia, postea vero in Italia et alibi: imo talibus ac tantis methodis a quibusdam medicis exornatus fuit, ut merito inter Moralistas exortum sit dubium, an Religionis puritati et sanctitati adversetur; et habendus sit uti species quædam divinationis, aut vanæ observantiæ, necne? Hæc quæstio gravis est ac difficillima: Theologi ac medici in tres præcipue sententias abierunt, quas breviter referemus cum Gury.

Prima sententia in omni casu rejicit magnetismum veluti opus diabolicum; miri enim illius effectus neque a Deo, neque a natura esse possunt: 1. *non a Deo*; quis dixerit Deum ad hominis etiam impii nutum obtemperare, ita ut, eo requirente, ad res adeo prodigiosas immediate concurrat? 2. *non a natura*; etenim ad effectus

¹ *Magnétisme animal*: « Principe spécial admis hypothétiquement pour expliquer certains phénomènes qu'on suppose avoir leur siège spécial dans le système nerveux et qui se transmet par le seul effet de la volonté ou par le simple contact d'un corps vivant à un autre. » Ita Marchi, *Dizionario tecnico, ecc.*, h. voc. — V. Feller, *Dictionnaire, etc.*, vº Mesmer.

magnetismi producendos requiritur voluntas agentis, imo et patientis, saltem prima vice; nulla autem datur proportio naturalis inter actum mere internum voluntatis et res physicas: physica enim semper agit uno modo, debitis conditionibus positis, et independenter a voluntate humana, ut exemplo fluxus electrici patet; ergo deficiente proportione inter effectum et causam, jam ea causa naturalis censi nequit, et proinde ab infernali virtute effectus repetendus est. Adde: meri effectus magnetismi videntur omnino naturæ nostræ vires superare; non enim intelligitur quomodo magnetizatus licet rudis possit tam multas scientias extemplo sibi comparare, linguas ignotas scire, inspicere intimas magnetizantis cogitationes, proprias et aliorum infirmitates ac congrua remedia, etc., quorum quidem in statu naturali constitutus non amplius recordatur.

Secunda sententia tenet omnes magnetismi effectus a naturæ viribus procedere posse. Ratio, quia inesse possunt humanis corporibus effluvia subtilissima, fluxus magnetis instar, quæ in aliorum corpora et mediantibus organis, in ipsam animam agant; non enim omnes naturæ vires cognoscimus. Nonne effectus similes, qui negari non possunt, in naturali somnambulismo producuntur? somnambuli vident, audiunt et stupenda faciunt, quæ ab ipsis fieri nequeunt in statu vigiliæ. Nec obstat quod requiratur voluntas magnetizati: non enim ipsa requiritur quatenus facultas mere interna animæ et a corpore independentis; sed qua medium ad phantasiam excitandam et corporis subtiles spiritus movendos. Hoc patet exemplo motuum concupiscentiæ, qui sola cogitatione objecti minus casti in organo illico excitantur.

Tertia sententia concedit quidem magnetismum viros quosdam ac naturales effectus naturaliter operari posse; mirifica enim est in variis corporibus virtus et efficacia fluxus naturalis. At multa ex illis, quæ prædicantur, vel inania vel mendaciosa vel diabolica prorsus sunt: *inania*, ut cum magnetismus habetur tanquam mirum inventum ad omnes morbos curandos; quotidiana enim experientia contraria est; *mendaciosa*, ut cum ea quæ latent omnino, magnetizatus divinare prætendit; fraudes enim hac in re intervenire satis hodie notum est, adeo ut magnetismus ad lucrum vel solatium potius, quam ad salutem adhibeatur: denique *diabolica*, ut cum magnetizatus addiscit, si vere addiscit, per scientiam infusam scripturam, litteras, linguas quas penitus ignorat, et cetera similia; hæc enim videntur omnino vires naturæ excedere, nec talia ab ipso somnambulismo efficiuntur.

329. Quid sit, etsi, præclusis abusibus, haud sit illicitus magnetismus, ut pluries declaravit S. Sedes, in praxi negari non potest, quod plerumque sit damnandus, cum fere semper interveniat illusio, deceptio, et quod pejus est pessimum scandalum contra morum

honestatem. Hinc patet etiam quomodo se gerere debeat Confessarius cum iis, qui magnetizant vel magnetizari sinunt. Seclusis abusibus, id toleret. « En disant qu'un confesseur doit tolérer l'usage du magnétisme (ad rem Card. Gousset, n. 425), nous supposons premièrement que le magnétiseur et le magnétisé sont de bonne foi; qu'ils regardent le magnétisme animal comme un remède naturel et utile; secondement, qu'ils ne se permettent rien ni l'un ni l'autre qui puisse blesser la modestie chrétienne, la vertu; troisièmement, qu'ils renoncent à toute intervention de la part du démon. S'il en était autrement, on ne pourrait absoudre ceux qui ont recours au magnétisme. » Sapienter etiam subdit, magnetismi usum a Confessario neque suadendum neque approbandum, præsertim si inter personas diversi sexus exerceatur; agitur enim de re admodum periculosa: quare si potest, videtur potius usus cum prudentia desuadendus. Certissime hanc professionem sine aliorum scandalo, modestiæ læsione, ac maximo sui periculo Ecclesiastici exercere nequeunt: imo nec ita facile, atque innocue possunt experimentis interesse (X).

CAPUT SECUNDUM

DE IRRELIGIOSITATE

330. Irreligiositas est vitium, quod Religionis virtuti adversatur per defectum, quodque tendit ad irreverentiam Deo directe inferendam, vel indirecte in rebus aut personis sacris. Si 1^o modo accipitur irreligiositas, ejus species sunt tentatio Dei, perjurium et blasphemia; si 2^o modo, ejus species sunt sacrilegium et simonia.

Art. I. — De tentatione Dei, blasphemia et sacrilegio.

331. Q. 1. Quid est tentatio Dei, quod duplex et quale peccatum?

R. Tentatio Dei est dictum vel factum, quo quis sine justa causa explorat, num Deus sit potens, sapiens, misericors, vel aliam perfectionem habeat; tentatio enim in genere idem est ac aliquid explorare, vel de eo experimentum sumere¹.

F. D. Thomas, 2, 2, q. 97, a. 1.

Duplex est: una *explicita* sive *formalis*; altera *implicita* sive *interpretativa*.

Tentatio Dei explicita est quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam facit animo eam explorandi: ut si quis dubitans de aliquo fidei articulo petat a Deo miraculum; vel se ex alta turri dejiciat experturus, an Deus sit potens eum a morte servare.

Tentatio vero Dei implicita est quando quis expresse quidem non dubitat de ulla Dei perfectione, neque intendit directe experimentum de illa suscipere; petit tamen vel facit quod ex natura sua non potest alium in finem referri, quam ad explorandam aliquam Dei perfectionem. Et contingit dupliciter: 1. cum quis sine justa causa aut sine divino instinctu negligit media ordinaria, et a solo Deo temerarie expectat effectum extraordinarium, ut si periculoso morbo affectus respuat omnem medicinam, a solo Deo expectans sanitatem; 2. quando quis sponte ipse sua, absque legitima causa se conjicit in tale periculum, ut nequeat liberari sine Dei miraculo, uti si per Quadragesimam extra specialem Dei instinctum, vellet abstinere se ab omni cibo et potu, expectans a Deo extraordinariam vitæ suæ conservationem¹.

Tentatio Dei est peccatum ex se mortale, quia gravem Deo irrogat irreverentiam. Hinc illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*²: quod currit sive tentatio explicita sit, sive implicita. — De explicita tentatione patet; quia experimentum divinæ perfectionis, quod oritur ex dubio explicito, est explicitus Dei ejusdem contemptus, et opponitur etiam fidei ob dubitationem. De implicita vero tentatione ex eo demonstratur, quod petitio etiam implicita, nempe ut Deus contra ordinem suæ Providentiæ operetur absque necessitate, cedit evidenter in gravem ipsius injuriam; nam est agere cum Deo uti curiositatum fautore. Cum tamen nullam dubitationem includat de divinis perfectionibus, ideo non est ei tam inju-

¹ Probabilis tentatio explicita ab implicita non differt specie, sed eam tantum aggravat; nam sive una sive altera semper dicit experimentum, nihilque diversitatis ponitur in natura rei, nisi magis vel minus. — *V. Li-guori, Op. Mor., l. III, n. 32.*

² Matth. iv.

riosa uti explicita. Imo aliquando ob ignorantiam, defectum consensus et periculi parvitatem potest esse tantummodo venialis: sic, v. g., venialiter tantum (saltem in sententia complurium) peccaret qui levi laborans infirmitate negligeret remedia naturalia, et sanitatem a Deo sibi expectaret; iste enim non videtur gravem committere inordinationem, cum non vere petat miraculum curiositatis causa.

332. Q. 2. An liceat petere ab ipso Deo miraculum, vel martyrio ultro se offerre?

R. Ad 1: Docent communiter, licere petere a Deo miraculum, quoties adsit utilitas gravis ad nostram aut aliorum salutem, ad Ecclesiæ bonum, vel ad divinam implendam voluntatem; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium exostulare in tempore opportuno. Peccaret tamen qui absolute peteret vel offerret miraculum ad conversionem hæreticorum aut peccatorum, extra casum particularis inspirationis; cum sufficiant fidei nostræ testimonia ac ordinaria auxilia¹.

R. Ad 2: Cum D. Thoma: si adest legitima causa, v. g., ad vitandas blasphemias, ad procurandam Dei et fidei gloriam, ad eliminandum in proximo periculum incredulitatis, utique licet martyrio se offerre; cum hoc sit opus maximæ charitatis. — Si secus est, non licet; cum nemo sit vitæ suæ dominus, ut eam prodigere possit ad libitum suum: unde graviter peccat quem non excusat bona fides, aut divina inspiratio, uti in Sanctis compluribus contigisse scimus² (Y).

333. Ex dictis colligere est, quid sit sentiendum de probationibus olim usitatis, quæ vulgo dicebantur *judicia Dei*: quando nempe deficiebant testes, varia instituta fuerunt experimenta, quibus subiciebatur accusatus, v. g. ferrum calidum ferebat, super carbones arduentes gradiebatur, etc.: et si nihil ei accidebat mali, ut innocens habebatur. Hoc illicitum dicimus: est enim tum species divinationis, cum nulla

¹ V. D. Thomas, 2, 2, q. 97, a. 1. — Tridentinum decernit, sess. xxv, *Decreto de invocat. et venerat. Reliq. SS.*, nulla esse admittenda nova miracula, nisi ea recognoscante et approbante Ordinario. Vid. Benedictus XIV, *De Canoniz. SS.*, l. II, c. 1.

² 2, 2, q. 144, a. 5. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v¹ Martyrium, Miraculum.

sit proportio mediorem ad finem; tum Dei tentatio, cum sit indiscriminatim ab eo petere miraculum, quo patefaciat veritatem. Hinc merito RR. Pontifices semper damnarunt tales probationes, uti Stephanus V, Coelestinus III, Innocentius III, Honorius III, etc. Sane quando viis naturalibus crimen cognosci nequit, nec aliter suadet specialis Dei instinctus, illud iudicio Dei, secreta cordium scrutantis relinquendum est¹.

334. Q. 3. Quid est blasphemia?

R. Blasphemia solet communiter definiri: *Locutio contumeliosa in Deum*. Dicitur 1: *locutio*, quæ vel est interior et cordis, juxta illud: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*²; vel exterior et oris, ut cum quis contumeliosa verba in Deum profert. Sed quid de illo qui pede conculcat crucifixum nihil proferens, vel in cœlum tanquam in Dei sedem sputum emittit, aut infrendit dentibus? Hæc impropria ad blasphemiam facti reducuntur, improprie tamen; cum proprie factum non veniat nomine locutionis³. — Dicitur 2: *in Deum*, consideratum nempe vel in se, vel in suis Sanctis et creaturis in ordine ad Deum ipsum, quatenus in iis elucet aliqua et specialis divina perfectio, v. g., sanctitas, bonitas, sapientia.

Hinc si quis ex ira contra hominem nominet nomen Dei, vel Sanctos, vel Sacramenta, indignando soli homini, blasphemiam non committit, sed indignam dumtaxat divini Nominis usurpationem. Neque est blasphemia dicere: *Nego Deum, si te non percussero*; qui ita loquitur, vult tantum significare quod certe percutiet. Neque dicere: *Hoc est verum, sicut Deus*; nam non æquiparatur veritas creata increatæ, sed quædam tantum innuit similitudo hyperbolica. Neque dicere: *Corbleu! Morbleu! tu me le payeras!* nam hæc verba

¹ In veteri Testamento, ut *Numer. v, 15*, aliqua investigatio ad delictum dignoscendum in usu erat, sed Deo ipso volente. — V. Bergier, *Dictionnaire*, etc., v^o Preuves superstitieuses. — Muratori, *Antiq. italicarum* diss. xxxviii et xxxix. — Salzano, *Lezioni di diritto*, ecc., vol. IV, lez. ix. — Menochius, *Le stuoze*, ovvero *Trattenimenti eruditi*, part. I.

² Ps. xiii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. II, n. 420.

³ Quod maxime notandum est si agatur de reservatione; nam generatim sola blasphemia propria reservata est, non impropria.

ordinarie non proferuntur in Deum irrisorie, sed tantummodo vane usurpantur ad aliquid firmandum.

Erit e contrario blasphemia dicere: *Male eveniat Ecclesiæ, maledictum Pascha, nego Sacramenta, Deus non est justus*; tunc indignatur Deo, vel ei quod specialiter ad illum ordinatur. Verba vero: *Christe sancte! Sacramentum! Sanguis Christi!* non videntur blasphemix; sed sola vana divini Nominis aut rei sacræ usurpatio, nisi proferantur Deo indignando, vel cum circumstantiis specialibus⁴.

335. Quid (dices) de illis, qui maledicunt vivis vel sibi ipsis? Maledictio est imprecatio mali, quatenus malum est: porro in ira imprecari aliis vel sibi dæmonem, grandinem, fulgura, mortem, etc., non est blasphemia, sed dira imprecatio, de qua habet D. Thomas: *Secundum suum genus est peccatum mortale, et tanto gravius quanto personam cui maledicimus, magis amare et revereri tenentur... Contingit tamen verbum maledictionis prolatum esse peccatum veniale vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu vel ex ludo, aut ex surreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur*⁵.

336. Quid (instabis) si quis maledicat defunctis? Maledicere defunctis non erit blasphemia; cum animus maledicentium ad hoc non feratur, ut iis maledicat, prout sunt creaturæ Dei. Imo plerumque neque mortale est: quia per id eisdem neque

⁴ Tres ultimæ locutiones ex Synodo Novariensi a reservatione exclusæ sunt p. 316. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 421 (blasphemia est a græco *blaptō* nocere, et *phémē* fama).

⁵ 2, 2, q. 76, a. 3. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 151; l. V, n. 85. Utrum diversa, vel unum peccatum committat qui diversa mala optat et increpat inimico, v. g. infamiam, mortem, paupertatem, questio est. Nos dicimus, si ea mala sub una ratione mali apprehendat, nempe ut media ad illius perniciem, satis probabiliter cum Cajetano, Croix, Bonacina, Lugo, Valentia, etc., committit unum tantum peccatum, et satis est confiteri: *Exoptavi grave malum proximo*. Sed si efficaciter optasset in suum inimicum diversa mala inferre, aut optasset specificè et in particulari, ut predicta mala illi accederent, tunc debet omnia illa distincte confiteri; quia illa sunt diversa peccata. Ita Liguori, *Homo Apost.*, tract. III, n. 65; et *Op. Mor.*, l. V, n. 50.

in se, neque ex mente proferentium inferitur gravis injuria: 1. non in se, quia vox *mortui* magis referenda est ad corpus quod moritur, quam ad animam quæ semper vivit: ad summum significat homines vita functos, qui possunt esse tam salvi quam damnati; 2. non ex mente proferentium, quia mortuis maledicentes non intendunt mala adprecari animabus defunctorum; sed potius exprobrare vivos, ad quos quidem maledictiones suas, ad instar injuriæ, solent referre¹.

337. *Quid si quis maledicat toti mundo, vel dæmoni?* Maledicere *toti mundo* est mortale (nisi intelligatur ille mundus, qui virtuti adversatur, ut plerumque intelligunt rudes): in ipso enim totaliter sumpto specialiter elucet Dei bonitas, sapientia ac potentia. Adeo verum est, ut jurare per cælum et terram habeatur ab omnibus uti firmum juramentum. Maledicere vero *diabolo* raro est mortale; quia ipse fere semper solet maledici, uti auctor malorum vel Dei inimicus: quo sensu, abstrahendo ab impatientiæ actu, neque veniale est² (Z).

338. Q. 4. *Quotuplex est blasphemia?*

R. Blasphemia potest considerari: ratione vel intentionis, qua in ipsam erumpitur; vel modi, quo ea committitur; vel verborum, quibus exprimitur; vel objecti, in quod fertur.

1. Ratione *intentionis* alia est *directa*, quæ Deum directe aggreditur ex intentione ipsum inhonorandi, et dicitur *diabolica*. Alia *indirecta*, et est cum quis advertenter quidem profert verba blasphemix; sed absque directa intentione Deum inhonorandi, v. g., si irrisorie et modo detestativo, vel ex ira loquatur contra Sanctos, aut contra cultum Dei satis advertens malum, quod verbis illis significatur.

2. Ratione *modi* blasphemia alia est interna, quæ dicitur etiam *blasphemia cordis*; alia externa, quæ dicitur etiam *blasphemia oris*, vel *operis*. Prima tota in animo consumma-

¹ V. Dissertatio S. Alphonsi, *Op. Mor.*, l. III, n. 150.

² In ira autem usurpare dæmonem sine imprecatione non est per se peccatum; assidua tamen ejus nominatio non decet Christianum, et ratione scandali potest esse grave: hinc improbandi qui ad omne fere verbum dicunt: *Diabole!* maxime si Ecclesiastici. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 131.

tur, quin prodeat exterius. Altera verbis vel factis exterius manifestatur; sicuti enim Deus laudari potest corde, ore et opere; ita corde, ore et opere inhonorari. Attamen si in solis factis consistit blasphemia, *impropria* dici consuevit.

3. Ratione *verborum*, blasphemia alia est simplex, alia hæretica, alia hæreticalis, alia imprecativa, alia dehonestativa. — *Simplex*, seu nuda, est locutio in Deum contumeliosa, quin aliam malitiam includat. *Hæretica* est quæ continet etiam hæresim, quæ nempe vel negat Deo quod fides docet illi convenire, v. g., si quis dicat *Deum non esse justum nec sanctum*; vel eidem attribuit quod Fides inficiatur, v. g., si quis dicat *Deum esse auctorem peccati*. Talis blasphemia est reservata in Bulla *Cænæ*, quando qui eam profert, animo etiam credit. Quod si hæc proferens ore, non credat corde, tunc habetur *hæreticalis* blasphemia. *Imprecativa* est cum quis Deo malum imprecatur, v. g., si dicat: *Pereat Deus!* Tandem *dehonestativa* vera quidem de Deo pronuntiat; sed irreverenter, per contemptum, ex ira et malo animo erga Deum: talem, v. g., protulit blasphemiam Julianus Apostata, cum morti proximus ira in Christum excandescens impie exclamavit: *Vicisti, Galilæe, vicisti!*

4. Ratione *objecti* dividitur blasphemia in eam, quæ fertur immediate vel in Deum vel in Beatam Virginem vel in Sanctos. Quæ divisio ponitur, quia in nonnullis Synodis habentur reservatæ blasphemix contra Deum et Virginem; non quæ fertur contra Sanctos immediate.

339. *An (quæres) omnes blasphemix species differant inter se, ideoque an Confessarius debeat inquirere super earum diversitate?* R. Cum Lessio: Si blasphemia procedat ex desperatione, vel ex odio, aut infidelitate, ut si sit imprecativa, hæretica vel hæreticalis, id aperiendum est; nam tunc blasphemix accedit nova malitia. Quæ sane est ex desperatione, est etiam contra spem; hæretica est etiam contra fidem, hæreticalis contra præceptum fidem exterius profitendi; imprecativa vero contra charitatem Dei. Item aperienda est blasphemia, quæ fuerit directe volita seu dehonestativa, ut cum fit animo faciendi contumeliam Deo; non autem si indirecte solum sit volita, ut cum fit ex ira erga hominem ad

ostendendam animi indignationem, vel ex impatientia absque pravo motu in Deum. Longe enim alterius rationis peccatum est, cum facis aliquid directa intentione, ut legem violes; hoc enim verum legis contemptum includit¹.

Si vero blasphemia fuerit in Sanctos, non autem in Deum, utrum id etiam sit aperiendum, disputant. Alii affirmant probabiliter cum Antoine, Collet, aliisque; quia omnes ultra propriam malitiam continent novam malitiam contra dulum, vel hyperdulum vel latrām: unde qui unico actu blasphemat duodecim apostolos, committit duodecim peccata in hac sententia, quia uniuscujusque apostoli honorem lædit. Sed negandum cum Layman, Viva, Sanchez, etc.; quia singulæ æqualiter adversantur virtuti Religionis: nam illi etiam qui blasphemant in Sanctos, verius non nisi contra latrām peccant, cum omnes istæ blasphemæ suam malitiam desumant ex una relatione ad Deum: unde unica injuria Deo infertur, et ideo sufficit dicere se blasphemasse. Excipe si contumelia in Sanctos cum Christo regnantes proferatur non ut sancti sunt et beati; verum in quantum homines in terris fuerunt, sed qui nunc excellentia sanctitatis fulgent, ut si quis de S. Crispino et Crispiniano dicat fuisse sutores; tunc non est blasphemia in Deum redundans, sed blasphemia contra dulum tantummodo: et quidem ut dicunt venialis, si id non dicatur ex odio vel indignatione; sed ex joco.

Ceteræ tandem blasphemæ certo speciem non mutant, ideo non sunt de necessitate explicandæ in sua qualitate; cum non diversificent.

340. Q. 5. Quale peccatum est blasphemia?

R. Nemo dubitat, quin blasphemia sit ex genere suo mortalis. Hinc in Levitico: *Qui blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur*². *Nihil horribilius blasphemia*, inquit S. Hieronymus, *quæ ponit in excelsum os suum*³. Ipsa ratio clamat, contumeliam quamlibet in Deum esse peccatum ex genere suo mortale. Nec dicas, blasphemiam in Sanctos non irrogare injuriam Deo; respondet Angelicus: *Sicut Deus in Sanctis*

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 152; l. V, n. 47.

² Lev. xxiv. — ³ l. VII, in Is., c. xviii.

*suus laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit; ita et blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat*¹. Venialis tamen esse potest quandoque blasphemia, non quidem ex genere suo, sed ex defectu requisitæ advertentiæ et deliberationis ad mortale: sic qui ira, vel alia animi passione abreptus prorumpit in verba blasphemæ eorum significationem minime advertens, iste non peccat nisi venialiter.

341. Qui consuetudinem blasphemandi habent, tenentur sub gravi operam dare ad illam extirpandam, alioquin toties peccant quoties advertenter id omittunt; quia esset interpretative velle permanere in periculo proximo peccandi, cum pravus habitus vehementer ad suos actus provocet: hinc negligentes non sunt absolvendi. Si vero dent operam, et tamen iterum labantur interdum, poterunt a mortali excusari, eo quod tunc blasphemæ istæ impetu quodam naturali productæ non sint perfecte voluntariæ neque in se neque in causa, utpote retractatæ proposito illo efficaci. At non excusabuntur a veniali; quia adesse semper in blasphemante censetur advertentia aliqua saltem confusa de malitia verborum, quæ profert: neque ira ita ordinarie intellectum obtenebrat, ut nulla omnino remaneat advertentia ad blasphemæ malitiam (AA).

342. In blasphemos animadvertit: 1. jus Canonicum universum, quod quidem præcipit denunciandos, ac contra ipsos procedendum esse². Qua in re hæc notamus quoad simplices blasphemos³, quod olim duæ erant obligationes ex Concilio Lateranensi: una eos increpandi, et hæc abiit in desuetudinem, ejusque in locum successit obligatio correctionis, si fructus speretur, uti docent Sanchez, Palaus, etc. Altera eos denunciandi, et hæc etiam per desuetudinem non videtur amplius obligare, ut dicit Viva. — Qui tamen blasphemiam hæreticam

¹ 2, 2, q. 15, a. 1. — V. Sarnelli, *Opera contro la bestemmia*.

² Ita Julius III, Const. *In multis*. — Lateranense Concilium. — Decretum S. R. Inquisit. Si blasphemia est hæreticalis, per se est tantum judicis ecclesiastici eam cognoscere, ut probant ex c. *Quamvis pactum n. de pactis* in 6. Si non est hæreticalis, eam cognoscere et punire est mixti fori, ut probant Barbosa, aliique.

³ Blasphemia hic dicitur *simplex* per oppositionem ad hæreticam et hæreticalem, si nempe directe fidei articulis non opponatur.

vel hæreticalem proferunt, intra mensem ex Decreto S. R. Inquisitionis¹, sunt denunciandi. Intellige tamen, si id agant serio et advertenter; quia non adest hæc obligatio, si istæ propositiones aut blasphemiam proferantur ex ignorantia; aut lapsu linguæ; aut eo iracundie impetu, ut proferentem ex rationis usu abriperit; aut si proferantur sine pertinacia, quæ semper necessaria est ut denunciandi gravem obligationem inducat, prout docent Salmanticenses cum aliis.

2. Jus episcopale blasphemiam reservationi subjiciendo: Synodus Novariensis reservat blasphemiam in Deum, vel Deiparam Virginem aut Sanctos, quæ a duobus vel a pluribus audita fuerit; et blasphemiam hæreticalem, nemine etiam audiente, prolata. Ubi notandum est discrimen inter blasphemiam simplicem et hæreticalem; hæc enim inducit reservationem Synodalem, etiamsi prolata sit nemine audiente (non loquimur de hæretica utpote Pontifici reservata): illa vero ad reservationem inducendam requirit, ut a duobus vel pluribus audiatur, cujuscumque sexus isti sint et conditionis; etiamsi pueri, si tamen humano modo adsint et doli capaces. — Item reservatur blasphemiam illius, qui jurat per falsos deos; non tamen factum licet execrandum, Dei nempe vel Sanctorum effigiem aut simulacrum conculcantis, vel dilacerantis. Tandem præcipitur, eos esse denunciandos, qui ex habitu, pacatoque animo in blasphemias erumpunt (pag. 24 et 316).

343. Q. 6. Quid est sacrilegium, et quale peccatum²?

R. Sacrilegium est violatio rei sacræ, sive est rei divino cultui dicatæ indigna tractatio. Sic dicitur quasi sacrilegium, seu læsio rei sacræ, nomine rei hic intelligitur etiam persona et locus, seu id omne, quod ad divinum cultum ordinatur. Est autem sacrilegium peccatum ex genere suo lethale, quia ex se gravem Dei injuriam semper involvit; et tanto graviorem, quo majorem sanctitatem obtinet res sacræ³. Nil ergo mirum, si vel in hac vita Dominus gravem sacrilegis poenam inflixerit: sic Nadab et Abiu, qui ignem profanum

¹ Nonnullas tamen exceptiones V. De Virt. Theolog., ubi de hæresi. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 125; et l. IV, n. 251. It. Homo Apost., tract. XIII, n. 77.

² De sacrilego uti est peccatum luxuriæ, vid. De peccatis.

³ Potest tamen aliquando esse leve non solum ex inadvertentia, seu semiplena deliberatione, sed etiam ex parvitate materiæ, ut si leviter percussatur Clericus, si res parva ab Ecclesia surripiatur. Roncaglia. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 32. — Ferraris, Biblioth., vº Sacrilegium.

desuper thuribus imposuerunt, devoravit ignis egressus a Domino: sic Joas rex, qui thesauros templi temere surripiebat, a servis suis necatur: sic Balthasar, qui vasis sacris abutebatur, a Domino corripitur: sic tandem Lysimachus multis commissis in templo sacrilegiis, ante ærarium interficitur¹.

Hic notandum: 1. ad sacrilegium non requiri, ut quis directe intendat res sacras inhonorare, quod hæreticorum est; sed sufficit quævis indigna earum usurpatio, si deliberate fiat, quacumque de causa; 2. ut aliqua actio sit sacrilegium, debet res violari in eo, quo sacra est: unde si quis male loquatur de aliquo, qui votum castitatis habeat, istius detractio non induit naturam sacrilegii formalis: quia iste est sacer Deo quoad corporis munditiem, non quoad famæ integritatem.

344. Q. 7. Quotuplex est sacrilegium?

R. Cum tria sint objectorum genera, quæ Deo sacrari, seu deputari possunt ad Dei cultum, nempe persona, uti Clericus; locus, uti templum; res aliæ, uti vasa sacra, imagines, etc.: hinc triplex distinguitur sacrilegium personale si persona, locale si locus, reale si res violetur sacra Deo. Hæc autem triplex species distincte est in Confessione aperienda; cum alia sit sanctitas loci, alia rei, alia personæ.

1. Personale respicit violationem, sive indignam tractationem personæ sacræ, quatenus est directe contra ejus sanctitatem²; persona porro Deo sacratur vel per sacram Ordinationem, vel per statum religiosum, vel per aliquam ejusdem participationem, quale esset votum simplex castitatis. Quæ violatio præcipue committi potest: a. violentas inferendo manus in Clericum, vel Religiosum: b. ecclesiasticos subjiciendo foro laicali, nisi per Concordata cessaverit hoc privilegium exemptionis et immunitatis; c. luxuriose violando personam Deo per votum castitatis dicatam.

2. Locale respicit violationem loci Deo sacri, quæ multipliciter potest evenire; nempe a. violando Ecclesiæ, vel alte-

¹ Lev. x: II Reg. xii; II Paral. xxvi; Dan. v; Mach. ii.

² D. Thomas, 2, 2, q. 99, a. 3, ad. 3.

rius loci sacri immunitatem, v. g., fores effringendo, evertendo Altaria, bona eripiendo, vel hominem violenter sine permissione ab Ecclesia etiam interdicta et polluta extrahendo; *b.* polluendo Ecclesiam modis in Rituali R. descriptis; *c.* exercendo in Templo actionem profanam, quæ vel natura sua, vel juris præscriptione adversetur loci sanctitati, uti sunt mercatus, publica convivia, ludi histrionum. Aliqua autem moderata deambulatio in Ecclesia, aut privata comestio etiam sine necessitate non videtur grave peccatum, si absit scandalum, clamor et contemptus. Hic pro loco sacro intelligitur quilibet locus ad divina officia, aut ad mortuos tumulandos destinatus a tecto ad solum, etsi interdictus et pollutus.

5. *Reale* est indigna tractatio rei sacræ distinctæ a loco et persona. Res dicitur sacra *vel* quæ sanctitatem producit, ut Sacramentum; *vel* quæ sacrum significat, uti verba Scripturæ; *vel* quæ sacra representat, uti imagines Sanctorum et cærimoniarum sacræ; *vel* quæ est Sanctorum particula, ut Reliquiæ; *vel* quæ ad cultum et Ecclesiæ ornamentum pertinet, uti sunt bona ab Ecclesia jam possessa; *vel* quæ ad ministrorum sustentationem deputata est, intellige cum S. Thoma, quæ talis est natura sua, uti ecclesiasticum Beneficium¹.

Hinc sacrilegium reale est: 1. uti verbis Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria et similia: Tridentinum hanc usurpationem vocat *temeritatem* et *violationem verbi Dei*, et eam per Episcopos puniri jubet²; 2. auferre Reliquias, contradicente domino; 3. ad Sacrificium adhibere vasa sacra, corporalia enormiter immunda, vel permittere ut in pyxide corrumpantur particule, etc.

345. *An (quæres) omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?* Legitur in jure Canonico: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sa-*

¹ 2, 2, q. 99, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 463.

² Sess. iv. « Quoad ejusmodi lusus et facetias circa sacra, præcipue nos Sacerdotes cautos esse oportet. Præ reliquis in hac materia valet, quod aliquis ex SS. Patribus ait: *Nugæ laicorum sunt in ore Sacerdotis blasphemiarum.* » Stapf, § 227. Fragmenta autem librorum, in quibus verba sacra inscribuntur ad profanos usus adhibere sine contemptu, non est sacræ Scripturæ profanatio, nec proinde sacrilegium. Item de Sanctorum imaginibus non benedictis dicendum est.

*cro, sive sacrum de non sacro*¹. Dubium esse potest de furto rei, quæ per accidens in Ecclesia reperiatur, ut si quis alterius crumenam vel horologium subtiliter in Ecclesia surripiat. Alii negant hoc furtum sacrilegium esse, ut Lugo et Lessius; quia nihil Ecclesiæ interest de alterius crumena vel horologio. Alii probabilius affirmant cum Laymano, Elbel, Salmanticensibus et Filliocio cum semper verificetur, quod talis furetur non sacrum de sacro.

346. *An vasa sacra et vestes item sacræ, absque sacrilegio in usum profanum converti queant?* Si res sacra totaliter immulari possit, atque ad communem materiam reduci, v. g., si calicem argenteum igne vel ferro reducamus ad communem massam argenti, utique ad usus profanos converti potest; quia amissione formæ et benedictio amittitur, ac proinde illa res nihil externi retinet, quod indecens appareat. Secus si res non totaliter difformetur: hinc non licet ex veteri casula vestes profanas resarcire; sed illa est comburenda: ita docet S. Thomas². Unde nefas esse dicunt hujusmodi vestes ad usus profanos vendere, v. g., ad cartam conficiendam (nisi omnino transfigurentur), aut oppignorare.

347. Q. 8. *Quænam sunt pœnæ in sacrilegos?*

R. Sacrilegi jure Canonico varie olim puniebantur: nunc excommunicantur; quæ pœna ipso facto (et Pontifici reservata) incurritur tantum a percussoribus Clericorum; a violentibus Ecclesiasticam immunitatem, nempe tributa imponendo, aut Ecclesiæ bona usurpando, alienando, vel alienationem consulendo. Item incurritur ob fractionem simul et spoliationem Ecclesiarum; quare sacrilegus usurpator non incurrit hanc pœnam, nisi violenter vel parietem fodiendo, vel tectum, fenestram, ostium frangendo, aut rumpendo templum ingrediatur et simul aliquid grave furetur³. — Contra Ec-

¹ Can. *Quisquis*, caus. xvii, p. IV, c. xxi. Certum est autem sacrilegium non esse furtum in claustris, vel in Oratorio domus privata; esset vero furtum in Oratoriis xenodochiorum, etsi non benedictis ab Episcopo. Ita Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 39.

² P. 3, a. 5, ad 5. — V. Benedictus XIV, *Notificatione* lxi. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 41.

³ Cap. *Si quis suadente* xvii; cap. *Conquesti* xxii de sent.; Gregorius XIV,

clesiarum aliorumque locorum sacrorum incendiarios excommunicatio probabilis non est reservata; nisi isti fuerint publice et nominatim denunciati¹.

Extra hos casus nulla habetur censura ipso jure sacrilegis adnexa, præter perpetuam inhabilitatem ad Missæ celebrationem contra abutentes Missæ sacrificio ad sortilegia, ex Benedicto XIV (BB).

ALERE FLAMMAM VERITATIS
Art. II. — De simonia.

§ I. — De simoniæ natura et divisione.

348. Q. 1. Quid est simonia?

R. Nomen simoniæ a Simone Mago acceptum est, de quo legitur Actorum 8^o, quod obtulit Apostolis pecuniam ad spirituales potestates emendam, ut scilicet quibuscumque manus imponeret, reciperent Spiritum sanctum: ita S. Thomas². Definitur autem simonia a Theologis: *Voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale vel spirituali adnexum*. Unde tria ad ejus naturam necessaria sunt: 1. ut materia sit spiritualis, vel spirituali adnexa; 2. ut pretium sit temporale; 3. ut intercedat emptio, vel venditio: quæ quidem necesse non est, ut executioni mandetur, sed sufficit ut malitiose tantum intendatur; voluntas enim peccatum facit, ideo dicitur *studiosa voluntas*.

Simonia grave peccatum est; nam graviter prohibetur a jure: tum naturali, quod vetat omnino vendere rem impretiabilem; tum divino juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*³; tum ecclesiastico, ut constat ex toto titulo *de simonia*, in quo ea appellatur *execrabile flagitium, nequitia, pestis*,

Bulla *Cum alias*; Bulla *Cœnæ*; Pius V, Bulla *Admonet nos*; Tridentinum, sess. xxii, cap. xi, de R.

¹ Cap. *Tua nos* xix de sent. excomm. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I, III, n. 44.

² 2, 2, q. 100. — V. Bible de Vence, vol. VI, *Dissertation sur Simon le Magicien*.

³ Matth. x. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I, III, n. 49. — Ferraris, *Bibl.*, etc., v^o *Simonia*,

lethalis morbus, exitiale monstrum; tum civili communi¹. Simonia opponitur Religioni; immo quædam species sacrilegii est, cum sit indigna rei sacræ tractatio: opponitur justitiæ, quia res spirituales æstimantur temporali pretio, cum sint supra omne pretium. Immo et hæresis vocari solet a Canonico jure, non quidem proprie, sed late, vel quia qui illam exercet, primum hæresiarcam novi Testamenti imitatur; vel quia qui eam frequenter committit, hæresis suspicionem afferre solet, et pœnas aliquo modo similes meretur. Merito ergo ait Paschalis Papa: *Simoniacos comparandos esse Judæ proditori, qui Judæis Dei occisoribus Christum vendidit: et omnia crimina ad comparisonem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputari*.

349. Q. 2. Quid significat in simonia illud emendi vel vendendi?

R. Illud *emendi* vel *vendendi* in simonia significat quemcumque contractum onerosum, sive voluntatem alterum obligandi ad dandum: spirituale pro temporali, aut vicissim; tota enim simoniæ malitia sita est in irreverentia, quæ committitur, dum res spirituales instar temporalium æstimantur et contractibus subjiciuntur. Hinc simonia non erit, aliquod temporale gratis alteri tradere pro Beneficio ecclesiastico jam accepto. Neque spirituale cum spirituali permutare, puta Missa cum Rosario; nam res ejusdem ordinis bene invicem æstimantur.

Hinc nihil dari, vel accipi potest pro actibus jurisdictionis spiritualis non solum pertinentibus ad forum conscientie, ut est absolutio a pec-

¹ L. *Si quamquam* 31 Cod. de Epist. et Elect. Inauditum ac recens hujus gravissimi sceleris exemplum exhibent Protestantes, ut refert diar. *La Civ. Catt.*, ser. II, v. II, p. 217: « La direction spirituelle du peuple de Speteshourg-Charton-Marschall a été vendue à l'enchère par les sieurs Smith père et fils. Le commissaire-priseur annoncé que le titulaire octogénaire, pour raison de santé, voulait abandonner la charge d'âmes et la vendre au plus offrant. Les revenus du bénéfice étaient de six cent vingt-quatre livres sterling. La mise à l'enchère fut de cinq mille. Elle augmenta de suite à mesure du zèle divers des ministres prétendants jusqu'à ce que le plus zélé eût acheté la direction spirituelle au prix de cinq mille cinq cent cinquante livres sterling, savoir cent trente-huit mille sept cent cinquante francs. Qu'on dise ensuite que les protestants ne brûlent pas du feu sacré, avides qu'ils sont d'acheter à si haut prix le champ de leurs sueurs apostoliques! »

catis, et sacramentorum administratio; sed etiam ad forum externum, ut est dispensatio in votis, in juramentis, in irregularitate, a bannis, ab impedimentis matrimonii, a jejuniis, a festis, a censuris, etc., cum hujusmodi actus sint spirituales tum ex parte causæ efficientis quæ est ecclesiastica potestas; tum ex parte finis et effectus, cum ordinentur ad salutem animarum. Potest tamen aliquid exigi per modum mulctæ ad causam piam, ut communiter dicunt. Item accipiuntur solutiones in dispensationibus matrimonii, etc., etiam per modum sustentationis onerum pontificatus; item per modum spiritualis commutationis. Et conceditur etiam episcopis in talibus dispensationibus (si habeant quod ea elargiri possint), accipere aliquid in elemosynas distribuendas (modo ipsis vel suis nihil perveniat) per modum pænæ vel commutationis. Non ergo per modum sustentationis; hoc enim vetitum est illis jure canonico¹ et Tridentino².

Attamen ad contrahendum matrimonium aliquid dare puellæ parentibus ut consentiant, etc., non est simoniacum. Audiatur Angelicus: *Dicendum quod matrimonium non est solum Ecclesiæ sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo dare pecuniam pro matrimonio in quantum est naturæ officium, licitum est; in quantum vero est Ecclesiæ sacramentum, est illicitum: et ideo secundum jura (cap. Cum in Ecclesia de simonia) prohibetur, ne pro benedictione nuptiarum aliquid exigatur*³ (tanquam pretium ejus).

350. *Quid (dices) si quid temporale tradatur pro omissione rei spiritualis?* Si ommissio alicujus actus procedat a potestate ecclesiastica seu importet ejus exercitium et fiat ob pretium, erit simonia, uti si audita jam confessione, omittas ob pecuniam absolvere; item si cui pecunia promisisti aliquem non absolvere a censura, etc. Ratio, quia non solum absolvere, sed etiam ligatum detinere vel rejicere est exercitium spiritualis jurisdictionis ecclesiasticæ, adeoque pretio invendibile; hinc enim resultat perseverantia censuræ, retentio peccatorum, etc. *Correctio... est spiritualis actus;... unde simoniam committit qui pecuniam accipit, ut peccatum quod tenetur revelare aut punire, non revelet nec puniat*, ait S. Thomas⁴. Idem dicendum, si ob tuam omissionem culpabilem alter spirituale consequatur; tunc enim ommissio illius

¹ C. Jacobus de Simon.

² Sess. xxiv, c. vi; sess. xxv, c. xviii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 96. — ³In 4, dist. xxv, q. 3, a. 2.

⁴ In 4, dist. xxv, q. 3, a. 2, q. 11.

actus ultimo resolveretur in actum ipsum; esset si quis ideo consequatur Beneficium ecclesiasticum, quia tu pecunia motus cessas contra ipsum prosequi justam accusationem. — Si vero ommissio non sit exercitium jurisdictionis spiritualis, neque intuitu rei spiritualis pretio æstimetur, quamvis sit hæc ommissio actus spiritualis, ut esset ommissio orandi, dandi elemosynam, celebrandi, aliquem ordinandi, item confessionem audiendi in simplici confessario, etc., non erit simonia pro illa dare vel accipere pretium; etsi possit esse turpe lucrum. Ratio quia talis ommissio non est actus potestatis ordinis vel jurisdictionis spiritualis, sed solius arbitrii; cessando enim a tali opere, non exercetur ullus actus spiritualis. Excipe ex supra notatis, si talis ommissio intuitu rei spiritualis pretio æstimaretur: ut si quis, v. g., omittat audire missam pro pretio, quia nempe æstimat illud æquivalere bono spirituali quod haberet, audita missa: *Tunc enim*, ait Suarez, *omissio illa sic vendita mihi videtur simonia, quia dum cessatio lucri spiritualis, pretio æstimatur, ipsum etiam spirituale lucrum pretio æstimatur*¹.

Quid si omittens teneatur ex debito officii ad actum non omittendum? Croix et Suarez adhuc censent non adesse simoniam in eo, qui illum propter pecuniam omittit, uti, v. g., si parochus qui ex officio tenetur missam dicere, subditi confessionem audire, denuntiationes matrimonii agere, et ea propter pretium omittat; nam hæc ommissio non est verus jurisdictionis actus, sed est non usus jurisdictionis, seu simplex actus malæ voluntatis. Verum nos contrarium tenemus cum Salmanticensibus et aliis: nam tunc fit quasi venditio juris quod tertius habet ad illum actum exigendum, et hoc jus spirituale est².

351. Q. 3. *Quid sibi vult vox illa pretio temporali in simonia?*

R. Vox illa *pretio temporali* in re simoniaca indicat munus quodcumque temporale, quod S. Thomas revocat ad *munus a manu*; ad *munus a lingua*; ad *munus ab obsequio*.

1. *Munus a manu* est pecunia, seu bonum quodcumque

¹ De Simonia, c. xxii, n. 18. — ²V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 97.

temporale pretio aestimabile, quod quasi manu tribuitur: sic, v. g., esset munus a manu in me, si darem aliquam rem spiritualem cum pacto, ut alter remittat mihi debitum; vel ut solvat pecuniam licet alias mihi debitam; vel etiam ut mutuam eam suppeditet in futurum; spiritualia enim gratis et sine ullo respectu ad temporalia danda sunt juxta illud Christi: *Gratis accepistis, gratis date*; si secus, simoniacum est.

Item simonia est, si detur alicui Beneficium ecclesiasticum cum pacto, ut subeat aliquod novum onus, licet spirituale, quod prius ipsi ecclesiastico Beneficio adnexum non erat: puta onus docendi, canendi, pluries celebrandi, aut diverso loco ab eo, de quo loquuntur Beneficii tabulae. Ratio est, quia ex jure Canonico omne pactum in Beneficiis ecclesiasticis superadditum uti simoniacum habetur. Imo vel ipsa permutatio spiritualis, quae in aliis rebus spiritualibus permitti potest (sic licita esset pactio: *Nunc applico pro te Missam, ut mane applices pro me, vel dicas tot rosaria*; item si calicem pro calice, reliquias pro reliquiis dones), haec inquam commutatio in re beneficiaria vetita est Canonico jure: unde sine licentia non liceret mihi permutare ecclesiasticum Beneficium quod ego possideo, cum Beneficio ecclesiastico quod alter possidet¹. Attamen si ab Episcopo una cum Capitulo Cathedralis Beneficio ecclesiastico vacanti imponatur novum aliquod onus honestum, v. g., infirmis assistendi, bene sustinetur in jure².

2. *Munus a lingua*: hoc nomine intelliguntur laudes, favores, intercessionem, etc.; quia haec quoque solent in communi hominum sensu temporaliter aestimari. Sic esset munus a lingua in Episcopo, si ecclesiasticum Beneficium alicui conferret, ut ab eo laudibus exornetur ac favoribus afficiatur, vel ne illius odium incurrat; quia laudum comparatio ac vitatio mali quod timetur, est temporale et pretio aestimabile. Vel etiam si dicat: *Non conferam tibi Beneficium, nisi talis me roget*: conferret enim motus favore humano, qui aestima-

¹ Ex c. *Quam pio*, II, caus. 1, q. 2.— Liguori, *Op. Mor.*, I, III, n. 72.

² C. *Significatum* de praeb.— V. L. Ferraris, *Biblioth.*, vº Pactum, a. 2.

bilis est. Secus esset, si simpliciter conferret Beneficium ad preces alterius, sed nullo habito respectu ad favorem humanum acquirendum; tunc enim nulla interveniret venditio rei spiritualis pro temporali.

5. *Munus ab obsequio* est omne, quod pertinet ad servitutes, quae exhibentur ad finem obtinendi quidpiam spirituale: sic munus esset ab obsequio, si Praelatus Beneficium ecclesiasticum famulo, vel famuli filio conferret; ut gratis sibi serviat; vel ut ejus famulandi munus sic compensetur. Pariter Clerici, qui temporaliter inserviunt Episcopo expectantes pro retributione aliquid spirituale, simoniaci sunt: secus si serviant in spiritualibus, v. g., in munere praedicatoris; nam *ecclesiasticis utilitatibus desudantes ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere*¹. Et Apostolus: *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*². Dicunt etiam communissime Salmanticenses cum Cajetano, Laymano, Suarez, Toletto, etc., contra paucos simoniam non esse, si quis inserviat Episcopo primario ad captandam ejus benevolentiam, secundo ad obtinendum Beneficium, ut nempe sic Episcopus factus benevolus gratis ecclesiasticum Beneficium conferat³. Verum hoc valde periculosum est, imo si alius titulus deest, recte supponitur in praxi intentio saltem virtualiter simoniaca.

352. Q. 4. *Quid intelligitur nomine rei spiritualis in simonia, et nomine spirituali adnexum?*

R. *Nomine rei spiritualis* in simonia intelligitur omne,

¹ C. *Eccles.* LVII, c. 12, q. 2.—² I Tim. III.

³ Quo in casu nullum intervenit pactum neque implicitum, aut aequivalens; nullaque intenditur compensatio, neque ulla proprie dicta intentio directe obligandi donantem adest, quod quidem omne damnatum esset ab Innocentio XI sub propositione 43, uti notat et explicat Viva. Nec etiam damnandus de Simonia Episcopus, qui Beneficium confert Clerico in recognitionem gratitudinis ob praestitum obsequium; quia, ut ait Suarez, non dat tanquam determinate debitum. Et quodcumque beneficium licet maneat gratuitum, de se tamen semper natum est ad extinguendam obligationem gratitudinis antea contractam. Hinc in cap. *Tua nos* xxxiv Pontifex de eo qui bona sua offerens Ecclesiae admitti petebat in Canonium, respondit: *Si pure et sine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniacae pravitate.* V. Liguori, *Op. Mor.*, I, III, n. 61.

quod vel ex se, vel ex institutione Dei aut Ecclesiae pertinet ad salutem animae, atque ad ordinem bonorum spiritualium. Alia porro sunt spiritualia *in se ipsis et formaliter*, uti dicunt, v. g., dona Spiritus sancti et gratia sanctificans; alia *causaliter*, quatenus nempe sunt causa donorum spiritualium, v. g., Sacramenta et Sacramentalia, orationes publicæ et private; alia *effective*, quæ a causa spirituali procedunt, ut dispensationes votorum aut censuræ, traditio doctrinæ christianæ, etc.

Per illud vero *spirituali adnexum* in simonia intelligitur quidquid cum re spirituali conjungitur. Temporale autem potest spirituali adjungi: 1. *antede*nter: et est quod ordinatur ad spirituale, uti, v. g., sunt vasa sacra, quæ ordinantur ad Sacramentorum usum, oleum, corona deprecatoria, ædes sacra; 2. *concomitanter*: et est quod intrinsece conjungitur cum re spirituali, quod proinde ab ipsa separari non potest, v. g., labor corporalis, qui necessario insumitur in Missæ celebratione, aut alia re sacra peragenda; 3. *consequenter*: et est cum præsupponitur aliquid spirituale tanquam causa et radix: sic jus percipiendi redditus ecclesiasticos præsupponit officium ecclesiasticum uti sui causam atque radicem.

Porro *per se* licitum est vendere temporale, quod *antede*nter adnexum est spirituali, ut argentum calici; nam illa res semper retinet suum valorem intrinsecum a re spirituali independentem. Hinc in jure Canonico legitur: *Si (Ecclesia) habeat superflua vasa... integra vel aliis locis venerabilibus oblata dentur, vel constata cuilibet alii vendantur*¹: nulla tamen in pretio habita ratione consecrationis. Diximus *per se*; jure enim Ecclesiastico excipitur Beneficiorum ecclesiasticorum commutatio, Chrisma, Oleum benedictum et Cæmeterium, etc.

Quæ vero sunt adnexa spirituali *concomitanter*, nequeunt vendi: secus res spiritualis venderetur; cum sint ab ea inseparabilia, sine quibus neque res ipsa subsistat. Hinc tempus, quod necessario insumitur ad confectionem Sacramenti, non est pretio æstimabile.

¹ C. *Hoc jus* n, § 1, c. x, q. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 49.

Pariter nec ea, quæ *consequuntur* rem spiritualem, vendi possunt; quod enim est adnexum consequenter alicui rei, rem ipsam supponit, et se habet veluti illius accessorium: si ergo principale nequit vendi, neque quod ex illo necessario sequitur. Hinc simonia est vendere jus vivendi de bonis monasterii; cum id sit necessario adnexum consequenter professioni, quæ spiritualis est.

353. *An (quæres) liceat sine simonia dare vestes sacras ad usum, sub aliquo pretio, ut fit cum ordinandis qui sumunt de Cathedrali planetas, dalmaticas, etc.?* — Per se non licet, quia ille usus supponitur sacer. In praxi tamen utique licet, quia non accipitur pro usu sacro, sed in quantum illa paramenta teruntur per usum. Liceret etiam recipere aliquid moderatum, non qua sacrorum pretia, sed qua piæ largitiones, quibus ecclesie ministri ac inservientes sustentantur.

354. Q. 5. *Quomodo dividitur simonia?*

R. Simonia vel consideratur ratione modi, quo committitur: et alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis, alia confidentialis. Vel ratione juris, quo prohibetur: et est juris divini et humani.

1. *Simonia mentalis* est, cum quis dat temporale animo alterum obligandi ad reddendum sibi spirituale, aut e converso, quin tamen ullum exprimat pactum exterius: ideoque includit quidem actionem vere externam, sed exterius non apparet intentio, qua actio illa procedit. Sic simoniæ mentalis reus esset qui Episcopo præstet famulatum ex intentione obtinendi Canonicatum. Non tamen simonia reum dixeris qui ad sacrum aliquid munus vel ecclesiasticum beneficium adspirans, commodorum temporalium etiam rationem habet, ita tamen ut omne indignum mercimonium excludat. Certe vix ullus beneficium aliquid in se susciperet, ex quo sustentari haud posset.

2. *Conventionalis* est, cum extat conventio seu pactum explicitum, v. g., si quis de præstando famulatu conveniret cum Beneficii ecclesiastici patrono addito pacto expresso, ut ad idem Beneficium suo tempore nominetur. Si pactum a neutra parte sit exsecutum, dicitur *pure conventionalis*: si ab una tantum parte, *conventionalis mixta*, quia participat aliquid de reali.

5. *Realis* est cum pactum per reciprocam rei spiritualis et temporalis traditionem executione donatur, v. g., si nominatio ad ecclesiasticum Beneficium in allato exemplo pro famulatu jam præstito contigerit.

4. *Confidentialis* est quæ consistit in Beneficiorum ecclesiasticorum provisione vel renuntiatione, facta videlicet sub certa confidentia, id est expresso vel tacito pacto; quod quidem contingit quatuor sequentibus modis, ut habet *Bulla Romanum* Pii IV, *Bulla Intolerabilis* Pii V, et Tridentinum¹: 1. *Per accessum*, cum nempe quis, v. g., volens procurare ecclesiasticum Beneficium Titio per ætatem vel ob aliud actu incapaci, illud confert Caio vel Caium ad illud præsentat, eligit, vel confirmat; attamen sub hac confidentia, seu pactione, ut nempe idem beneficium Caius dimittat, ut ita ad illud accedere illudque consequi possit Titius, ubi ipse fuerit capax; 2. *per ingressum*, si ecclesiasticum Beneficium collatum, sed nondum possessum quis resignet sub pacto, ut in ipsum Beneficium ingrediatur idem resignans, si alter moriatur aut illud dimittat; 3. *per regressum*, cum neque quis Beneficium ecclesiasticum a se possessum resignat alteri hac pactione intervenientes, ut provisus postea a beneficio regrediatur, illud resignando aut ipsi resignanti aut alteri tempore convenienti; 4. *per pensionem*, quando quis procurat alteri ecclesiasticum Beneficium sub pacto expresso vel tacito², ut hic sibi vel alteri a se designando omnes Beneficii fructus, vel eorum partem tribuat, aut pensionem ex eo persolvat. Sed necesse est, ut accessus, ingressus, regressus et pensio cadant super idem Beneficium, ut habeatur simonia confidentialis; secus simonia erit solum conventionalis aut realis³.

¹ Sess. xv, cap. vii. — V. Garcias, Lessius, Layman, etc.

² Certe tamen nulla esset simonia fundare Beneficium ea conditione, ut fundator aut filius aut nepos eodem primitus instituatur: ex *Benedicto XIV, Notificatione* xcvi.

³ Utrum autem sit simonia resignare alteri sine pacto, sed cum spe, ut ille ex sola gratitudine iterum resignet in tui favorem, vel aliquid solvat de beneficii fructibus, certum est, non esse simoniam de jure divino; quia nulla adest pactio vel commutatio: Utrum vero sit saltem simonia de jure humano, plures affirmant, quia *Bulla* Pii V, dicit simoniam confidentialem esse si quid... etiam simplicis donationis titulo perceperit. Sed plures pro-

5. *Simonia juris divini*, id est de jure divino prohibita, est quæ prohibetur jure divino ob intrinsecam sui malitiam, quando scilicet pro temporali datur res vel in se, vel ex Christi institutionis spiritualis: uti gratia sanctificans, Sacramenta et Ordines sacri.

6. *Simonia juris humani*, quæ nempe de jure tantummodo humano prohibetur, ea dicitur quæ non est intrinsece mala, sed solum mala est, quia ab Ecclesia prohibetur ob reverentiam erga res sacras, vel quia de facili ad simoniam jure divino prohibitam viam sternit. Lex autem habet utique vim efficiendi, ut suum objectum sit materia illius virtutis, ex cujus motivo fertur, uti recte notat Antoine. Sic Communio facta ab homine non jejuno sine causa excusante, est sacrilegium; quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuscumque rei per modum cibi vel potus ante Communionem. Talis est etiam permutatio Beneficiorum ecclesiasticorum inter se, in quibus non habetur nisi prohibitio Ecclesiæ; cum aliunde servetur in illis æqualitas rerum commutando spirituale cum spirituali.

355. Q. 6. *An possit in simonia dari materiæ parvitas?*

R. Si agitur de simonia juris divini, sententia communis est, nullam dari materiæ parvitatem; quia gravis semper est in res sacras irreverentia easdem æstimare instar temporalium, et utpote tales contractibus subijcere. Hinc D. Petrus Simonem Magum criminis hujusmodi reum sic vehe-

bilis negant, cum nullum sit pactum neque expressum neque tacitum; per verba autem allata Pontifex vult quod simonia in foro externo de facili potest præsumi, si probetur postea facta donatio, ut probant Salmanticenses cum Suarez, Lessio, Sanchez, etc. Qui autem resignat beneficium cum intentione obligandi alterum ad iterum resignandum in futurum sed hanc intentionem non manifestat, committit solum simoniam mentalem. Quid si manifestet, sed sine alterius repromissione? Plures contra plures probabiliter tuerentur non esse simoniam confidentialem, quia deest pactio ex utraque parte obligatoria. Neque obstat, ut dicunt, quod in *Bulla* dicatur confidentiam simoniacam esse, etiamsi adsit *sola dimittentis intentio*; aiunt id dici quia, intentione semel manifestata, præsumitur simonia esse in foro externo. Secus tamen dicendum, advertit Croix, si ille resignet, declarans velle, ut solvatur pensio ex fructibus, quia hoc est signanter expressum in *Bulla*. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 85 et 86. — Ferraris, *Biblioth.*, vº Simonia, art. 2.

mentissime increpat: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam domum Dei existimasti pecunia possideri!* quæ verba indicant piaculum valde infandum. Ideo simonia juris divini non potest esse venialis ob materiæ parvitatem, sed tantum ob imperfectionem actus, aut ob ignorantiam.

Si vero sermo sit de simonia juris humani tantummodo, admittenda est materiæ parvitas cum Croix ac Navarro; quia quando nec accipitur nec datur præcise temporale pro pretio rei spiritualis, sed traditio vel acceptio prohibetur dumtaxat ad cavendam simoniæ labem, non fit injuria rei ipsi spiritualis, sed peccatur tantum contra Ecclesiæ præceptum, in quo omnes materiæ parvitatem admittunt¹.

356. Q. 7. *Quot modis committitur simonia juris Divini?*

R. Simonia juris divini committitur præsertim:

1. Dando aliquid temporale tamquam pretium rei spiritualis: ita Simon Magus pecuniam offerebat pro donis Spiritus sancti. Sic esset simonia juris divini aliquid temporale dare vel accipere uti pretium Sacramentorum, Sacramentalium, sacrarum Reliquiarum, vel pro quavis potestate spirituali Ordinis aut jurisdictionis, v. g., pro applicanda Indulgentia, pro divinis officiis recitandis, concione pronuntianda, etc.

2. Dando spirituale principaliter ob temporale, vel contra: esset si Titius avarus donaret ingentem summam Sempronio, qui ad ecclesiasticum Beneficium nominare debet: esto quod videatur liberalis donatio; at considerata qualitate personæ donantis quæ est avaritiæ dedita, ac qualitate rei donatæ quæ apta est ad mentem alterius pervertendam, si postea fere statim Beneficium detur, merito censetur datum ex simoniaca intentione, id est principaliter ob pretium temporale².

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 51.

² Quare merito ab Innocentio XI damnatæ sunt istæ, nn. 45 et 46 propositiones: — 1. *dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut contra;* — 2. *et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

3. Simonia est juris divini promittere, dare vel accipere temporale æstimabile pro collatione, electione, præsentatione, confirmatione ad ecclesiasticum Beneficium; commutatur enim temporale cum spirituali. Item illud permutare cum pensione pure laicali, licet Pontifex ut supremus dispensator, præscindendo a mutatione, possit a Beneficio partem fructuum detrahere. Item vendere jus percipiendi fructus; nam cum tale jus essentialiter detur ob officium spirituale, ab illo nequit dividi (CC).

357. Q. 8. *Quot modis committitur simonia juris humani?*

R. Sequentibus modis committitur simonia juris humani:

1. Beneficia ecclesiastica commutando, in alterius favorem resignando, in iis paciscendo, transigendo vel pensiones licet spirituales reservando sine licentia¹. Ratio horum omnium est periculum, ne fiat intuitu rei temporalis.

2. Aliquid dando vel accipiendo occasione, qua fit examen pro Parocho eligendo ex Tridentino²: quod quidem Concilium prohibuit sive detur et accipiatur ante, sive post examen: et merito id statuit ad amovendum omne humanæ affectionis periculum in examinadoribus. Diximus *occasione, qua fit examen*, seu occasione examinis; nam pro examine ipso aliquid dare vel accipere, ut illud nempe prospere cedat, esset simonia juris divini.

3. Aliquid accipiendo etiam sponte oblatum *occasione collationis Ordinis, vel Litterarum ad Ordinem ipsum, vel etiam primæ tonsuræ*; ex Tridentino³. Verum S. Concilii Congregatio 8 oct. 1678 permisit Episcopis, ut candelam reciperent, et mappam a presbyterandis: imo eadem Congregatio deputata ab Innocentio XI taxavit etiam emolumenta, quæ exiguntur pro dimissoriis et testimonialibus, etc.

4. Vendendo vel emendo officia procuratoris, sacristæ, œconomi, defensoris Ecclesiæ: quod quidem prohibitum est intuitu Religionis⁴.

¹ C. IV, *De sim.*; c. V, *De rer. perm.*; c. VIII, *De trans.*; c. ult., *De part.* — V. Benedictus XIV, *Notificationibus* xciii et xciv.

² Sess. XXIV, c. XVIII, de R. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 112.

³ Sess. XXI, c. I, de Ref. — V. Pavone, *La luce fra le tenebre*, § 164. — Ferraris, v° *Taxa*. — ⁴ C. *Salvator* II, caus. 1, q. 5.

5. Vendendo partem cœmeterii¹: et erit simonia juris divini, si vendatur uti locus sacer. Potest tamen emi jus sepulcri, ut quis in tali loco sepeliatur; quia non venderetur sepultura ne ratione quidem terræ, sed pretium exigeretur ratione oneris alios ibi non sepeliendi. Quod quidem est quid temporale: et probat usus².

6. Vendendo oleum benedictum; vel sacrum Chrisma etiam secundum suam speciem physicam³; usus tamen in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluit, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

7. Exactio pecuniæ pro admissione in Religionem ratione sustentationis, nisi vel lex vel consuetudo vel tenuitas monasterii excuset⁴. Imo loquendo de Sanctimonialibus, cum S. Concilii Congregatio experientia didicerit nullum monasterium reperiri adeo opulentum, quod pluribus incommodis non sit obnoxium, amplexata est S. Caroli decreta, quibus a singulis indiscriminatim Monialibus statuitur tradendam esse dotem. Unde satis est Episcopo, si modum imponat sumptibus fieri solitis occasione ingressus, etc., uti monet Benedictus XIV⁵.

§ II. — De pœnis quibus simonia punitur.

358. Q. 1. *An omnis simoniæ species in jure puniatur?*

R. Certum est 1: nulla pœnæ in jure puniri simoniam *pure mentalem*; quia culpæ mere internæ legibus Ecclesiæ non subjiciuntur, vel certe ab ea non puniuntur. Quapropter eo in casu *sufficit*, ait Gregorius IX, *per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*⁶.

¹ C. xiii et xiv, *De sepult.*

² Idem est, si plus exigatur ad deferendam crucem argenteam pro ferrea; non enim est majoris benedictionis una præ alia; sed hic honor mundanus est, qui potest vendi.

³ C. *Dictum* cv, c. 1, q. 1; et c. xvi, *De simon.*

⁴ C. xviii et xl, *De sim.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 92.

⁵ *De Syn. Diœc.*, l. XI, c. vi; et *Notificatione* xxix.

⁶ C. ult., t. III, l. V, *Decretal.* — V. D. Thomas, 2, 2, q. 400, a. 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 105.

2. Nullam pariter incurri pœnam ob simoniam *pure conventionalem*; nam jura loquuntur de jam actu commissa, et effectu completa. Immo in communiore et probabiliore sententia non incurritur pœna neque ob *conventionalem mixtam*, quando nempe fuit quidem traditum pretium temporale, sed non res spiritualis; nam sine hac actus non est completus. Et hunc esse Curia stylum testantur Navarrus aliique, nempe non judicandi incursas pœnas, nisi ex utraque parte completa simonia.

3. Puniri simoniam tum *realem* in ecclesiasticis Beneficiis, seu completam ex utraque parte, et conferentis Beneficium et dantis pecuniam, quamvis ea occulta sit, et non integre solum pretium conventum, sed tantum pars pretii data sit; tum *confidentialem*, etiamsi non sit ex utraque parte completa: ad hanc enim satis est, si ecclesiasticum Beneficium detur ea conditione, ut dimittenti aut alteri adsignetur, vel fructus illius solvantur, et ea intentione recipiatur; quamvis accipiens promissionem suam nondum implere cœperit. Item pœnæ canonicæ incurruntur etiam per simoniam commissam sive pro ingressu in Religionem, sive pro collatione et susceptione Ordinum¹. Extra hanc materiam nulla censura: hinc in Sacramentorum aut Sacramentalium et similium administratione simoniam committere erit quidem gravissimum peccatum; sed nulla erit pœna positiva².

359. Q. 2. *Quenam pœnæ contra simoniacos in Beneficiis?*

R. Prænotandum per Beneficium in hac materia intelligi tantum Beneficium ecclesiasticum, quocumque nomine appellatur³. Hinc:

1. Non veniunt Officia inquisitoris, vel legati, vel cujuscumque habentis jurisdictionem spirituales ad tempus, ut

¹ An vero pœnæ incurrantur, si simonia sit tantum de jure ecclesiastico, et expresse lex ecclesiastica id non statuatur, alii affirmant; quia jure generale loquuntur. Alii non minus probabiliter negant; quia jura quæ pœnam imponunt, sunt odiosa, ideoque restringenda: et revera de sola simonia juris divini loquitur *Extrav. ii, de simon.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 108. — Ferraris, v^o *Simonia*, art. 5.

² *Extravag. i, Cum detestabile de simon.*; et *Bulla Intolerabilis* Pii V.

³ *Extravag. ii, de sim.*

Vicariatus Episcopi, officium procuratoris rerum Ecclesiæ, etc.; quia Beneficia non sunt, quamvis jure positivo sit prohibitum sub simonia ea vendere, quia sunt officia ecclesiastica.

2. Non veniunt Coadjutoria Beneficia, quæ nihil aliud sunt, quam quædam facultates exercendi officium proprietarii, etsi concedantur cum futura successione, et licet possint esse materiae simoniæ. Neque veniunt Capellaniae non collativæ seu pure laicales, aut pia legata; nam ecclesiastica Beneficia non sunt. Imo nedum incurratur aliqua pœna, absque ullo simoniæ reatu possunt vendi, vel eis conditiones apponi; cum neque officia ecclesiastica sint; quamvis enim habeant onus spirituale adnexum, non tamen referunt ecclesiasticam institutionem: porro ubi verba legis non conveniunt, neque ejus dispositio locum habet; et ita tertio Romæ judicatum fuisse refert Gonzales¹. — Hisce positis, en pœnæ ob simoniam in Beneficiis Ecclesiasticis:

Primo: pœna contra simoniam realem in Ecclesiasticis Beneficiis sunt ex Constitutionibus Pii IV et Pii V: 1. *excommunicatio*, quæ incurritur ipso facto etiam a cooperantibus, et est Pontifici reservata; 2. *nullitas* electionis, præsentationis et canonicæ institutionis, ita ut sic promotus et institutus nequeat fructus Beneficii facere suos; 3. *inhabilitas* perpetua ad idem Beneficium obtinendum².

Secundo: propter simoniam confidentialem sive completam, sive incompletam ultra pœnas impositas adversus realem, ex decreto *Cum primum* S. Pii V, incurritur etiam privatio Beneficiorum omnium antea etiam obtentorum; non tamen probabiliter ante sententiam saltem criminis declaratoriam. Si tamen simonia sit commissa ab ipsis examinatis synodalibus, qui nempe occasione examinis ad Paro-

¹ In Reg. viii, *Cancell.*, glossa 5.

² Dicimus *ad idem*; nam ad alia ecclesiastica Beneficia obtinenda non fit inhabilis, nisi post sententiam, ut probabiliter et communius docent explicantes Bullam Pii V (ubi contrarium videtur innui) de foro externo; cum Bulla revera loquatur *de reis convictis*. Imo si alia Beneficia jam habeat, retinere potest, quia nulla lex expresse hanc pœnam ipso facto decernit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 112.

ciam aliquid recipiant, ipsi privantur ante omnem sententiam Beneficiis jam obtentis ex Tridentino, adeo ut *nequeant a simonia absolvi, nisi dimissis Beneficiis*¹. Beneficium autem ecclesiasticum per confidentiam collatum et acceptum manet Sedi apostolicæ reservatum.

An (quæres) committat simoniam et pœnas incurrat qui obtinet ecclesiasticum Beneficium per fictam pecuniæ promissionem non impletam? Iste reus est peccato simoniæ, quatenus cooperatur ad simoniam collatoris; sed probabiliter ipse per se directe simoniam non committit, etsi graviter peccet; cum (non interveniente voluntate se obligandi ad promissionem) non adsit vera emptio seu studiosa voluntas emendi (quæ ad simoniam requiritur); sed tantum inveniatur studiosa voluntatis fictio. Quoad pœnas vero puto cum Croix eum illas non incurrere, cum desit simonia utrinque completa².

360. Q. 5. Quænam sunt pœnæ adversus simoniacos in Ordine, vel in ingressu Religionis?

R. ad 1: Pœnæ adversus simoniacos in Ordine sunt contra ordinantem; contra mediatore et præsentatores; demum contra ordinatum³. Quod pertinet ad *ordinantem*, ex Constitutione *Sacrum Sixti V*: 1. est ipso jure suspensus tum a collatione Ordinum etiam primæ tonsuræ, tum ab executione pontificalium; 2. est interdictus ab ingressu Ecclesiæ: et si interdictum violaverit, præter irregularitatem suspenditur etiam ab Ecclesiæ regimine, et privatur perceptione fructuum; 3. remanet excommunicatus. Hanc excommunicationem incurrit etiam ipsi *mediatores; præsentatores* vero incurrit præterea suspensionem ad triennium⁴.

Ordinatus autem simoniace præter excommunicationem privatur spe ascendendi ad alios Ordines. Item ab Ordinibus suspenditur, et si illos exercent, privatur omnibus Beneficiis, et fit inhabilis ad alia acquirenda. Lessius aliique docent suspensionem accipiendam tantum quoad Ordines scienter

¹ Sess. xxiv, c. xviii, de R.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 107.

³ Hæ non incurruntur ob collationem primæ tonsuræ

⁴ C. xliii, de sim.

simoniace susceptos, cum nemo debeat puniri sine culpa; tamen Benedictus XIV, Constitutione *Pastor bonus*, tribuit majori Pœnitentiario facultatem cum inscio dispensandi, non quod peccaverit, sed quia illegitima fuit Ordinis susceptio.

R. ad 2 : Propter simoniam pro ingressu in Religionem communitas incurrit suspensionem, et particulares id agere præsumentes excommunicationem papalem. Sed hæc probabiliter tantum incurritur in professione : imo multi dicunt illam in desuetudinem obiisse. Ubi advertendum, quod omnes electiones simoniacæ ad Generalatum, Rectoratum, et quodlibet officium spirituale in Religione sunt irritæ¹.

361. Q. 4. *Quinam absolvere potest a pœnis in simoniacos latis?*

R. Quoad excommunicationem et suspensionem ob collationem Ordinum, vel Beneficiorum, vel ob admissionem in Religionem incursas, solus Papa potest absolvere, si publicæ sint; si occultæ, possunt etiam Episcopi, uti docent communiter, ex capite *Liceat*.

Quoad inhabilitatem, distinguendum est vel agitur de dispensando ad habenda alia, vel idem Beneficium. Si 1, potest Episcopus ex eodem Tridentino² dispensare, modo simonia non sit confidentialis ex Pio V; neque deducta sit ad forum contentiosum, quia tunc adesset notorietas infamiæ. Si 2, adhuc poterit Episcopus dispensare, si simonia sit commissa, beneficiario ignorante : et quidem in illa vacatione, si Beneficium sit simplex et antea renuntietur³; in alia vero vacatione, si Beneficium sit majus, curatum vel dignitas⁴.

362. Q. 5. *An simoniace percepta sint restituenda?*

R. Affirmative generatim loquendo : simoniace accepta restituenda sunt; cum omnis contractus simoniacus sit suapte naturæ nullus. Unde cum communi resolvimus :

1. *Pretium temporale acceptum pro simoniaca collatione Ordinum, ecclesiasticorum Beneficiorum, aut Sacramentorum (si excedit quod poterit a ministro exigere pro sua sustentatione,*

¹ Extrav. I, de sim.

² Sess. xxiv, c. vi, de R. — ³ C. xxvii, de sim.

⁴ C. penult., de elect.

tionem, loquendo de Sacramentis), jure naturæ restituendum est danti, qui est adhuc dominus pretii simoniace soluti, cum dederit ex titulo falso. Hoc tamen intellige ante traditionem rei spiritualis; nam si jam res spiritualis tradita sit, tunc juxta alios pretium adhuc reddendum est danti ob nullitatem contractus; juxta alios dandum est Ecclesiæ, ubi est Beneficium, et hoc in pœnam irreverentiæ irrogatæ Ecclesiæ; juxta alios vero potest etiam dari pauperibus (vel etiam sibi applicari, si vere egens sit). Quæ sententiæ sunt satis probabiles : unde recipiens pretium poterit, prout voluerit, illud reddere uni ex dictis.

2. *Spirituale simoniace acceptum*, si sit Beneficium ecclesiasticum, ipso factum est dimittendum sive crimen sit occultum sive publicum, simul cum fructibus injuste perceptis, a quibus tamen sunt detrahendi fructus correspondentes labori ac functionibus, aliisque bona fide jam consumpti. Fructus debent restitui Ecclesiæ Beneficii, ex D. Thoma, modo commodum non recipiat ex hoc qui simoniam commisit¹. Sed probabile est eos posse etiam dari pauperibus, aut successori in Beneficium : imo potest etiam obtineri compositio a Papa, sicque legitime retineri a possessore². Si vero simoniace acceptæ sint aliæ res spirituales, v. g., Reliquiæ, non debent ipsæ de necessitate restitui, cum id non præcipiat jus Canonicum, et aliunde per se dispensatio spiritualium, etiam mediante pecunia facta, est valida. Adde : plura spiritualia non amplius possunt restitui, ut Sacramenta recepta, Ordines suscepti.

3. *Acceptum pro admissione in Religionem, non restituendum, nisi post sententiam; interim potest retineri pro alimentatione communitatis*³.

¹ 2, q. 100, a. 6.

² S. Pœnitentiaria ex Bulla *Pastor bonus* Benedicti XIV potest dispensare cum occultis simoniace ordinatis; convalidare titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate obtentorum : et partem pretii simoniaci condonare ob delinquentis paupertatem. V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. XIX, n. 148 : de facultatibus sacræ Pœnitentiariæ. — Si simonia sit publica, pro foro externo, recurrendum est ad Dalariam, exprimeudo et causas impetrandi dispensationem (ut esset majus scandalum ex dimissione Beneficii, et paupertas supplicantis), et fructus perceptos. Vid. *Reiffenstuel, Voit.*

³ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 53; *Op. Mor.*, l. III, nn. 114, etc

III. — De causis a simoniæ labe excusantibus.

363. Q. 1. *Quænam sunt causæ a simoniæ labe excusantes?*

R. Etiam si nunquam liceat nec per Pontificis dispensationem aliquid temporale pro spirituali dare vel accipere; fieri tamen potest, ut aliquando temporale quidpiam recipiatur occasione spiritualis, videlicet ex titulis simoniæ prorsus extraneis. Hinc versus:

*Hanc gratis exhibitum, dona et stipendia vitæ;
Hanc usus, labor; hanc et iuxta redemptio tollunt.*

1. Est quando temporali pro spirituali, vel contra datur omnino gratis, et sine ullo sive explicito, sive implicito pacto tam ex una, quam ex altera parte; nam *illud gratanter recipi potest, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum*¹. Excipe quod recipitur occasione examinis ad Parochiam, vel Ordinum collationis.

2. Quando post acceptum spirituale datur aliquid temporale ex sola animi gratitudine tanquam merum donum, quod nullum potuerit vim exercere in animum concedentis rem spiritualem; motivum enim gratitudinis est motivum virtutis, unde simonia non est. Hinc simoniaca non sunt munera a parentibus præstita Parochis aut eorum Vicariis, qui ipsorum filios in fide erudierunt, ad primam Communionem sollicitè pararunt. Excipe semper, si etiam sponte oblata Ecclesia prohibeat accipere, ut contingit ex jam dictis in Ordinum collatione, et Beneficiis parochialis examine.

3. Quando aliquid temporale datur Ecclesiæ Ministris per modum stipendii ad honestam sustentationem pro sacris fun-

¹ C. xxx, de sim. Diximus sine ullo sive explicito sive implicito pacto; ad simoniam enim sufficeret pactum etiam intentum ab una tantum parte, neque ab altera cognitum; imo etiam absolute rejectum, prout contigit in facto Simonis Magi. In dubio an gratis temporale sit tributum, pensanda sunt circumstantiæ temporis, personæ ac doni; si enim, v. g., tribuatur res ingens, a persona tenaci, paulo ante Beneficii collationem merito judicari potest intervenire simoniam.

ctionibus, Missis, funeribus, etc.; nam *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*¹. Et licet Sacerdos, mediante stipendio, se obliget ad celebrandum, non ideo commutat temporale in spirituale; sed in pactum deducit tantummodo justum stipendium a Deo et Ecclesia sibi concessum. Spiritualia enim debent administrari gratis, ita tamen ut non excludatur jus sustentationis.

4. Consuetudo legitima, quæ vim legis obtinet: hinc Benedictus XIV ait, præstationes, quas Canonici ad possessionem admissi solvunt, si antiquas, non facile improbandas, ad majora mala vitanda.

5. Quando temporale datur pro labore extrinseco, qui per accidens tantum jungatur cum re sacra, ita ut etiam sine eo ministerium sacrum sive functio spiritualis adhuc in se possit exerceri; bene enim potest separari, ergo et æstimari². Esset, v. g., cantus in Missa, longum iter susceptum pro Sacro celebrando in dato templo, etc.³.

6. Excusat redemptio ab injusta vexatione; vexatio enim circa jus nostrum est quid temporale, quod inde temporaliter redimi potest.

364. *An (quæres) pænæ ob Beneficia simoniace accepta constitutæ incurrantur ab ignorantibus?* Si ignorantia sit inculpabilis non incurruntur; nam *sine culpa, nisi causa subsit, non est aliquis puniendus*⁴. Hoc tamen intelligendum est tantum quoad censuras, ad quas incurrendas requiritur scientia: unde qui scit se simoniam committere, sed ignorat invincibiliter censuras adnexas, eas adhuc non incurreret.

¹ I Cor. ix.

² Aliter dicendum, si ageretur de labore ipsi rei sacræ intrinseco, sine quo ministerium spirituale exerceri non posset, uti esset vocabulorum pronuntiatio in Sacramentorum confectione et collatione; quia labor iste non distinguitur ab ipsa re. — V. Ferraris, vº Simonia, art. 4.

³ Benedictus XIV, De Syn. Dioc., l. XI, c. vi.

⁴ Cap. xxiii, De Reg. juris, in 6. Dictum est *si ignorantia sit omnino inculpabilis*; neque enim talis esset ignorantia illius Ecclesiastici, qui incidit in varias simonias, et graviter correptus, se ipsum excusat dicendo se talia peccata ignorasse: hic ex illorum est qui legere recusant, ne bene agant; quæ enim sunt propriæ conditionis, saltem quoad magis obvia, inculpabiliter sane non ignorantur.

Sed semper incurreret ceteras pœnas, non obstante inculpabili ignorantia, ut si, v. g., simonia patrata fuerit a quodam tertio, provisio Beneficii semper erit nulla, neque potest retineri fructus ab illo perceptos¹. Excipe 1. si beneficiatus sciens contradixerit, et postea simoniam ignorando acceptaverit Beneficium; 2. si tertius commiserit simoniam ad hoc, ut illum redderet inhabilem ad Beneficium; 3. si pacifice tres annos in Beneficii possessione fuisset, uti communiter docent cum S. Thoma. Nec obstat regula Cancellariæ, ubi requiritur absolute, ut Beneficium obtineatur *sine ingressu simoniaci*; nam intelligitur de eo, qui culpabiliter ingreditur (DD).

365. Q. 2. *An excusetur a simonia qui ad rem spiritualem sibi comparandam dicit: Ego ero tibi gratus; gratias reales referam?*

R. Illæ formulæ dicendæ erunt labe simoniæ infectæ: 1. si per eas formulas exprimitur intentio sese obligandi ad temporale pro spirituali erga alium, vel obligandi alium sibi ad spirituale pro temporali; 2. si promittatur, accipiatur, aut detur temporale tanquam proportionata compensatio pro spirituali: non vero in signum puræ gratitudinis; 3. si promittatur, aut detur spirituale pro temporali aut vicissim, non quidem ut pretium, sed ut motivum principale dandi temporale, aut vicissim. In hæc quippe casibus semper adest æstimatio inter temporale et inter spirituale.

366. *An (quæres) sit peccatum simoniæ temporale aliquid accipere pro tradenda Doctrina sacra? Vel instructio illa natura sua tendit tantummodo ad spirituale aliorum utilitatem, v. g., Catechesis, Verbi Dei prædicatio et similia; vel tendit etiam in aliquod eorum bonum temporale, v. g., ad oblectationem et honorem, uti est instructio ad interpretandas Scripturas sacras, ad enodandas Theologiæ controversias, etc. Si 1, utique simonia est accipere pro ea aliquid temporale, nisi ratione sustentationis; cum sit res mere spiritualis, et labor omnino intrinsicus. Si 2, non erit simonia; qui docet scientiam, potest stipendium accipere quasi operas suas locans². Nec refert quod supernaturalis sit; nam per se non ordinatur ad salutem animæ, sed ad illustrandum intellectum, ut aliæ scientiæ naturales.*

367. Q. 5. *An excuset a simonia redemptio ab injusta vexatione?*

¹ Cap. xxxiii. de sim. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 111 et 112.

² S. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 95.

R. Ut res bene percipiatur, duæ hic præmittendæ sunt hypotheses. Potest injuste aliquis vexari, vel in ipso jure spirituali jam acquisito; vel in tali jure nondum acquisito, sed certe acquirendo. Item potest vexari injuste tam ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, quam ab iis, qui nullo modo jus illud possunt elargiri. — His positis: qui injuste vexatur, vexatur vel in jure acquisito, vel in jure acquirendo.

Si 1, non est simonia pretio temporali redimere injustam vexationem a quocumque tandem proveniat: ita Angelicus¹. Sic, v. g., si Princeps infidelis Parochum impediatur a Sacramentorum administratione, et a spirituali Parœciæ suæ regimine, posset profecto eidem tradere pecuniam, ut ab hujusmodi vexatione se velit abstinere: non enim daret temporale pro jure spirituali; sed daret temporale pro tollendo nefario illo impedimento, quod censetur aliquid temporale².

Si 2, tunc si injusta vexatio in jure acquirendo venit ab iis, qui nequeunt jus illud concedere, fas est eam pretio redimere, quia pretium datur pro re temporali: sic, v. g., si quis per diffamationem patronum impediatur, ne te eligat ad Beneficium, poteris utique diffamatori dare pecuniam, ut ab illa cesset diffamatio; quia in hoc casu non redimeres, nisi famam, et tolleres vim ac fraudem, quibus sublatis, patronus adhuc suo in arbitrio plenissime remanet te ad Beneficium eligendi, vel non eligendi. — Hinc cum delatus fuisset Benedicto XIV casus, quo nempe quidam Sacerdos ingentem summam cuidam laico eam postulanti dedit, cum alioquin potens ut erat, falsa crimina ei esset affixurus, ne ad Canonicatum eligeretur; respondit Pontifex, si forte indigeret talis provisio convalidatione, se eam convalidare: unde apparet, quod

¹ 2, 2, q. 100, a. 5. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. IV, n. 49; *Op. Mor.*, l. III.

² Diximus 1. pretio temporali; si enim daretur spirituale, esset simonia, nam pretio spirituali redimeretur vexatio temporalis; — 2. *injustam vexationem*; si enim vexatio justa sit, v. g., si quis accusetur de vero crimine, ob quod Beneficium debeat amittere, vel jura spiritualia amplius nequeat exercere, simoniacum esset pretio redimere vexationem hanc; quia tale jus non est firmum, ideoque tollendo vexationem justam pretio emitur jus firmum, quod quidem est spirituale.

Papa non habuit ut certo invalidam illam provisionem, sed voluit sic agere ad securitatem; quia sic fuerat postulatus.

Si tamen injusta vexatio in jure acquirendo provenit ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, tunc simonia erit temporale aliquid iisdem elargiri eo fine, ut cessent a vexatione; quia in hoc casu vere et proprie daretur temporale pro spirituali¹. Ponamus Titum Beneficii patronum mihi injuste denegare votum: si pecuniam eidem trado, ne votum denegaret traderem temporale pro spirituali; cur enim trado? ut is desistat a voto mihi denegando; atqui hoc idem est ac votum illud pecunia emere; nam injusta negatio voti non tollitur, nisi voti ejusdem concessione, ergo si pecuniam trado pro tollenda voti negatione, idem est ac si illud directe emam.

368. Est tandem commune cum Alberto Magno, D. Bonaventura, Cajetano, Gersono, Lessio, Sporer, Suarez, Vasquez aliisque, licere absque ullo simoniae reatu in necessitate pecuniam dare Sacerdoti sine illa nolenti administrare Sacramenta, ad quæ quidem petens habet jus; quia hoc est injustam vexationem redimere, nempe removere impedimentum pravæ voluntatis, vel potius permittere alterius peccatum justa de causa. Neque tunc pretium daretur pro ipsa collatione spirituali: ita licet in necessitate mutuum petere ab usurario; quia tunc malum non provenit ex actione nostra, sed ex alterius malitia.

369. An (quæres) sit simonia dare pecuniam competitori, ut desistat a concursu ad beneficium quod tu præterdis? Aliqui negant cum Elbel; quia hæc abstinentia ex una parte nequit dici quid spirituale; ex alia competitor nil positive confert ad beneficium collationem, sed tantum negative se gerit. Verum huic opinioni non assentior, et recte docet Croix cum Diana et aliis communiter non esse admittendum; quia ex D. Thoma tunc dumtaxat licet per pecuniam versationem removere, cum versatio est injusta; alias per pecuniam directe pareretur via ad beneficium, quod omnino illicitum est.

¹ C. Matthæus, *De sim.* Aliter esset si ageretur de actu possessionis ecclesiastici Beneficii jam collati: tunc probabilius liceret hanc vexationem pecunia redimere; quia possessio est temporalis, cum in solo facto sita sit. Pariter simonia non esset pecuniam tribuere electoribus, ut desistant ab electione indigni; quia Ecclesia habet jus acquisitum in digno: unde daretur pro desistendo a malo. Sicut liceret dare pro eligendo digno, vel digniori in genere; nam daretur ne mala electio fiat, si vero determinaretur persona, simonia esset; nam directe esset pro illius electione pecuniam tribuere. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 403.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM QUINTUM

(A) Page 144.

370. An (quæres) omnes virtutes ita sint inter se connexæ, ut qui unam habet, et alias virtutes debeat necessario possidere? — R. Cum Billuart: certum est 1. omnes virtutes Theologicas non esse inter se connexas: amissa enim charitate per peccatum, possunt remanere fides et spes: 2. neque omnes virtutes intellectuales inter se connexas esse; neque enim qui habet unam scientiam, ideo habet et ceteras.

Quæstio est de virtutibus moralibus: contra Scotistas commune est cum Angelico (1, 2, q. 65, 1), omnes virtutes morales perfectas, etiam acquisitas, ita inter se connexas esse, ut qui una caret, nullam perfecte habeat, non quidem hoc sensu, quod debeant actu omnes virtutes exerceri; sed quod adesse debeat vera dispositio ad omnes communes virtutes exercendas subjecto proportionatas, occasione adveniente. Ratio est: non est perfecta virtus sine perfecta prudentia, cum sit prudentiæ omnem virtutem secundum ordinem disponere; sed perfecta prudentia importat appetitum rectum circa omnia, quæ agenda occurrunt, alioquin perfecta non esset; ergo prudentia perfecta habet comites alias virtutes. Hinc Augustinus: *Virtutes, quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur; nullo tamen modo possunt separari ab invicem* (De Trinit. l. VI, c. 9). — Diximus 1. virtutes perfectas, quæ nempe firmiter subjectum actuent ac perficiant, illudque inclinent ad bonum opus faciendum bene, constanter, prompte et facile. Si enim imperfecta sit ea virtus, quatenus non est nisi aliqua simplex inclinatio, utique nulla datur cum aliis connexio; sic videmus aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis, ait S. Thomas. — 2. etiam acquisitas; etenim de virtutibus moralibus infusis, quæ sunt a charitate inseparabiles, utpote gratiæ sanctificantis proprietates, nulla quæstio; nam omnia dona pariter cum illa.

371. An (inquires) virtutes consistant in medio; et sint inter se æquales? Medium generatim est illud, quod inter duo extrema posi-

Papa non habuit ut certo invalidam illam provisionem, sed voluit sic agere ad securitatem; quia sic fuerat postulatus.

Si tamen injusta vexatio in jure acquirendo provenit ab iis, qui jus illud spirituale concedere possunt, tunc simonia erit temporale aliquid iisdem elargiri eo fine, ut cessent a vexatione; quia in hoc casu vere et proprie daretur temporale pro spirituali¹. Ponamus Titum Beneficii patronum mihi injuste denegare votum: si pecuniam eidem trado, ne votum denegat traderem temporale pro spirituali; cur enim trado? ut is desistat a voto mihi denegando; atqui hoc idem est ac votum illud pecunia emere; nam injusta negatio voti non tollitur, nisi voti ejusdem concessione, ergo si pecuniam trado pro tollenda voti negatione, idem est ac si illud directe emam.

368. Est tandem commune cum Alberto Magno, D. Bonaventura, Cajetano, Gersone, Lessio, Sporer, Suarez, Vasquez aliisque, licere absque ullo simoniae reatu in necessitate pecuniam dare Sacerdoti sine illa nolenti administrare Sacramenta, ad quæ quidem petens habet jus; quia hoc est injustam vexationem redimere, nempe removere impedimentum pravæ voluntatis, vel potius permittere alterius peccatum justa de causa. Neque tunc pretium daretur pro ipsa collatione spirituali: ita licet in necessitate mutuum petere ab usurario; quia tunc malum non provenit ex actione nostra, sed ex alterius malitia.

369. An (quæres) sit simonia dare pecuniam competitori, ut desistat a concursu ad beneficium quod tu præterdis? Aliqui negant cum Elbel; quia hæc abstinentia ex una parte nequit dici quid spirituale; ex alia competitor nil positive confert ad beneficium collationem, sed tantum negative se gerit. Verum huic opinioni non assentior, et recte docet Croix cum Diana et aliis communiter non esse admittendum; quia ex D. Thoma tunc dumtaxat licet per pecuniam versationem removere, cum versatio est injusta; alias per pecuniam directe pareretur via ad beneficium, quod omnino illicitum est.

¹ C. Matthæus, *De sim.* Aliter esset si ageretur de actu possessionis ecclesiastici Beneficii jam collati: tunc probabilius liceret hanc vexationem pecunia redimere; quia possessio est temporalis, cum in solo facto sita sit. Pariter simonia non esset pecuniam tribuere electoribus, ut desistant ab electione indigni; quia Ecclesia habet jus acquisitum in digno: unde daretur pro desistendo a malo. Sicut liceret dare pro eligendo digno, vel digniori in genere; nam daretur ne mala electio fiat, si vero determinaretur persona, simonia esset; nam directe esset pro illius electione pecuniam tribuere. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 403.

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM QUINTUM

(A) Page 144.

370. An (quæres) omnes virtutes ita sint inter se connexæ, ut qui unam habet, et alias virtutes debeat necessario possidere? — R. Cum Billuart: certum est 1. omnes virtutes Theologicas non esse inter se connexas: amissa enim charitate per peccatum, possunt remanere fides et spes: 2. neque omnes virtutes intellectuales inter se connexas esse; neque enim qui habet unam scientiam, ideo habet et ceteras.

Quæstio est de virtutibus moralibus: contra Scotistas commune est cum Angelico (1, 2, q. 65, 1), omnes virtutes morales perfectas, etiam acquisitas, ita inter se connexas esse, ut qui una caret, nullam perfecte habeat, non quidem hoc sensu, quod debeant actu omnes virtutes exerceri; sed quod adesse debeat vera dispositio ad omnes communes virtutes exercendas subjecto proportionatas, occasione adveniente. Ratio est: non est perfecta virtus sine perfecta prudentia, cum sit prudentiæ omnem virtutem secundum ordinem disponere; sed perfecta prudentia importat appetitum rectum circa omnia, quæ agenda occurrunt, alioquin perfecta non esset; ergo prudentia perfecta habet comites alias virtutes. Hinc Augustinus: *Virtutes, quæ sunt in animo humano, quamvis alio atque alio modo singulæ intelligantur; nullo tamen modo possunt separari ab invicem* (De Trinit. l. VI, c. 9). — Diximus 1. virtutes perfectas, quæ nempe firmiter subjectum actuent ac perficiant, illudque inclinent ad bonum opus faciendum bene, constanter, prompte et facile. Si enim imperfecta sit ea virtus, quatenus non est nisi aliqua simplex inclinatio, utique nulla datur cum aliis connexio; sic videmus aliquem ex naturali complexione, vel ex aliqua consuetudine esse promptum ad opera liberalitatis, qui tamen non est promptus ad opera castitatis, ait S. Thomas. — 2. etiam acquisitas; etenim de virtutibus moralibus infusis, quæ sunt a charitate inseparabiles, utpote gratiæ sanctificantis proprietates, nulla quæstio; nam omnia dona pariter cum illa.

371. An (inquires) virtutes consistant in medio; et sint inter se æquales? Medium generatim est illud, quod inter duo extrema posi-

tum ab iis æqualiter distat; erit ergo in medio virtus, si media consistat inter duo vitia, quæ hinc inde ei opponantur, unum per excessum, aliud per defectum. Ex quo jam patet, alias virtutes in medio consistere uti est liberalitas, cui opponitur hinc prodigalitas, inde avaritia; alias vero mediocritatem non admittit, uti est charitas in Deum, contra quam per excessum ex se peccari non potest; nam *modus diligendi Deum est diligere sine modo* (D. Bernardus, *De dilig. Deo*).

— Non omnes autem virtutes sunt ejusdem dignitatis; nam aliæ aliis nobilius habent objectum: sic inter Theologicas eminet *charitas*, quæ est omnium complementum; inter intellectuales eminet *sapientia*, quia altissima scrutatur: inter morales præeminet *religio*, cum magis ad Deum accedat, nempe *in quantum operatur ea, quæ directe et immediate ordinantur in honorem divinum* (D. Thomas, 2, 2, q. 51, a. 6).

(B) Page 147.

372. An (quæres) devotio differat a charitate?

R. Etiam si vera devotio præsupponat Dei charitatem, et cum ipsa strictissime jungatur; differt tamen in hoc, quod charitas efficit quidem ut omnia generatim Dei præcepta rite observentur juxta illud Christi: *Si diligitis me, mandata mea servate* (Joan. 14); devotio autem hoc superaddit, ut eadem observentur quadam animi promptitudine et alacritate plane singulari. Nempe ex præclarissimo devotionis magistro S. Francisco Salesio, si charitas est quidam veluti ignis, devotio est quædam quasi flamma ignis ejusdem: hinc ut quis dicatur *vere devotus*, præter charitatem habere debet quamdam animi vivacitatem in ponendis actionibus, quæ charitatis sunt propriæ. — Ex quo patet quanta sit devotionis excellentia: « Croyez-moi, dit S. Fr. de Sales, la dévotion est la douceur des douceurs et la reine des vertus: c'est la perfection de la charité. Si la charité est un lait, la dévotion en est la crème; si elle est une plante, la dévotion en est la fleur; si elle est une pierre précieuse, la dévotion en est l'éclat; si elle est un baume précieux, la dévotion en est l'odeur, et l'odeur de suavité qui reconforte les hommes et réjouit les anges. »

373. Quænam est devotionis causa et effectus?

R. Duplex est causa devotionis. Alia extrinseca et primaria, et est Deus qui dona sua prout vult, elargitur, et *quem vult, religiosum facit*, ut ait S. Ambrosius (in Luc. c. 9). Alia intrinseca et secundaria et est consideratio tum divinæ bonitatis, tum nostrorum defectuum: prima consideratio excitat dilectionem; secunda impedit præsumptio-

nem: utraque ergo mirifice juvat devotionem. — Duplex item est *devotionis effectus* ex Angelico (2, 2, q. 82, a. 4). Primus est salutaris quædam tristitia, quæ enascitur ex nostræ infirmitatis consideratione juxta illud: *Ad me ipsum anima mea conturbata est... quare tristis es, anima mea?... spera in Deo* (Psal. 41). Hinc secundus effectus est spiritualis lætitia, quæ sponte consurgit ex meditatione bonitatis Dei juxta illud: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (Psal. 76).

(C) Page 148.

374. Ascetici distinguunt triplicem perfectionis gradum, nempe *viam purgativam, viam illuminativam et viam unitivam*. Pro triplici autem hac via triplicem item distinguunt devotorum classem, nempe *incipientium* quos ponunt in via purgativa, *proficientium* quos ponunt in via illuminativa, et *perfectorum* quos ponunt in via unitiva. Sunt aliqui, maxime de Jansenistarum Schola nobis semper invisæ, quibus triplex hæc christianæ perfectionis via male sonat, eamque iccirco vellent eliminare; sed immerito, et contra ipsos Innocentius PP. XI sub n. 26, hanc damnavit propositionem: *Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa et unitiva, sunt absurdum maximum quod dictum fuerit in mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet interna*. Hæc sane distinctio non est ad merum arbitrium inducta, sed propriam ac congruam habet rationem (V. Benedictus XIV, *de Canoniz. SS.*, l. III, c. 26; et Vehit, *Sacra Scriptura*. In Ps. n. 3). Videlicet vita hominis in hoc mundo est quædam quasi via, quæ ad patriam tendit, id est felicitatem æternam. Jam vero in qualibet via distinguitur triplex terminus: primus dicitur *terminus a quo*, ille nempe a quo disceditur; alter est *terminus per quem*, ille nempe per quem transire debet viator, si ad metam suam pervenire velit; tertius denique est *terminus ad quem*, ille nempe ad quem via ipsa perducit.

Ita a pari evenit in itinere spirituali. Adest *terminus a quo*, et est peccatum a quo discedere omnino debet qui tendit ad perfectionem, et hæc discessio efficitur per *viam purgativam*, purgando nempe animam tam a culpa mortali et veniali, quam ab affectu quolibet ad utramque. Adest *terminus per quem*, et est consecutio et exercitatio virtutum omnium sive Theologicarum sive Moralium, quem in finem tendit *viam illuminativam*. Adest denique *terminus ad quem*, et est Deus ipse, cujus consecutio est omnis operis complementum et totius spiritualis itineris meta: huc autem spectat *viam unitivam*. — V. Valfrè,

Sulla perfezione, §§ 1, 22 et 23. — Rodriguez, *Exercices de perfection*. — S. Alphonsus, *Breve pratica della perfezione raccolta dalla dottrina di S. Teresa; et Praxis Confessarii*, § 5. — P. Goudier, *De natura perfectionis*. — Sianda, *Il discernimento della perfezione*, Forlì, anno 1755. — Scaramelli, *Direttorio Ascetico*. — Pinamonti, *Il Direttore*. — Castelvetero, *Direttorio ascetico-mistico*. — Liber, *S. Bonaventura Card. Dottor serafico di S. Chiesa Maestro esimio di spirito ovvero Teologia mistica secondo lo spirito, e le sentenze del Santo uniformi allo spirito e alle dottrine dei più celebri santi Padri e Dottori, che di ciò scrissero*; divisa in 4 parti per tre stati, ecc.

375. Plura valde momentosa hic monet Stapf §§ 629 et seqq. En præcipua: 1. sunt qui in ipso conversionis principio, dum sensibili gratia recreantur, passiones suas jam pene devictas autumant, et jam volare gestiunt, quamvis pennas nondum habeant. Horum igitur audacia reprimenda est, ne forte dum se improvide periculis exponunt, misere prolabantur: *Vanum est vobis surgere ante lucem; surgite postquam sederitis*.

2. Homines recens conversi sæpe tam ferventes sunt in oratione, tam avidi operum poenitentiae corporalis, ut eorundem concupiscentiae penitus extinctae et vitia eorum radicitus eversa videantur. Attamen cave, ne nimium illis fidas; etenim hæc alacritas aliud non est, quam effectus suavis et sensibilis gratiae, qua Deus novos advenas recreare solet: at solida virtus non nisi multo exercitio acquiritur; insistentia, humilitate, diuturna pugna. Ideo videat director ne illi nimis sibi placeant, et iterum decidant; ne facile ipsis permittat externas ac graves mortificationes, nam asellus cum lassatus fuerit, diverticula quaerit: hic etiam habenda est ratio valetudinis, conditionis, etc.: non enim fert omnis omnia tellus. Potius in mortificatione interna exerceantur, in patientia, mansuetudine, conformitate ad voluntatem divinam, etc.: in his enim nullus excessus timendus.

3. Sunt etiam qui a perfectione abstinent quia timent, ne mundus eos superstitionis, hypocrisis vel pietismi insimulet, vel ne ideo ad Deum se convertisse videantur, quia a mundo repulsam tulerint. Hisce debilibus inculcet, quam vana sint iudicia et verba hominum, qui quodcumque tandem feceris, semper carpunt; quanto satius Deo et probis placere quam improbis; quam sit horrendum cum hoc mundo damnari, et aliquando in iudicio exclamare: *Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam; ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est* (Sap. 5).

4. Sunt tandem qui quamvis se quotidie ad altiora urgeant, semper tamen pavent, eo quod nullum sibi progressum facere, sed potius re-

gredi videantur. Ad illos erigendos illud inculcet D. Bernardi: *Divina solet pietas ordinare, ut quanto quis plus profecerit, minus se reputet profecisse*. Quod si poenitens ideo inordinate tristetur, director instet ut statim a tali dejectione illum liberet; etenim spirituali profectui nil magis obstat; utique miseriam suam et defectus quotidianos sincere agnoscat, simul vero invitam erga Deum fiduciam concipiat, sciens, quod omnia possibilia sunt credenti, et qui sperat, non confundetur in aeternum.

(D) Page 153.

376. *Tridentinum*, sess. 25, de venerat. SS. declaravit, bonum et utile esse Sanctos invocare. Theologi vero docent respectu totius communitatis hanc invocationem esse de præcepto; cum ad eam teneantur Sacerdotes in Officio et Missa. Sed disputant, an etiam singulis fidelibus sit in præcepto: saltem invocationem Virginis esse de præcepto videtur colligi, ait Dens, ex SS. *Patribus et communi sensu fidelium*: idque magis, quia Beata Virgo peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta est. Volunt etiam ipsos infantes baptizatos ante usum rationis defunctos privatim invocari posse, cum sancti sint et regnent cum Christo. Diximus *privatim*; cultus quippe publicus nulli potest exhiberi sine Ecclesiae decreto. V. Liguori, *Opera dogmatica*, sess. 25, n. 55. — Ferraris, v^o *Cultus*. — Charvaz, *Considérations sur le protestantisme*. — Martinet, *Solution des grands problèmes*. — Nicolas, *La Vierge Marie*, t. II, part. 2. — Poiré, *La Triple Couronne de la bienheureuse Vierge Mère de Dieu*. — D'Argentan, *Conférences théologiques et spirituelles sur les grandeurs de Marie*.

(E) Page 159.

377. Orationis generice sumptæ variae sunt species. — 1. *Adoratio* quæ est contestatio divinæ excellentiæ per submissionem nostram; sane justum est, ut mens nostra in laudes et summam Divinitatis admirationem prorumpat: de hac plura in Psalmis. Adoratio tamen revocari solet ad actus externos; quia plerumque et animo simul et corpore fit. — 2. *Gratiarum actio*, quæ quidem ab ipsa ratione inter præcipua nostra officia refertur. — 3. *Deprecatio offensionum* (nempe veniæ petitio pro peccatis) ad quam sacræ paginæ nos frequenter adeo provocant, in Psalmis poenitentialibus luculentissima exempla proponentes. — 4. *Invocatio seu petitio bonorum*: de hac

autem nos agimus sub nomine *orationis*; ad hanc enim speciem cetera, ut plurimum, revocantur, uti notat Angelicus. Res autem hæc est maximi momenti, siquidem ex divo Augustino, serm. 15, *recte novit vivere, qui recte novit orare.* — V. Brancato, *De oratione ejusque speciebus.* Romæ, 1685.

De Catholica oratione sermonem habet Taparelli S. J. in Opuse. *Sulla preghiera cattolica considerata in ordine alla civiltà del popolo*, ubi hanc ipsam orationem sic perbelle definit: « Considérée dans sa notion la plus générale, la prière catholique comprend toute élévation vers Dieu de la part de l'âme: excitée par la foi, animée par la charité, aidée par le sacrifice et par les sacrements, guidée par l'autorité de l'Église, et aspirant principalement à atteindre la félicité surnaturelle et éternelle, au moyen des œuvres saintes. » Pulchre etiam Lacordaire, *Conférences (Conf. XIII)*: « La prière est la reine du monde. Couverte d'humbles habits, le front baissé, la main tendue, elle protège l'univers de sa majesté suppliante; elle va sans cesse du cœur du faible au cœur du fort, et plus sa plainte s'élève de bas, plus le trône où elle arrive est grand, plus son empire est assuré. Si un insecte pouvait nous prier, quand nous allons marcher dessus, sa prière nous toucherait d'une immense compassion: et, comme rien n'est plus haut que Dieu, nulle prière n'est plus victorieuse que celle qui monte vers lui. C'est la prière, messieurs, qui rétablit nos rapports avec Dieu, rappelle à nous son action, lui fait violence sans nuire à sa liberté, et est par conséquent la mère de la foi. »

378. Quadruplex orantis animus seu status. *Primus* est ejus, qui est in statu gratiæ. *Secundus* est ejus, qui est in statu peccati, dolet tamen, et serio suspirat ad meliorem frugem reverti; aut est in infidelitate, vel hæresi, sed sincere desiderat veritatem. *Tertius* est illius peccatoris, qui malis habitibus pressus infirma voluntate desiderat surgere a peccatorum suorum cæno, ideoque orat. *Quartus* est illius peccatoris, qui peccato sic delectatur, uti velit omnino in eo perseverare, veteribus semper superaddens nova peccata. — Qui in primo et secundo statu sunt, utiliter orant. Item qui est in tertio; at peccator ille caveat ne contemnat illud remotum conversionis initium, quod aspirante gratia accepit: nec timeat, Deum per suam orationem fore irritandum; hæc est enim tenuis aspirantis gratiæ scintilla, cui si adhæreat, poterit peccator ad pœnitentiæ et justificationis portum pervenire, Qui vero quarto loco positus est, certe sine fructu orat ob malam qua afficitur, voluntatem. Utrum autem hæc oratio et ipsa peccatum sit, affirma si non oret quem debet orare, vel non oret debito modo; quo sensu accipitur tum illud Psalmi 108: *Et oratio ejus fiat in peccatum*, ut explicat Bellarminus, tum illud Prov. 28: *Qui declinat*

aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Ceterum ait S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. IV, n. 178, non audeam de peccato ullo damnare ex devotione orantem, qui actualem voluntatem peccati haberet; alias teneremur hos hortari, ut ab omni oratione abstinerent.

379. « Nonnulli (ait *Stapp*, § 206) piam fidelium plebem peracerbe carpunt, utpote quæ, ut inquirunt, semper non nisi terrena petit, atque hisce precibus ommissa justa resignatione pertinaciter insistit. Et sane ubi tale quid contingit, populus de sensu suo terrestri redargui meretur; at qui populum christianum saltem nostris in partibus penitus novit facile concedet, generatim verum non esse homines plebeios non nisi bona temporalia a Deo petere. Præsertim ubi fervens animarum pastor frequentem usum sacramentorum et vivum religionis sensum fovere studet, charismata meliora nullatenus negliguntur. Deinde perseverantia qua bona hujus temporis efflagitantur, non semper defectum justæ resignationis manifestat, sed sæpiissime cum mira animi submissione conjungitur. Et quis adeo inhumanus erit, ut bonis rusticis studium istud, quo arvis et pecoribus suis divinam benedictionem implorant, vitio vertat? Scilicet homines qui certas suas et annuas pensiones habent, utique aeris intemperiam sat quiete spectare possunt; quid vero misellus paterfamilias, qui non tantum sibi suisque necessarium victum parare, sed insuper importunis creditoribus satisfacere et tributa pendere cogitur, quid, inquam, talis sentiet ubi vel lues aliqua vel sæva tempestas omnem ejus substantiam subvertere minatur? »

Neque ideo sunt carpendi rusticola, quia illa bona non petunt conditionate; conditio enim illa in quantum videlicet talia bona gloriæ Dei et nostræ animæ salutis expediunt, subintelligitur, et implicite inest: ita etiam Ecclesia in Litanis petit sine conditione temporalia, ut fructus terræ, etc.

An (quæres) quis a Deo recte petat aliquid sub hac conditione, ut si illud quod petit non sit sibi salutare, Deus salutare faciat? Negative, quia pervertit ordinem virtutis; vult enim voluntatem Dei conformari voluntati hominis; cum contra voluntas hominis debeat conformari divinæ. Attamen advertit D. Thomas, in 4, d. 15, a. 4, q. 5, *Deus orationem acceptat interdum de eo quod dare non vult; quia ipse vult nos pie velle quod ipse iuste dare non vult.* Ita utiliter Paulus postulavit liberari a tentatione, licet Deus id concedere nollet.

Ordo autem ille in oratione nostra servari oportet, qui in charitate præscribitur: ita ut nostris in precibus peculiarem locum sibi habeant qui nobis consanguinitate, amicitia, beneficiis, religione, et societate magis conjuncti sunt; ubi enim fortius est vinculum, inde fortior

enascitur obligatio. Et *specialiter* fieri debet, si proximus magna calamitate percussus sit; *specialius*, si calamitas adeo late pateat, ut non unum hominem, sed universam regionem premat; *specialissime*, si gens illa sit virtutibus ornata ac meritis clara. Peculiariter orandum pro iis est, quibus vel scandalum vel ruinam spiritualem attulimus, ut sic quantum ipsis nocuit exemplum nostrum, tantum iisdem nostra prosit oratio.

(F) Page 159.

380. Stapf, § 564 loquens de *meditationis facilitate*, ait: « Quis est, qui in negotiis hujus temporis, ubi de captando lucro, vel de aver-tendo aliquo damno agitur, suas allegare rationes, in rerum circum-stantias indagare, atque certas inde agendi regulas deducere nesciat? Cur ergo non idem in negotio salutis suæ æternæ poterunt? Quis se insufficientem dicat, ut vel novissima sua, vel mysteria Christi pro nobis patientis pie ruminet, atque convenientes inde affectus et firma emen-dationis proposita concipiat? Revera historia homines penitus illiteratos et simplices virgunculas exhibet, quibus hoc exercitium facillimum videbatur, eo quod, ut sancta Theresia advertit, ad meditationem ni-hil aliud non requiratur, nisi amor. »

381. Quoad *meditationis necessitatem* audiamus omnes S. Alphonsi verba gravissima: « Mihi concedatur conceptum animi dolorem foras aperire. Proh magnam infelicitatem! Quam pauci sunt illi Parochi et Confessarii, qui curam hanc sibi suscipiunt insinuandi suis pœnitentibus hoc tam magni momenti exercitium orationis mentalis, sive meditationis, sine quo valde difficile est animam posse perseverare in Dei amicitia, et impossibile est in viam perfectionis se immittere! Si aliqua attentio in hac re adhiberetur, quot animæ viderentur in Dei amorem accendi! Sed hoc quis non operatur, ne sibi aliquid incommodi suscipiat: alius ne stimulus suæ exprobrantis conscientie sentiat in suadendo aliis bonum quod ipse negligit. Summa hæc est, quod curæ hoc non est, quia parum diligitur Jesus Christus. — O si Pa-rochi et Confessarii multum diligerent Jesum Christum, a quot effice-rent ut amaretur, et eos ab inferno liberarent! Igitur exorandus Do-minus est ut, si velit amari ab animabus, faciat se amari a Sacerdotibus. » *Hom. Ap.*, tr. vii, n. 44.

382. Quoad *meditandi modum*, hæc notat sæpius laudatus Stapf: « Ne dum oramus mens nostra tam facile dilabatur, illam tum ad oran-dum prævie disponere, tum forte evagantem iterato et tranquille re-colligere oportet. Pariter quantum fieri potest, tempus et locus atque

totius compositio ita instituenda sunt, ut devotio nostra exinde non turbetur, sed foveatur potius... Præsertim homines minus culti per libros formulasque vere pias et captivi suo convenientes multum ju-vantur; quid enim tales, præsertim juniores, sub divino officio medi-tari solent, nisi liber aliquis illorum tum oculos tum cogitationes religiose occupatas teneat, atque animum sursum evehat? Unde Pas-tor suis insigniter plane consulit, dum in communitate libros divulgat religioso spiritu repletos, et solidam pietatem stillantes. »

383. Quoad agendum, *lectione peracta*, hæc notamus: qui libro ad meditandum utitur, vel se totum exercent in actibus voluntatis eliciendis, id est humilitatis, gratiarum actionis, contritionis, fidei, spei, charitatis, etc.; vel incumbat petitionibus, quibus præsertim Dei amorem et perseverantiam finalem efflagitet; vel denique in pro-positis peragendis occupetur: quia ut meditatio sit fructuosa, necesse est ut anima statuat executioni mandare quæ in ipsa meditatione exe-quenda cognovit: *Nemo, inquit Salesius, debet imponere finem orationi (mentali) nisi prius peculiare aliquod propositum effor-maverit, puta defectus quosdam emendandi, exercendi virtutem aliquam, in qua se noverit debiliorem.*

384. Meditatio si proprio ac convenienti methodo peragatur, sex habet partes: videlicet *præparationem, lectionem, consideratio-nem, gratiarum actionem, oblationem et petitionem*. Non vacat hic explanare, quod asceticis brevitatis causa relinquimus; sed non possumus non admonere tyrones nostros de obligatione eas bene dis-cendi, si eximiam ac plane divinam artem animas Christianorum diri-gendi ad Dei unionem penitus cognoscere cupiunt. Hic V. Da Ponte, *De arte meditandi*. Taurini 1855. — *Della maniera pratica di medi-tare*, istruz. pratica. Torino 1840. — *Maniera di far la meditazione con l'aggiunta di 4 meditazioni secondo questo metodo*. Vigevano. — *Belleccio, Facilis methodus rite meditandi. — Exercitia Spiritu-alia S. P. Ignatii de Loyola cum versione litterali*, etc., Romæ, 1854 (Opus admirabile, Sedis Apostolicæ judicio et omnium utilitate comprobatum).

(G) Page 161.

385. *Quid circa tentationes in meditatione?* Tres sunt præci-puæ tentationes, quibus dæmon solet meditationis bonum perturbare, nempe:

1. *Ariditates*: ubi desunt in meditatione consolationes sensibiles, anima dicitur in ariditate constitui. Hic præsto sit Confessarius ani-

nam confortando: — 1. ei suadeat ariditatem facilius nos perducere ad virtutem solidam; nam, ait S. Ignatius, *nihil aptius est ad excitandum ignem amoris divini, quam lignum Crucis*; — 2. ipsam horletur, ut se examinet sine anxietate, utrum culpa sua ariditates exoriant: si quid culpæ inveniat, sincere doleat et emendationem promittat, secus gratias Deo peragat, et se illi humillime subiciat; — 3. eidem expresse jubeat, ne ideo ullum devotionis exercitium omittat; imo si commode potest, aliquid superaddat, sciens opera in tali tædio Deo esse gratiora et magis meritoria. Quot ariditates passi sunt SS. Franciscus, Antonius, Bernardus! qui eas tolerando Crucifixi imaginem in se expresserunt, et magnifici in sanctitate facti sunt. Ad querelam autem talium *se omni sensu destitutos instar statuarum coram Deo sistere*, vir in dirigendis animabus egregie versatus respondet: de hoc ipso gaudendum vobis est quod coram Deo juxta beneplacitum ejus statuarum munere defangi possitis; num non et milites idem faciunt, in principis obsequium excubias agentes? Ceterum ad ariditatem fugandam præstat, ut pœnitentes (maxime mulieres) assuefiant meditari quæ Christus pro nobis passus est, quam sublimia Divinitatis mysteria, ut facilius *dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilem amorem rapiamur*. S. Thomas, 2, 2, q. 82. Huc faciunt: Salvatori, *Riflessioni sulla Passione di Gesù Cristo*. — Liguori, *item*. — P. Ventura, *Il tesoro nascosto*. — *La scuola di Gesù appassionato*. — Stapf, § 558 ubi plura.

2. *Distractiones*: quæ ab ariditate differunt in hoc, quod ariditas est defectus suavitatis sensibilis; distractio autem est varietas quædam cogitationum, quæ animum in meditatione perturbant, est enim distractio mentis evagatio ab objecto proposito. S. Bernardus de se ipso testatur nunquam potuisse potiri illa intellectus quiete, quæ distractionibus omnino careret: intellectus nempe noster tanta vi et activitate præditus est, ut vix contineri in uno valeat saltem longo temporis spatio, quin ad plura simul quasi evolare videatur: *Vix unum Pater noster* (ait D. Thomas) *potest homo dicere quin mens ad alia feratur* (In I Corinth. 15, lect. 5). Ne ergo animo concidat qui distractionem patitur; sed quando id agnoscit, absque anxietate ad meditationem redeat, et ita se gerat iterum atque iterum sciens se hoc modo, tot actus meritorios ponere, et bene meditationem suam peragere. Ceterum ante omnia curandum est, ut distractionum causæ repellantur: et sunt passiones, quæ animam occupant; loquacitas, quæ spiritum distrahit; tandem solitudinis defectus, nam non nisi in quiete Dominus (III Reg. xix).

3. *Somnus*: hæc est tentatio periculi plena præsertim in adolescentibus, tum quia tempus teritur, tum quia res divinæ negligenter agun-

tur. Ea autem quandoque oritur ex naturali corporis indispositione, quandoque a dæmonis fraude. Huic malo occurrere facile potest: 1. si tempus meditationi determinetur, postquam conveniens requies corpori data fuerit; 2. si situs meditando sit devotus et absque fulcris, quibus meditans innitatur; 3. si meditans erigat se, deambulet, manus ad cælum attollat, in crucem conformet, si solus sit: quod si locus sit publicus, genuflectat, jungat manus, oculos elevet et similia faciat, quibus corpus excitetur, quin tamen singularis appareat. Licet autem totum tempus consumere debeat in somno excutiendo, sciat se officio suo satisfecisse.

Cum S. Carolus Borromæus adverteret, se publicis functionibus assistentem subinde vehèmenti somno incommodari, imo et obdormire, nocturnam quietem paulisper producendam duxit. Quia porro pro diversa corporis complexionem, nec non pro diversitate laboris, diversa quoque somni necessitas datur, absonum foret pro omnibus eandem prorsus regulam scribere. Ceterum D. Salesius probum et consultum existimat curare, ut vesperi tempestive cubitum eamus, quo summo mane expergefieri et surgere possimus. Aurora enim non tantum musis, sed etiam orationi præprimis amica censetur. Est autem quam periculosum somnum in multum diem perducere: qui enim somno nimium indulgent, corpore pariter et animo elanguescunt, et de ipsa morum integritate multum periclitantur, præsertim qui in multam diem sternunt, vel quod pejus semisopiti plumis inhaerent. Hinc juvenes omni modo urgeri debent, ut statuto tempore absque tergiversatione surgant, atque naturam generatim ad ordinem prudenter statutum restringere allaborent. Hæc Stapf, §§ 288 et 549.

(II) Page 361.

386. Q. *Quotuplex est contemplatio, et qui ejus gradus?*

R. Ad 1: Ubi completa sit purgatio spiritualis, Deus animam ponit in statu contemplationis, quæ duplex est, affirmativa et negativa: 1^a est quando anima beneficio lucis divinæ et sine ulla opera propria, cernit aliquam veritatem vel creatam, uti est v. g. felicitas Paradisi: vel increatam, uti est, v. g., omnipotentia divina; 2^a est quando anima dignoscit perfectiones divinas non in particulari, sed in genere: et cum quadam notitia, in se quidem confusa, sed quæ ingerit conceptum magnitudinis divinæ longe majorem. Quæ est longe perfectior, et dicitur etiam *clara caligo*; quia in ipsa obscuratur anima ob nimiam lucis abundantiam, uti contingit illi, qui cum velit solem directe intueri, nimio radorum fulgore quasi obæcatur, et de ipso non

aliud percipit, quam magnum quoddam et immensum lumen. In tali caligine suspenduntur, ut plurimum, potentiae animae, et aliquando etiam sensus exteriores, ita ut anima ingrediatur in quamdam, ut vocant, *ebrietatem spiritualem*, et prorumpat in quaedam amoris deliria, v. g. in cantus, in fletus insolitos, in saltus, etc., uti de pluribus Sanctis narrat historia.

R. Ad 2. Gradus sunt recollectio supernaturalis, quies et unio:

1. *Recollectio supernaturalis*: dicitur *supernaturalis*, quia Deus eam operatur in anima ministerio gratiae extraordinariae, per quam anima in statu activo ad passivum transfertur, et in eo sislit (dicitur etiam *infusa*, quia evenit beneficio lucis quam Deus infundit). In tam felici statu debet anima sincere se dirigi a Deo ad res illas considerandas et illos actus eliciendos, ad quos se magis a Deo ferri cognoscit, quin curiosius investiget suum statum; — 2. *quies*, inter quietem et recollectionem supernaturalem, hoc est discrimen, quod vis amoris divini in recollectione communicatur immediate sensibus externis; in quiete autem amor ipse communicatur immediate spiritui in ipsa anima, et sic evadit ardentior et aliquando diffunditur ad ipsos sensus. Dein in quiete suspenditur quidem voluntas quae manet quasi ligata, cum non aliud tunc valeat objectum diligere praeter Deum, qui eam ad se trahit; sed non suspenduntur neque intellectus, neque memoria, neque phantasia. Tunc anima debet eniti ad colligendas cogitationes suas; sed eos tantum actus emittere, ad quos eam Deus impellit, et sic tranquille se habere in omnibus; — 3. *unio*, quae est ultimus animae scopus in perfectionis via. Duplex est: a. *activa*, et est perfecta uniformitas voluntati divinae, in qua tota est perfectio: *Perfectio* (ait eximia illa Mysticorum magistra S. Theresia) *Non consistit in exstasi; sed vera unio animae cum Deo est unio voluntatis nostrae cum voluntate divina*; b. *passiva*, et est quando anima ita suspenditur in Deo per quamdam abundantiam lucis et amoris, ut in ipsa efformetur illa *beata caligo*, in qua dein suspenduntur omnes potentiae animae: *memoria*, quae non potest aliud amplius sibi recordari praeter Deum; *intellectus*, qui cogitari non potest aliud praeter ipsum Deum, imo nec gratiam ipsam quam actu recipit; denique *voluntas*, quae se sentit ita Deo intime conjungi, ut nullum aliud objectum amare valeat. Haec unionis species est perfectior, ut patet; sed parum durat, neque excedit dimidiam horae partem, excepto tamen casu extraordinario. Confessarius hic attente invigilet, ne anima in superbiam erigatur. Quare eam moneat per illum favorem non fieri impeccabilem. Imo S. Theresia fatetur se cognovisse animas, quae postquam ad tam altum perfectionis gradum ascendissent, post superbientes in gravissimas culpas miserrime prolapsae sunt.

387. *An (quæres) unioni activæ, et passivæ addantur aliæ species? Unioni activæ ac passivæ (utraque dicitur etiam unio simplex), duæ addi possunt, nempe unio sponsalitia et unio consummata.*

1. *Sponsalitia unio* in hoc differt ab aliis, quod non sit solum quaedam communicatio divini amoris; sed valde copiosior supernaturalis infusio quorundam graduum amoris ejusdem. Anima ubi pervenerit ad tam sublimes amoris gradus, in proximo est, ut Deo suo spiritualiter conjungatur majori modo in hac vita possibili. Ordinarie solet hanc unionem præcedere alia purgatio spiritus etiam magis severa et dura, quam superius descripta, quæ complectitur etiam pœnas exteriores, v. g. calumnias, persecutiones, infirmitates, etc. Illius autem unionis gradus tres sunt, exstasis, raptus, elevatio spiritus. *Exstasis* facit, ut amittatur usus sensuum etiam externorum, ita ut persona nec videat nec audiat, imo nec sentiat adustiones aut incisiones, si fierent in ejus corpus (a græco *ex extra* et *stas* sistere). *Raptus* est quaedam divinae gratiae impressio tam viva et vehemens, ut anima quasi rapi se sentiat motu quodam subitaneo ac violento, et aliquando ipsum quoque corpus elevetur, et fiat leve ad instar plumæ. *Elevatio spiritus* est quando anima sentit se extolli supra seipsam magna quadam vi, cui ab initio experitur conjunctum etiam magnum timorem: unde in hoc gradu continentur duo præcedentes (V. Liguori, *Praxis Conf.*, § 2. — Scaramelli, *Direttorio mistico*. — Castelvetero, *Dirett. Asc. Mist.*, l. II, p. 2. — Stapf, § 655 et seq. — Alvarez, etc.).

2. *Unio consummata*: hæc unio est omnium perfectissima, quam Deus animæ viatrici concedit: et ideo dicitur *consummata*. In reliquis unionis speciebus potentiae animæ suspenduntur ad tempus; in hac jam capaces evaserunt unionis divinae permanentis, ita ut voluntas amet Deum suum placidissime, intellectus recte cognoscat et attendat huic intimæ unioni divinae, quæ jam facta est in animæ centro. Idque contingit eo ipso modo, quo quis intueretur solis splendorem absque ulla oculorum suorum offensione. Hinc autem solent in anima evenire visiones, locutiones, revelationes et alia dona supernaturalia.

(I) Page 170.

388. *Si Beneficium sit tenue, vigebitne adhuc onus Officium recitandi? Communiter tenent existimandum esse tenue illud Beneficium, quod non pertingit usque ad tertiam partem sustentationis Beneficiati; quæ sustentatio rationabiliter debet mensurari juxta diversitatem patrimoniorum, quæ in diversis locis solent Clericis assignari ab Episcopo. Quo posito dicimus, vigeat adhuc onus Officii: 1, in dubio de tenui-*

tate; quia cum Beneficium sit certum et tenuitas dubia, possessio stat pro beneficio, et ideo pro onere recitationis; 2. si tenuitas proveniat ex culpa Beneficiati, cum nemo debeat reportare commodum ex propria iniquitate; 3. si Beneficiatus speret fructus uberores in posterum, quia tunc unus annus compensatur cum alio; 4. si qui percipiantur fructus, etsi onere Missarum gravati; cum adhuc sint veri fructus ad sustentationem deservientes. Sublatis hisce casibus, non consentiunt Auctores.

Alii cum Roncaglia volunt adhuc vigere onus recitationis; quia S. Pius V nullum Beneficium excludit: aliunde qui suscipit aliquid, intelligitur illud acceptare cum onere ei adnexo: et talis revera videtur timoratorum praxis. Alii cum Sanchez volunt illud amplius non vigere; quia Beneficium, quod non præbet ne tertiam quidem partem sustentationis, in jure Canonico non reputatur pro vero Beneficio (c. *Is cui* 10 de præb. in 6); et sic Beneficiatus habetur tanquam non Beneficiatus; et proinde censetur eximi ab onere Officii. Alii cum Lessio tandem docent onus istud vigere saltem pro diebus dominicis et festivis; quamvis enim (ait Dens) nullos fructus percipiat, gaudet tamen beneficiatus aliis commodis, favoribus ac privilegiis, honoribus vel juri- bus, ex eo quod sit in possessione illius beneficii, alioquin beneficium totaliter interisset, et amplius non subsisteret: at hoc est contra suppositum. Nos controversiam melioribus relinquimus, illud Tullii usurpantes in hac re: *In utramque partem disserimus; de nulla re dijudicamus* (Acad. quæst. 4, 55). — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 674.

389. Ex illis autem quæ Breviario continentur, patet quanto nos obsequio illud venerari debeamus (res Dei est magna ex parte): neque tantum quoad cultum Ecclesiasticum, sed etiam quoad ipsa historica facta; cum notum sit pluries fuisse recognitum et emendatum, habito multorum sapientum consilio: *Attamen ita ut vetitum existimari non possit debita cum modestia et gravi fundamento quæ occurrunt in factis historicis, difficultates exponere, easque judicio Sedis apostolicæ supponere, ut eorum veritatem et robur perpenderit, si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem* (Ita Benedictus XIV, *De SS. beatificatione*, l. IV, p. 2, c. xiii). Sic ut commentitius habetur lapsus S. Marcellini qui commemoratur in R. Breviario die 26 aprilis. — V. Tillemont, Natalis Alexander, Sangallo, Noris, Pagi, Aguirre, Salzano, Papebrochio, alique plures.

390. Neque venerari solum, sed si adstricti, religiose persolvere debemus Breviarium. Audiatur Stapf, § 214: « Ex numero eorum, qui Breviarium contemnunt, vix unum deteges, qui aliis pietatis exercitiis sedulo incumbat. Plerique jam per exitiale frigus, quo tremendum Sacrificium aliaque Religionis mysteria tractant, nimium quantum pro-

dunt, quo spiritu imbuti sint! Idem de illis, qui ad recitandas Horas tempus sibi deesse aiunt. Hinc inde quidem fieri potest, ut ob congestos labores vix aliquid temporis supersit: ast mentiuntur, qui generatim nullum sibi tempus suppetere prætendunt; qui enim occupationes et res suas apte disponit, atque tempore sibi concessio prudenter utitur, certe etiam ad Breviarium apta spatia habebit: id quod experientia satis confirmat. Viri cordati, licet plurimis negotiis occupentur, raro tamen conqueruntur, sese ad dicendas Horas necessario tempore destitui, contra qui hunc temporis defectum obtendunt, plerumque per magnam diei partem vel vanis confabulationibus indulgent, vel in popinis commorantur, vel non solidæ doctrinæ, sed novellis levibusque scriptiunculis vacant, quibus sola fere curiositas nutritur, aut phantasia incalescit. » Veritate plenissima verba! Utique onus est Breviarium, si placet; sed tale onus qui sustinet omnia onera; siquidem jugis est oratio totius Ecclesiæ nomine facta, et Domini verbis ex magna parte composita. Sit quod Officium oneret; sed onerat nos, sicut onerant alæ aves, rotæ currum, hæculum senem et peregrinum, vela navem, medicina ægrotum.

391. In Ecclesiis quæ proprium breviarium habent et missale legitime, utpote 200 annis ante Bullam Pianam, potest Episcopus prohibere usum breviarii et missalis romani suis ecclesiasticis; ita Castropalaus et Bonacina auctoritate D. Caroli, qui id egit pro suis a Mediolanensi Diocesi; attamen pro illis tantum qui in designatis ecclesiis officia ambrosiano more obire debent. Neque enim ecclesiastici romani ritus possunt vel in illis ecclesiis ritu ambrosiano celebrare; cum conformitas quæ præscribitur, sit tantum quoad colorem ac solemnitatem; non vero quoad ipsam liturgiam. — *Quid si nullum sit præceptum episcopi?* utrum quis tunc possit *privatim* uti Breviario et missali romano, alii negant cum Bouix; ideo quia quisque sequi debet suæ ecclesiæ ritum. Imo Garcias citat declarationem S. C. R. Sed plurimi affirmant cum Sanchez, Salmant. et Pellizario; quia sic recitans se conformat Ecclesiæ Romanæ quæ est mater omnium; declaratio autem S. C. non habetur uti authentica. Diximus tamen *privatim*; quia publice in choro mutari non potest, etenim ad hanc mutationem Pius V requirit Capituli et Prælati consensum. — V. Bouix, *De jure liturg.*

Qui caret Breviario romano sed habet aliud, ut franciscanum, ambrosianum, teneturne ex illo recitare? Affirmat Concina, quia hic duplex est præceptum officii, unum universale de Floris persolvendis, aliud de servanda forma; unde qui non potest unum, servet aliud. Negant Salmant. quia præceptum officii est indivisibile, id est illud recitandi sub data forma; patet ex Bulla Pii V, ubi: *Nisi hac sola forma satisfacere posse*. Attamen, prima opinio ut magis pia et ratio-

nabilis mihi sequenda videtur. Certe autem religiosus factus episcopus potest uti breviario suæ diocesis; item Cappellani et commensales Cardinalium et Episcoporum possunt se eis conformare in Officio. S. R. C. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, nn. 158 et 161.

392. *Quid (quæres) præstat oratio Sacrosanctæ, etc. cum Pater et Ave, quando recitatur in Officii conclusione?* Leo X dicenti eam flexis genibus indulsit defectus et culpas per modum indulgentiæ in recitatione contractas; nempe veniales, addit Billuart, ita ut ab eo onere sic recitata eximat. Adeo ut, subdit Dens, defectus, v. g. commissi in recitatione Matutini, si post Matutinum dicatur *Sacrosanctæ, etc.*, non coalescant cum defectibus, quos postea eodem die quis committit in recitatione Primæ, Tertię, etc. Sed dici debet corde contrito; indulgentia enim supponit culpam remissam. In choro autem, docet Pellizarius, sufficit si recitetur ab uno, aliis respondentibus; omnibus tamen flexis genibus. — Ceterum Pius IX die 12 jul. 1856 ex speciali gratia clementer indulsit ut illa Oratio pro lucranda indulgentia, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint, sed infirmitatis tantum causa.

(J) Page 175.

393. Quoad formam in recitatione Horarum hoc maxime pertinet: — 1. ut (nisi agatur de Religiosis, aut de iis, qui vel contrarium privilegium consecuti, uti Mediolanenses; vel alia usi sint consuetudine 200 annorum) quilibet utatur Breviario Romano a Pio V. Bulla *Quod a nobis* 1568 edito, a Clemente VIII Bulla *Cum in Ecclesia* 1602 recognito, et ab Urbano VIII Bulla *Divinam psalmodiam* 1631 expurgato: secus non faceret satis muneri suo. Huic Breviario omnia alia exemplaria conformari debent (V. Appendix II, vol. 1, v^o *Breviaria, Officium.*) Non est autem mirum, si Sacerdos quilibet vicem salutantis ac resultantis Ecclesiæ solus expleat dicens: *Dominus vobiscum*, subindeque respondens: *Et cum spiritu tuo*; rursusque et ejus vicem gerit. Ita S. Petrus Damiani, Opusculo cui titulus, *Dominus vobiscum*, c. x. Et Benedictionem solus petat et reddat; nam per unitatem fidei Sacerdos tota Ecclesia est. Porro *Dominus vobiscum* dicitur tantum a Sacerdote et Diacono, qui non sint majori excommunicatione irretiti: ceteri ejus loco dicant: *Domine, exaudi orationem meam, etc.*; ita ex recepta ubique consuetudine. *Gavantus*; — 2. ut officium recitetur currentis diei ad præscriptum kalendarii propriæ Diocesis: qua in re a Rituum Congregatione 23 maii 1835 fuit postulatum: « An in casibus dubiis adhaerendum sit kalendario Diocesis sive quoad Officium

publicum et privatum, sive quoad Missam, sive quoad vestium sacram colorem, etiamsi quibusdam probabilior videatur sententia kalendario opposita? et quatenus affirmative, an idem dicendum de casu quo certum alicui videretur errare kalendarium? Responsum fuit: *Standum kalendario*: » et merito ne scilicet ob unius alteriusque sententiam ordo perturbetur.

394. *Quid (quæres) si quis Officium unius diei in aliud mutaverit?* Si inadvertenter id egit, nullum erit peccatum, neque urgebit obligatio Officium repetendi; quia non præsumitur Ecclesia aliquem velle bis in die ad tale onus obligare: ita communiter cum Croix, Collet, Concina, etc.; in tali igitur casu pro axioma habetur vulgare illud: *Officium pro Officio*. Quod multo magis currit, si causa adsit mutationis, ut si dicas Lectiones de Feria, quia Lectiones de Sancto non habes. Erit tamen observandum, quod si Officium persolutum sit notabiliter brevius, v. g. si Officium Sancti pro Officio Dominicæ sit recitatum, fiat aliqua compensatio, recitando v. g. novem Psalmos ex primo Nocturno; id enim rationi consentaneum est.

Si vero mutatio sit facta advertenter et sine causa, tunc si Officium currentis diei mutatur in aliud notabiliter brevius, erit mortale, quia non impleteret præceptum neque in sua forma neque in æquivalenti: unde adhuc urgeret obligatio Officii. Hinc Alexander VII damnavit hanc sub n. 34 propositionem: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto*. Quod si mutetur advertenter et sine causa in aliud ferme æquale, quale peccatum sit, adest hinc inde duplex plurimorum et satis probabilis sententia; æquius tamen videtur dicendum cum Elbel, Roncaglia, Sporer, Viva aliisque, esse mortale, si mutatio sit frequens, et ideo non satisfieri; veniale vero, si mutatio fiat raro, v. g., ter vel quater in anno. Ratio, est quia si mutatio raro contingat, non graviter perturbatur ordo recitationis; e contrario si contingat, sæpe, evaderet gravis perturbatio ordinis; et licet quælibet variatio seorsim sumpta sit venialis ratione parvitas materiæ, omnes tamen intra annum coalescant, et graviter perturbant ordinem Breviarii præcepti pro totius anni Officiis, quæ simul sumptæ unum complexum faciunt. Quæ tamen Officii mutatio non esset neque venialis si fieret ex rationabili causa, nempe studii, exercitiorum (ut cum communitate quisque se conformet; sed semper religiosis exceptis, quia isti tenentur ad Breviarium proprii Ordinis vi professionis), itineris, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 161; et *Homo Apost.*, Append. III, n. 71.

Si vero error contingat in ipsius Officii parte, ut si bis dicas Completorium et omittas (non advertens) Vesperas; non videtur unum per

aliud suppleri, sed cum advertis teneris ad Vesperas dicendas; ne una Officii pars omittatur.

(K) Page 183.

395. *Quænam sunt remedia contra distractiones in Officio?*

R. Remedia contra distractiones in Officio sunt negativa et positiva. *Negativa* sunt subtractio eorum, quæ distractionum sunt causa, v. g., impedire quominus oculi circumvagantur, a graviori hominum strepitu se subducere, ad negotia diversa non properare, etc. *Positiva* vero sunt procuratio eorum, quæ attentionem per se excitant, v. g. elicere sub initio intentionem laudandi Deum, hanc renovare sub fine Psalmorum, meminisse sapius præsentia Dei, mysteria illa sibi exhibere, quæ per septem Horas representantur, etc. Alii aliis utuntur remediis; sic optimum est, quoad potest, Officium oculis legere; oculis frænatis, facilius et mens frænatur a vagationibus; identidem considerare magnam quam agimus, actionem; non enim alloquimur hominem, sed Deum, et quidem Dei verbis utendo; concipere animo ex una parte ad stare nobis recitantibus Angelum custodem qui merita nolet, ex altera dæmonem, qui demerita scribat, etc. — V. Liguori, *La Messa e l' officio strapazzati*. — *L'Ecclesiastico novello santificato coll' attenta recitazione del divino Officio*, ecc. — *Avis et règle pour bien réciter l'office divin*.

Ceterum ad auferendas anxietates, observandum, ut quis dicatur Officio minime satisfacisse ob habitas distractiones, non sufficit, ut voluntarie distrahatur, sed insuper requiritur, ut plene advertat, se distrahi ab Officio in materia notabili (nisi agatur de habituato in hisce admittendis distractionibus, qui scilicet nunquam fecerit quantum in se est ad habitum vincendum); nam intentio prius deliberate concepta Officium persolvendi perseverat quousque non retractetur per contrariam plenam advertentiam circa ipsum Officium. Ita Cajetanus, Concina, Croix, Gobatius, Navarrus, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Suarez alique. Imo complures etiam tradunt ne oportere quidem, ut quis tota semper eo tendat animi sollicitudine: cujus quidem doctrinæ fundamentum est, quod impossibile ferme sit omnes omnino distractiones vitare, et præsertim studiosis, quorum exercitia sunt præcipue in intellectu, qui ex assiduis occupationibus ita sæpe inflectitur, ut veluti calcaribus adjectis in suas controversias prolabatur. Quæ omnia diximus præsertim ad scrupulosorum levamen: videlicet quamvis Officium recitans advertat semiplene ad distractionem, et sic peccet venialiter; adhuc tamen satisfacit, quia semper perseverat attentio prima

sive intentio attendendi, donec cum plena advertentia non fuerit revocata. Nam, si res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvi debet, uti fert juris adagium, intentio cum plena deliberatione prius concepta, tolli non potest, nisi cum alia item plena deliberatione retractetur. Hinc commune est, quod si quis advertens se distractionibus teneri, adhibeat contra illas mediocrem diligentiam, nullo modo peccat.

396. *An peccet qui recitat Officium vel in mortali, vel non servando Rubricas in stando, genuflectendo?* etc.

R. Ad 1: Verius et communius, qui Officium recitat in mortali existens, satisfacit et non peccat mortaliter; quia ex una parte non exercet actum Ordinis sacri: ex alia quamvis nihil mereatur de condigno, quia tamen orat nomine Ecclesiæ, bene pro aliis obtinet; cum Ecclesia suppleat. Unde quod oret nomine Ecclesiæ in mortali existens, non videtur irreverentia de mortali damnanda.

R. Ad 2: In Choro recitantes Officium probabilius peccant, si absque causa cæremonias non servant, quia agerent contra Rubricam: hæc tamen omissio, ut dicunt, non excedit veniale ex materia parvitate. Verum extra Chorum commune est, non peccare qui ritus illos non servat, quia Rubrica respicit tantum recitantes in Choro: laudabiliter tamen hæc servantur ad fovendam devotionem. — Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 178.

An (quæres) teneatur socium adhibere, qui non valet solus Horas recitare? — Affirmative, si illum invenire potest; hoc enim in casu non potest dici quod vera sit impotentia, cum socium adhibere sit medium ordinarium ac facile. Si tamen socium habere non possit, nisi stipendio soluto, ad illum conducendum non tenetur qui nullum possidet Beneficium; cum nihil debeat ob officium, qui nihil ad officio percipit. An autem teneatur Beneficiatus socium pretio conducere ex fructibus Beneficii, adest duplex opinio probabilis: affirmativa est communior et tenenda, si ille velit fructus percipere; quia cum sola probabilitate nequit possessionem fructuum inchoare, ut recte aiunt Concina, Lessius, Sotus, Tournely, etc. Hæc si adhuc fructus non perciperit: si enim talis Beneficiatus omisit Officium, eo quod non adhibuit socium, et in bona fide fructus jam perciperit, potest eos retinere; quia melior est conditio possidentis. — V. Liguori, *Hom. Ap.*, app. 3, n. 76; *Op. Mor.*, l. IV, n. 158.

397. *Quid (quæres) de eo qui certus quidem est se non posse recitare Officium totum, dubitat tamen, an possit saltem recitare partem?* — Iste generatim loquendo ad partem circa quam dubitat tenetur; nam in dubio standum est pro obligatione, cum certa sit et possideat. Diximus generatim loquendo; si enim agatur de infirmo,

qui ob suam infirmitatem certus est, se non posse totum Officium recitare, et anxie dubitat, an possit partem, rationabiliter docent ipsum ad nihil teneri Bouix, Lugo, Navarrus, Roncaglia, Sanchez, Viva, Croix, Layman, Cardenas et alii. Ratio quia aliter scrupulis et anxietatibus infelix ille nimium excuteretur nesciens quousque possit, aut non possit recitare: ex quo certe oriretur in homine conscientia timorata (talem enim supponimus) magna inquietudo, quæ magnum utique incommodum secum affert; tum quoad animam, eam perturbando; tum quoad corpus, physicam ejus indispositionem augendo. Ad rem Billuart: postquam docuit eum, qui non potest totam legem implere, teneri ad partem in re divisibili, excipit: *Modo terminus potentia et impotentia non sit incertus et ambiguus, sicut, v. g., in infirmis, in quibus vix ac ne vix determinari potest, quid possunt, usque quo possunt, et non ultra. Unde si dum non possunt totam legem implere, tenerentur ad partem, foret locus gravissimis scrupulis et continua perplexitas in determinanda parte, ad quam tenerentur; et ideo jure præsumitur de mente æqui legislatoris, quod non velit in similibus casibus obligare ad partem. Ita graves Theologi. Liguori, n. 134.*

Quid dices de eo, qui in recitatione Breviarii syllabas mutilat? Si ista mutilatio est in tali quantitate, ut sensus verborum notabiliter varietur, qui sic voluntarie Officium recitat, non poterit excusari a mortali, casu quo quantitas illa sit gravis in ordine ad ipsum Officium; neque ideo ab onere repetendi partem, in qua sensus fuit corruptus. Quid vero si id fiat involuntarie, scilicet ob halbutiem vel inveteratam consuetudinem et adhuc agatur de gravi quantitate relate ad totum Officium? Si studeat se emendare, ad nihil amplius videtur teneri: ubi enim nulla culpa, nulla poena; fecit enim quod in se est (Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 165).

Sed quid dices de eo, qui socium syllabas mutilantem sibi suscipit in Officii recitatione? R. Ille non tenetur Officium repetere, nisi certo constet socium ita syllabas mutilasse, ut pro notabili parte sensus notabiliter mutatus sit; præsumptio enim stat pro debita recitatione. Putamus tamen eundem minime excusari a veniali, si sponte tali socio uniatur: excipe nisi adsit causa rationalis, ut esset, v. g., si a Superiore, vel a persona gravi ad id invitetur. — Certum est autem, eos non satisfacere, qui alternatim recitando non expectant versus absolvi, si hoc fiat in magna quantitate; quia tunc una pars alteri non succedit. Et hoc caute notandum est: quot enim sunt qui tam insignem orationem præcipitanter agunt, invocantes non utique Dei benedictionem, sed potius maledictum?

An (quæres) qui cum aliis choraliter recitant Officium majus,

aut defunctorum, etc., teneantur supplere omissa, si dum alii cantant, ipsi se parant ad celebrandum, aut transferunt libros, requirunt Psalmos, thurificant, pulsant campanas, vel alia Choro necessaria agant?—Affirmant Bonacina, Navarrus, et Vasquez; unusquisque enim tenetur ad partem suam: nisi, excipit Holzman, sit modica materia omissa, v. g., quæ ad integrum Psalmum non pertingat. Sed communiter et satis probabiliter negant Azorius, Anacletus, Croix, Layman et alii; nam dum aliquis occupatur in rebus ad Officii celebrationem pertinentibus, totus Chorus pro eo supplet: prout qui Missæ inservit, censetur eam audire, dum in re necessaria paranda attendit. Item probabiliter satisfacit qui dum alii recitant, tussit vel excreat, etsi integer Psalmus interim dicatur: non tamen satisfacit qui Choro alternatim respondet, tantum organum pulsando, quin versiculum suæ partis proferat; quia organum verba non profert. Item neque satisfacit qui devote audit Horas dum musici cantant, quia talis audiens non orat vocaliter, nec musicorum orationem facit suam, cum non alternet cum illis. — V. Liguori. *Op. Mor.*, l. II, n. 143.

398. Pauca pro choronide de *Officio B. M. Virginis, de Officio Defunctorum, Psalmis penitentialibus et Gradualibus*. Qui utitur Breviario romano, non habet obligationem extra Chorum recitandi Officium defunctorum (excepto die Animarum). Psalmi penitentiales et gradualis, in choro suo tempore dicuntur. Est obligatio recitandi, sed in choro tantum et suis temporibus, Officium B. M. Virginis, si jam ab ætate Pii V vigeat consuetudo; ita Pius V Constitutione *Quod a nobis* 1751, ubi concedit centum dies Indulgentiarum obligatis si recitant Officium B. V. et Defunctorum: et quinquaginta dies, si recitent Psalmos penitentiales et gradualis; non obligatis autem concedit tantum quinquaginta in primo casu, quadraginta dies in secundo, ex Constitutione *Superni* 1571. Ex eodem Pontifice ad Officium B. V. tenetur quotidie qui pensionem obtinet uti Clericus (si nempe ideo sit necessaria tonsura), idque sub onere restitutionis fructuum ad ratam, si illud omittat.

1. *Officium B. M. Virginis* perantiquum est; nam jam ab anno 728 Jeannes Damascenus illud cantabat; sed postea cum in desuetudinem venisset, de novo in pristinum restituit S. Petrus Damiani. Illud autem recitandum est, prout notat Breviarum, juxta temporum varietatem, nihil addendo, nihil imminuendo: sic tempore Passionis adhuc dicitur *Gloria Patri* suis locis; tempore paschali dicuntur omnes antiphonæ ad Psalmos; neque addendum *alleluia* invitatorio, antiphonis, responsoriis, etc. Ante quamcumque Horam dicitur *Ave Maria*, et ita fiat in fine ultimæ Horæ, quoties terminatur Officium. Ceterum laudabilius, etsi non de præcepto, aliæ preces in fine et principio adduntur ad

fovendam devotionem, ut notatur in libro ad usum Confraternitatum.

2. *Officium defunctorum* antiquissimum est; et quamvis ejus institutio, ut nunc est, ignoretur, constat consuetudinem speciales preces pro defunctis effundendi ab ipsis Apostolis emanasse. Durandus hujus Officii institutionem refert ad Origenem; alii ad S. Isidorum; alii ad D. Augustinum. Quidquid sit, certe illud perantiquum esse, et ex apostolica traditione varia fuisse pro defunctis Officia apud Melchitas, Cophtos et alias orientales nationes. — Hic unum notamus pro praxi, ut nempe hoc Officium sicut et cetera, ea qua par est devotione absolvamus, ne aliis scandalum et nobis inferamus ruinam. Ad quod quidem assequendum, plurimi (inter alia) confert, si *asteriscos* studiose observemus; illi enim et expectant qui retardant, et retinent qui currunt, et voci vim addunt, et psalmodiam nostram concordem, unissonam, armonicam ac devotam faciunt (Asteriscus est a græco *aster* stella, quia nempe præ se fert stellæ formam). — V. Ferraris, v^o Officium defunctorum.

3. *Psalmi pœnitentiales*, qui scilicet nos ad pœnitentiam movent, sunt numero septem: et merito, ut sic expurgati a septem vitis capitalibus septiformis Spiritus S. gratia illustremur. Illi videntur fuisse in usu ante S. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur. Psalmi pœnitentiales clauduntur Litanis majoribus: porro litania est a græca voce *litaneon*, quæ indicat orationem ardentem. Litanie aliæ dicuntur *maiores*, uti sunt quæ dicuntur die S. Marci; aliæ *minores*, quæ in diebus Rogationum, etc.; aliæ *breves* in animæ commendatione; aliæ *Lauretane* quæ dicuntur in honorem B. V., ideo dictæ quia canuntur in æde Lauretana. Litanie Sabbati sancti et Pentecostes præcipiuntur duplicandæ seu integræ repetendæ a respondentibus; non autem ceteræ. In casu Extremæ Unctionis Psalmi pœnitentiales cum Litanis recitantur ab adstantibus: hoc tamen non est de præcepto, etsi plurimum conferat ad divinam opem implorandam pro infirmo, et ideo Rituale id notet.

En Litanias ab Ecclesia adprobatas uti publicas preces, ideo solas usurpandas in sacra liturgia ex declaratione S. R. C. 15 mæi 1608. Ceteræ autem, si a censore adprobata, quæ passim reperiuntur in libris devotis, privatim recitari possunt, nec prohibentur; sic Sixtus V recitantibus Litanias SS. Nominis Jesu concessit 300 dies indulgentiæ. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Litanie, Rogationes. — Dens, *Theolog.*, de Horis Canonicis, n. 27.

4. *Psalmi Graduales*, uti dicunt plures, canebantur in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis; et nos recitamus ut totidem gradus, quibus ascendimus ad Deum. Juxta nonnullos primi quinque dicuntur pro defunctis, alii quinque pro nobis et amicis, postremi

quinque pro omnibus fidelibus. Juxta alios in primis meditatur corruptibilia, in secundis cœlestia, in ultimis divina. V. *Cavantus*, *Merati*, *Cavalleri*, *Bona*, *Durandus*, *Bellarminus*, *Quarti*, *Barufaldus*, *Catalani*, *Fornici*, etc., etc.

(L) Page 190.

399. Votum indicat in sensu lato tum *desiderium*, quo sensu dicitur Baptismum in voto; tum *suffragium*, quod tribuitur in electionibus; tum *propositum*, quod quidem est simplex voluntas aliquid faciendi. «Vulgus (ait S. Alphonsus, *Praxis Conf.*, c. II, n. 25) sæpe confundit desideria aut proposita cum votis. Ad hæc distinguenda parum juvabit eum interrogare, ut nonnulli solent, an unquam habuerit intentionem se voto obstringendi sub gravi peccato? siquidem rudes sic interrogati facile negant. Satius erit interrogare, si tunc cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum fuisse, an non, si postea non satisfacisset.» In dubio, nemo ligandus.

Votum vivendi juxta christianas leges emissum in baptisate, non nisi late dicitur tale; proprie enim in omnium sensu illud est tantummodo declaratio voluntariæ susceptionis legis christianæ, quæ per baptismum ipsum fit.

400. Fideles monendi sunt, ut matura utantur deliberatione, Confessarii que judicium expostulent, antequam verum votum emittant. Frequenter accidit, ut quis in magno devotionis ardore, vel in aliqua gravi calamitate vota concipiat: at illis accidentibus transactis, actiones promissæ nimis difficiles videntur, et peccaminose omittuntur.

Quoad *puellas* vero, quæ virginitatem suam Jesu consecrare cupiunt, non permittat Confessarius eis castitatem perpetuo vovere, nisi cognoscat eas bene fundatas in virtutibus et edoctas in vitæ spiritualis regulis, et præcipue in oratione exercitatas. Mulieres enim, et maxime puellæ leves sunt, quæ de facili mutantur aversantes hodie quod heri ardentè promiserunt; hinc effatum: *Quid vento levius? folium; quid folio? homo; quid homine? mulier; quid muliere? nihil.* Ideo puellæ bene probentur prius; ac sub initio eis tantum permittatur, ut castitatem voveant per aliquod definitum tempus, nimirum a solemnitate alicujus festi ad aliam alterius festivitatis: et hoc maxime præstat, ut cum Clericis observetur, ut sic suo tempore valeant securius votum perpetuum vovere. V. Liguori, *Praxis*; et *Homo Apost.*, tract. ult., n. 40.

Quoad modum vero votum emittendi audiendus Salesius (I. VI, epist. 88). «Considérez combien la sainte chasteté est une vertu agréa-

ble à Dieu et aux anges, ayant voulu qu'elle fût éternellement observée au ciel, où il n'y a plus aucune sorte de plaisirs charnels ni de mariage. Ne serez-vous pas bien heureuse de commencer en ce monde la vie que vous continuerez éternellement dans l'autre? Bénissez donc Dieu qui vous a donné cette sainte inspiration. — Considérez combien cette vertu est noble qui tient nos âmes blanches comme le lis, pures comme le soleil; qui rend nos corps consacrés, et nous donne la commodité d'être tout entièrement à sa divine majesté, cœur, corps, esprit et sentiments. N'est-ce pas un grand contentement de pouvoir dire à Notre-Seigneur: *Mon cœur et ma chair tressaillent de joie* (Ps. LXXXIII) en votre bonté, pour l'amour de laquelle je quitte tout amour?... — Considérez que la sainte Vierge voua la première sa virginité à Dieu, et, après elle, tant de vierges, hommes et femmes... Humiliez-vous fort devant la troupe céleste des vierges, et par humble prière suppliez-les qu'elles vous reçoivent avec elles, non pas pour prétendre à les égaler en pureté, mais au moins afin que vous soyez avouée leur servante indigne en les imitant au plus près que vous pourrez. Suppliez-les qu'elles offrent avec vous votre vœu à Jésus-Christ, roi des vierges, et qu'elles lui rendent agréable votre chasteté par le mérite de la leur. Surtout recommandez votre intention à Notre-Dame, puis à votre bon ange, afin que désormais il lui plaise d'un soin particulier préserver votre cœur et votre corps de toute souillure contraire à votre vœu. Puis le jour fixe, lorsque le prêtre élèvera la sainte hostie, offrez avec lui à Dieu le Père éternel le corps précieux de son cher enfant Jésus et tout ensemble votre corps, lequel vous ferez vœu de conserver en chasteté tous les jours de votre vie. La forme de faire ce vœu pourrait être telle:

« O Dieu éternel, Père, Fils et Saint-Esprit, je, N., votre indigne « créature, constituée en votre divine présence et de toute votre cour « céleste, promets à votre divine majesté, et fais vœu de garder et « observer tout le temps de la vie mortelle qu'il vous plaira de me don- « ner, une entière chasteté et continence, moyennant la faveur et « grâce de votre Saint-Esprit. Plaise à vous accepter ce mien vœu « irrévocable en holocauste de suavité; et, puisqu'il vous a plu « m'inspirer de le faire, donnez-moi la force de le parfaire à votre « honneur, pour tous les siècles des siècles... » *Il faut que vous ayez un grand respect à votre corps, non plus comme à votre corps, mais comme à un corps sacré, à une très-sainte relique. Et comme on n'ose plus toucher ni profaner un calice après que l'évêque l'a consacré, ainsi le Saint-Esprit ayant consacré votre cœur et votre corps par ce vœu, il faut que vous lui portiez une grande révérence.* » Quæ oratio, etsi votum fiat ad tempus, usurpari poterit, verba mutando.

(II) Page 203.

401. *Quid (dices) si dubitetur, utrum tempus appositum fuerit ad finiendam voti obligationem, an vero ad eam sollicitandam? Vel agitur de votis personalibus, vel agitur de votis realibus.*

Si 1, vovens non ligatur post elapsum illud temporis spatium; quia in votis personalibus usu communissimum est, tempus censi appositum ad obligationem finiendam, nisi constet de contrario: unde sic vovens non tenetur satisfacere pro diebus transactis. Quare si tu vovisti, v. g., Missam audire tali die, hoc die transacto sine Missa sive culpabiliter sive inculpabiliter, ad id non amplius teneris, si dubitetur an tale tempus sit appositum ad finiendam, vel sollicitandam voti obligationem; quia cum agatur de voto personali, dies ordinarie censetur designatus ad obligationem finiendam. — Si 2, adhuc vovens ligatur; nam in votis realibus tempus censetur appositum ad sollicitandam dumtaxat obligationem (excipe nisi tempus illud potiorum habeat cum voto relationem). Sic, v. g., si tu vovisses dare eleemosynam in sabbatis per annum, nulla habita relatione speciali illius anni, teneris semper supplere pro anteactis sabbatis omissis, quia cum res sit de votis realibus, dies censetur appositus non ad finiendam, sed ad obligationem sollicitandam. Excipimus casum, quo votum haberet specialem relationem ad diem, ut si voluisses dare eleemosynam in hebdomada Jubilæi, vel in sabbatis per annum, quia in illo anno gratiam recepisti. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 220.

402. *Quid si vovens ipse in causa sit, ut conditio in voto ab ipso posita, cesset? uti si, v. g., Titius voveat Religionis ingressum, si pater approbet; deinde vero ipse Titius patris consensum impedit? Si ita vovens conditionem impedit rationibus vel precibus, non peccat; quia patri adhuc liberum est quod voluerit deliberare. Peccat vero, si conditionem impedit fraude vel vi, quia vera ipse causa esset impedimenti illius: probabilius tamen dicunt Azor, Filiucius, Suarez, etc., eum tunc a voto liberum manere: quia jam non impletur conditio apposita. Vid. Liguori, *Op. Mor.* III, nn. 218 et seq. Tota enim obligatio hac de re pendet ab intentione voventis: unde satis est si eum poeniteat, eo quod conditionem impedit, quia in hoc peccavit. Nempe per conditionem appositam jam primitus vovens sibi reservavit votum inane facere: si sine causa id agit, peccat utique, quia nihil sine causa agendum est; tamen ad illud non tenetur, quia de facto non impletur ab ipso apposita conditio: neque ulla lex in contrarium citari valet. Sed aiunt quod si adhuc currit tempus utile vo-*

tum emittendi, tenetur fraudem auferre; alioquin inanis foret et nugatoria illius pœnitentia. — Idem dicendum est, si pater illico consentiat et illico dissentiat (*oui, non*): tunc nempe adhuc standum est pro dissensu: neque enim attenditur præceptis ac subitus ille consensus, cum non habeatur uti consummatus et perfectus, utpote eodem fere temporis puncto retractatus a patre.

403. *Ad quem pertinet voti implementum?*

R. Vel agitur de voto personali, vel de reali, vel de mixto. Si 1, voti implementum pertinet ad ipsum voventem; hoc ipso, quia non respicit nisi illius personam: hinc S. Rituum Congregatio 18 ap. 1643 declaravit, *communitates vel universitates Civitatum seu locorum non teneri ex præcepto servare festa ex voto earundem indicta; cum ex præcepto teneantur tantum personæ voventes*. Excipe nisi festum indietum sit per statutum seu legem, sed cum Episcopi approbatione; cuius est cultum in propria Diocesi ordinare et approbare. Hinc patet etiam quid dicendum de parentibus qui Religioni devovent filios: ad nihil aliud tenentur, nisi ad eam filiis suadendam. Si 2, obligantur etiam hæredes, non tamen ultra vires hæreditatis; quia votum reale afficit ipsam rem ad quoscumque pervenerit. Si 3, obligantur hæredes pro parte qua votum reale est; semper tamen libera manente legitima, quæ nullo onere gravari potest: et notandum, vota realia esse solvenda post debita iustitiæ, sed ante legata; nom fortius ligant.

Hinc resolve casum: *Testator voverat instituere peregrinationem ad montem Varalli, ibique donare lampadem argenteam, ad quid tenetur hæres?* Tenetur dare lampadem; ad peregrinationem non tenetur, nec dare expensas itineris quas fecisset testator, quia illæ sunt quid accessoriæ respectu voti personalis peregrinationis. Quod si testator mandaverit in lecto mortis hæredibus, ut persolvant orationes et peregrinationes, quas ipse debebat ex suo voto personali, tunc si hæredes acceptaverint, obligantur ex fidelitate: si non acceptaverint, non obligantur nisi in quantum moriens poterat eos mandato suo (etiam extra casum voti) obligare in materia illa post mortem. Item si testator sub ea conditione reliquerit hæreditatem voluntariam, non necessariam, hæres eam acceptans tenetur conditionem implere. *Sylvius, Dens, ex cap. Licet de voto*

404. *An (quæres) si quis nimis pronus ad vovendum voveat non amplius vovere nisi cum licentia confessarii, si postea voveat, v. g., jejunium, valeat hoc votum?* Dico cum Layman, primum votum est quidem validum cum sit de meliori bono; et iterum vovendo peccavit, quia fecit contra promissum; at primo voto non obstante, tenetur ad secundum quod cum habeat objectum bonum, satis est

validum. Excipe, nisi ille statuerit nolle futura vota valere, nisi de facto accesserit confessarii consilium, et statutum hoc nec expresse retractaverit, nec virtualiter, scilicet si memor primi voti, secundum nihilominus emitteret. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 210.

405. *Quid vero (addes) si quis duo vota impossibilia emiserit, v. g. vovit se cras peregrinaturum ad montem Varalli, et postea vovit se eodem die peregrinaturum ad alium montem omnino diversum?* R. Servare debet quod dignius est, etsi posterius factum, censetur enim votum commutatum in melius. Si sint ferme equalia, vel si dubitetur, tunc prius posteriori præferat; illud enim possidet. *Layman.*

Q. *Quid de voto rei partim possibilis, partim impossibilis?*

R. In primis attendenda et intentio voventis, quæ quidem est causa voti, sicut intentio legislatoris est anima legis. Ideo videndum, num illus intentio sit, ut deficiente una parte, et alia censeatur deficere, an ex adverso. Si de intentione non constet, en regulæ cum Sporer:

1^a *Regula*: quando partes voti sunt divisim sine dependentia ad invicem, ita ut singulæ partes sint per se materia voti virtute quasi multiplicis, tunc si una pars sit vel fiat inepta, impossibilis vel minus bona, votum valet, et obligat ad partem remanentem possibilem et bonam, juxta illud: *utile non debet per inutile vitiari*: intellige, si utile ab inutili separari possit. Hinc qui vovit dare 100, si factus impotens non possit dare nisi decem, tenetur. Quod quidem dicendum de votis pœnalibus et afflictivis immoderate factis, quæ non obligant quoad excessum moraliter impossibilem; in reliquo obligant.

2^a *Regula*: quando partes voto promissæ sunt copulatim per modum unius totius, ita ut obligatio unius partis pendeat ab obligatione alterius ac totius promissi, tunc deficiente parte una, deficit et alia; nam tunc voventis intentio non est, nisi de toto, seu de re indivisibili. Hinc qui vovit jejunare pro defunctis, sed in die Animarum, si eo die sit legitime impeditus, non tenetur ad id alia die. Materie voti tum ex natura rei tum ex hominum astinatione judicantur promitti in sensu vel diviso vel composito seu per modum unius. Sic ex natura sua copulatim promittitur ædificatio Ecclesiæ, et ex astinatione hominum abstinentia a carnibus et a secunda refectio in jejunio. Sic ex natura sua divisim promittitur pecuniæ summa, et ex astinatione hominum Psalterium Virginis.

3^a *Regula*: videndum quid in voto sit principale, ut habeatur ratio illius regulæ; *ruente principali, ruit et accessorium*, non e contrario. Hinc qui vovit se peregrinaturum nudis pedibus, si postea non possit hoc modo peregrinari, vel quia indecens, vel quia ferre est impossibile, adhuc peregrinationem perficere tenetur; nam peregrinatio

censetur principaliter promissa. E contrario vero, non si possis peregrinationem agere, non teneris tali die nudis pedibus stare; quia hoc non nisi accessorium est.

(N) Page 310.

406. *Quæres: Reviviscitne votum primum, quando opus secundum post factam commutationem redditur impossibile? —* Vel voti commutatio peracta fuit auctoritate Superioris; vel peracta fuit privata voventis auctoritate. Si 1, non amplius reviviscit votum primum; quia auctoritate Superioris per dictam commutationem remansit extinctum: hinc si a Superiore pro eleemosyna voto promissa subrogatum est jejunium tali die designato, si tunc jejunare nolueris, peccasti; sed non amplius teneris ad eleemosynam. Si 2, reviviscit, quia privata auctoritas non valet extinguere rem semel promissam, sed illi tantummodo abunde valet satisfacere; ideo si primæ obligationi satisfieri possit, adhuc ipsa remanet, licet opus secundum factum sit impossibile: quod certum est.

407. *An commutato voto reservato, materia subrogata etiam reservata sit?* Affirmat Azorius: sed communiter et probabilius negant Layman, Sanchez, Suarez alique; quia licet materia subrogata habeat idem vinculum voti, attamen non habet idem vinculum reservationis, cum hoc materia subrogata non ferat. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 258.

408. *An Pontifex possit dispensare in votis solemnibus?*

R. Communius et probabilius est cum Angelico, Pontificem posse dispensare in votis solemnibus quoad Religiosos et Clericos in Sacris.

1. *Quoad Religiosos*: non quidem hoc sensu, ut simul sint conjugati et monachi remaneant; nam votum castitatis est de Religionis essentia: sed quatenus eos a professione nomine Dei solutos declarat, urgentissima causa interveniente, nimirum ob bonum commune Ecclesie, regni aut provincie. Quod quidem Pontifici recte censetur a Deo concessum, cui Deus totius Ecclesie regimen concessit. Et hoc sensu Pius VII, referente Bouvier, cum pluribus dispensavit.

2. *Quoad Clericos in Sacris*; nam debitum continentie non est essentialiter adnexum Ordini sacro jure divino; cum Ordo utique sine eo consistere possit, ut patet exemplo Græcorum. Sed sola Ecclesie ordinatione vel immediate per illius præceptum, vel mediate per votum quod in Ordinatione implicite emittitur, ut docet probabilius S. Thomas. Unde Romanus Pontifex bene poterit Clericos, licet in Sacris, solvere ab hac gravi obligatione, sive declarare nomine Dei eos absolutos. Communiter tamen cum Salmanticensibus excipiunt Sacer-

dotes, quibuscum dispensare semper magna indecentia est. Attamen Continuator Tournely refert Benedictum IX permisisse Ramiro presbytero, et religionem professo, ut labentem Arragonie prosapiam editis liberis excitaret. Et Julius III cardinali Polo legato in Anglia facultatem fecit dispensandi cum presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui tempore anglicani schismatis matrimonium de facto attentarunt, ut si uterque eorum superstes maneat, inter se legitime contraherent, sed omni Ordinum exercitio sublato. Et Pius VII in Constitutione confirmatoria *Concordati* 15 aug. 1801, declarat se per Breve vestigia secutum esse Julii III circa ecclesiasticos viros, qui in Sacris constituti, tempore revolutionis gallicane matrimonia attentarunt. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 256; l. VI, n. 807, 808, 1025 et 1059. It. *de Ordine*, ubi de calibatu.

409. *An votum emissum in utilitatem tertii possit dispensari?*

R. Votum, si fuit emissum principaliter in utilitatem tertii et iste tertius sit determinatus, v. g., talis pauper, talis Ecclesia, nullimodo potest dispensari, ubi semel a paupere vel rectore illius Ecclesie acceptatum sit; nam ille pauper, illa Ecclesia, verum jus acquirit, quo citra injuriam sine consensu partis expoliari non potest. Diximus si acceptatum sit; nam ante acceptationem non consummatur traditio. Diximus si fuit emissum principaliter in utilitatem tertii; aliter enim esset, si sit emissum principaliter in Dei honorem: tunc tertius non acquireret verum jus ad rem promissam, nisi dependenter a Dei voluntate, quæ quidem relaxari potest. — Multo minus potest dispensari promissio mutua, ut contingit in votis et juramentis perseverantiae, quæ fiunt ab aliquibus Congregationibus: nam illa tunc assumunt rationem contractus, nempe Congregatio se obligat ad sustentandum subditum, et hic ad inserviendum. Et ita declaravit Benedictus XIV, Bulla *Convocatis*, anno 1748: quod confirmavit Bulla *Inter præteritos*, anno 1749.

(O) Page 318.

410. A Clemente XI, Bulla *Unigenitus*, damnata fuit hæc sub n. 401 propositio: *Nihil spiritui Dei et doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis et idiotis, et efficere ut nomen et veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.* — Et Pseudo-synodus Pistoriensis a Jansenistis consarcinata ausa est tradere: 1. *Jurare sine extrema et ineluctabili necessitate esse actum irreligiosum, documentis divini Præceptoris,*

et aureæ simplicitati Evangelicæ contrarium; 2. juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse a SS. Patribus, et ideo improbanda ea quæ Curia Ecclesiastica... in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit. Sed sub n. 75 utraque propositio a Pio VI, Bulla Auctorem fidei, proscripta fuit tamquam falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris Ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.

Ceterum etsi juramentum res bona est, non ideo illud expedit frequenter usurpare; non enim expedit, nisi debitis fulciatur conditionibus, inter quas illa est, ut nemo temere usurpet sanctum Dei Nomen. Hinc divus Thomas juramentum comparat medicinæ ad sanandum efficaci, quæ quanto est salubrior si debite sumatur, tanto magis nocet si eam quis temere recipiat. Hac de causa Christus juramentum indiscriminatum prohibuit: res erat cum hypocritis Pharisæis, qui in omni re temere juramentum usurpare in more habebant. Et revera (ait Stapf, § 237), homines pii, dum ipsis a iudice juramentum imponitur, nonnunquam tanto horrore corripiuntur, ut, quamvis omnes condiciones legitimi juramenti adsint, ad illud tamen quasi tremebundi accedant. Et ultimam satis cautum foret, ne per jurandi frequentiam hic religionis sensus paulatim obtundatur! Ad rem hanc Augustinus (Serm. 180): *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secuta est.*

Adde: *Christus dicit aperte juramentum a malo esse; nam ait: Sit autem sermo vester, est, est, non; quod autem his abundantius est, a malo est (Matth. v).*—R. His verbis Christus tantum innuere voluit (ait *Catechismus Romanus*) juramentum oriri ab humana infirmitate, id est quia homines fallaces sunt; si enim tales non essent, nullum juramentum foret necessarium.

411. *Quid (quæres) de hisce locutionibus: Juro ita esse; per conscientiam animæ meæ; hoc est verum ut Evangelium; vivit Deus; coram Deo loquor; per hunc Dei ignem, per Jovem? etc.*

R. Ad singula: 1. *juro ita esse* non habetur in communi acceptione ut juramentum; cum nec implicite, nec explicite, divinum testimonium imploretur. Excipe nisi jam præcesserit interrogatio de jurejurando: satis enim tunc determinaretur; 2. *per conscientiam animæ meæ* pariter juramentum non est; quia hic principaliter intenditur conscientia; 3. *neque juramentum sunt illa: Hoc est verum ut Evangelium;* nam notant potius assimilationem, quam veram invocationem; 4. hæc verba: *Vivit Deus, Deus veritas est, coram Deo loquor,* ex circumstantiis sunt resolvenda: si enim tantum renuntiando proferantur, non videntur constituere verum juramentum. Item est si dicatur: *Deus mihi testis esse potest; scit Deus, quod ita est; coram Deo ita*

est; 5. per hunc Dei ignem est juramentum; quia Deum nominando principaliter ad ipsum refertur ignis; 6. falsa jurat qui per falsos deos jurat; quid enim tam est a veritate alienum, quam mendaces et fictitios deos tamquam verum Deum testari? (Catechism. Rom. 2 præc. Decal.).

Quid si quis dicat: Habear uti hæreticus, si hoc est falsum?—Non censetur jurare; quia nulla hic invocatio Dei habetur. Item hæc, Moriar hic, si ita non est; mihi amputetur manus, caput; vel diabolus me auferat, quamvis sint habenda uti juramenta, si per modum execrationis dicantur, vel si expresse nominetur Deus; communiter tamen ita non censentur, sed resolvuntur in quamdam sponsonem, seu pœnæ obligationem, atque significant ordinariè: Si res ita non est, spondeo meam vitam, etc. Verba tamen christiano indigna! (Liguori, Op. Mor., l. III, n. 159.) Ita excusari potest a juramento qui de aliquo interroganti respondere solet: Non, par Dieu! Oui, par Dieu! nam ut plurimum non intelligunt invocare Deum et testem. Valde tamen increpandi, quia id non auditur sine scandalo. Roncaglia.

412. *An (quæres) obliget juramentum factum contra primum juramentum? R. Si secundum juramentum opponatur priori in materia jam jurata, non tenet, ut si jurasti matrimonium Caie, et postea illud jures Titie; quia esset de illicito. Aliter est, si secundum juramentum opponatur primo in actu jurandi tantum, ut si jurasti non amplius jurare, sed postea jures, v. g., jejunare, teneris ad jejunium; quia hoc juramentum est de materia licita, etsi peccaveris jurando.*

413. *An (inquires) liceat petere juramentum a pejeraturo?—Contra Vasquez affirmant probabilius Cajetanus, Filiucius, Salmanticenses, Suárez, Tournely alique, si tamen adsit gravis causa; nam tunc perjuriū ex sola pejerantis malitia sequeretur: neque alter potest dici illius causa moralis, cum utatur jure suo. Est, v. g., si iudex petit juramentum ratione officii, seu ex ordine juris; vel si magni tui interest uti perjuriū ad fraudes alterius manifestandas, ut jus tuum consequaris. At si non adest gravis causa, petere juramentum a pejeraturo esset contra reverentiam Deo debitam et charitatem proximi: hinc de illo habet divus Augustinus: Qui scit et cogit jurare, hominida est. — Licet item cum causa juramentum exigere, etiamsi quis juraturus sit per falsos deos; cum causa enim rationabiliter permitti potest malum alterius. Et idem Augustinus ait: Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per deos falsos, et utitur non ad malam rem, sed ad licitam et bonam, non peccato ejus se sociat, quo per dæmonia juravit; sed bono pacto ejus, quo fidem servavit (epist. 154). — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 77.*

414. Plura pro praxi disputantur cum S. Alphonso, Op. Mor., l. III,

n. 183, etc.; — 1. juramenta de servando secreto, quæ præstatur in congregationibus circa electiones, etc., obligant graviter vel leviter juxta nocumentum quod adferre possunt; nam obligatio juramenti sequitur obligationem secreti. Item est de juramento servandi secretum circa artem conficiendi aliquam medicinam, sanandi aliquas infirmitates. Imo non obstante juramento, teneris ex charitate eam revelare, si aliter quis subiret grave periculum mortis, vel si ars ideo cum illo moreretur cum pernicio reipublicæ, atque aliter infirmi nequeant sanari; cum juramentum non sit ad damnum. D. Thomas, Croix, Suarez, Billuart; — 2. qui juravit judici se dicturum quæ novit, non tenetur ei revelare occulta; — 3. qui juravit se soluturum debitum intra mensem, non tenetur, si terminus a creditore prorogetur; quia cum hic cedat juri suo, cessat obligatio promissionis, et consequenter juramenti; — 4. qui promittit concubinæ cum juramento aliam non cognoscere, negant aliqui ipsum ad illud teneri, quia est ad pravam finem, ad conservandam nempe cum concubina amicitiam. Sed alii probabilius affirmant, quia ex regula generali debet impleri juramentum semper ac potest sine peccato; occasio autem dicta venit per accidens; — 5. qui promittit cum juramento redire ad carcerem, juxta alios non tenetur redire cum probabili periculo gravissimi damni injusti; quia esset se illi sponte offerre. Sed multo probabilius potest, quia posita promissione, redire est actus virtutis.

415. Titius juravit solvere centum aureos; quid si solvat totam summam, excepto uno asse? Non peccat mortaliter, quia ille cui summa debetur, non solet illam partem minimam curare. Item excusant a mortali promissiones juratas rerum exiguarum non adimpletas; vel quia adimpletio non exigitur rigore; vel quia materia id non tolerat in communi æstimatione. Ita juramenta urbanitatis non præcedendi, non accipiendi latus dextrum, etc., habent hanc conditionem si alter acceptat, vel permittat, etc. Ita etiam excusantur parentes, qui jurant dare filiis munuscula et postea non implent; hæc enim non solent accipi in rigore. Dens, Billuart.

Famulus jurat filiofamilias, quod ejus fornicationem nulli manifestabit; quid? Tenet juramentum; excipe, nisi silentium det occasionem alterius fornicationis, vel nisi adsit necessitas correctionis, vel justa interveniat superioris interrogatio.

Paulus ex metu injusto juravit latroni se illi daturum centum florenos intra tres dies: ast Paulus moritur ante illud tempus. Ille Pauli non tenetur ad illos tradendos; quia obligatio fuit mere personalis et solius religionis; non justitiæ aut debiti realis.

Jurasti Petro, te assumpturum statum religiosum; potestne Petrus tibi remittere talem juramenti obligationem? Non potest; quia

illud juramentum fit solum Petro uti testi; non vero tamquam personæ, in cujus favorem principaliter juratur. Dens.

(P) Page 319.

Quædam notamus tum de juramenti forma, tum de Clericorum juramento, tum demum de juramento fidelitatis ab Ecclesiasticis emitendo.

416. 1. Quoad formam, duplex distinguitur juramentum in judicio: aliud solemne quod magno apparatu, aliud simplex quod solo Evangelii tactu emittitur (V. quoad Regnum Sabaudia, *Practica Legale*, l. x; et *RR. Costituzione*, l. III, tit. XIV). Hodie tamen simplex tantum in usu esse videtur (V. *Codex proceduræ civ. et criminalis*; et *Circolare del ministro di grazia e giustizia ai membri dell'ordine giudiziario*, 8 sett. 1855, ubi etiam de juramento ab hebræis emitendo, quod fit tangendo Biblia ab eorum Consistorio admissa). Ceterum S. Scripturæ tactus non est de necessitate, cum verba et animus juramentum faciant: hinc, v. g., si Titius juravit tangens Biblia adulterina, puta Diodati, credens illud genuinum opus, juramento tenetur. Aliter tamen, si illi nota fuit Bibliorum qualitas; tunc voluisset in falsitate jurare, ideo non haberetur verum juramentum, sed grande sacrilegium.

Clericus coram judice laico jurare prohibetur jure Canonico sine sui superioris licentia; in cap. 1. *de jurejurando calumniæ* legitur: *Episcopus inconsulto R. Pontifice: vel quisque Clericus, inconsulto Prælo suo, minime jurare audeat.* Et huic est conformis Instructio S. C. Immunitatis, data 14 junii 1825 pro Regno Sabaudia. Quod valet, etsi juramentum sit de re honesta. Si enim esset de re mala, a nemine illud præstari posset neque ipso metu mortis; sed tunc Clerum gallicanum imitari oporteret qui in gravi persecutione anno 1790 fortiter restitit, ac mori potius elegit, quam schismaticam et hæreticam *Constitutionem civilem Cleri* jurare; in ea enim, dicente Pio VI, Brevi 10 martii 1791, *non solum disciplinaria, sed et alia non pauca in eversionem puri immutabilisque dogmatis congeruntur.* Articulus dictæ Constitutionis refert Bouvier, *Institutiones Theol. tract. De vera Ecclesia*, in fine Heroicam vero Cleri gallicani miram virtutem describit Barruel, *Histoire du Clergé de France pendant la Révolution*, in 5^a parte. Et Torricelli, *Dissertationi*, ecc., vol. VIII.

Præcipit tamen Gregorius IX (cap. v et ult. *de juram.*; cap. nullus 22, *caus.* 22, q. 5), ut Clerici jurent præpositis tantum, non vero tactis Evangelii, sed tacto sibi pectore, cum id maxime deceat eorum

dignitati; et hoc est in usu in Curia Romana, et in Novariensi Diœcesi; non tamen ubique. Vel tantum id præcipitur cum agitur de jurejurando ad testimonium ferendum in civili, ut dicunt: et de hoc casu loquitur Circularis Littera Card. Morozzo infra citanda. Clericus tamen qui sine licentia superioris, citatus comparet et jurat indebito modo, peccare poterit, si canon adhuc vigeat; at nullam incurrit poenam ipso facto, cum nulla sit poena sic constituta. — V. Ferraris, *Biblioth. canonica*, etc., v^o Testis, art. 1. — Barbosa, *Commentar. in lib. II Decret. Gregorii*, tit. 7. — Schmalzgrüber, *Judicium Ecclesiasticum*, I. II de foro competenti, tit. 2. — Et lib. cui titulus: *De immunitate ecclesiastica ex Tridentino, ac RR. Pontificum Constitutionibus*; Taurini, Fontana 1850. — De variis formis juramenti vid. Pistolesi, *Vita di Pio VII*, vol. II.

417. 2. Juramentum fidelitatis in genere, atque obedientiæ quoad leges Status per se licite emitti potest, etsi aliqua forsitan lex injusta sit condita, modo hæc non nominetur expresse; tum quia leges injustæ non sunt veræ leges, tum quia fidelitas in genere promissa respicit tantummodo quæ justa sunt. Vide celeberr. Concordatum Austriacum, art. 20, quoad juramentum emittendum ab Episcopis illius Imperii. Quod vero spectat ad Regnum Pedemonti antiquum est, ut cum primum Rex Regnum obtinet, juramentum fidelitatis, si velit, a publicis functionariis secularibus exigat: immo ab ipsis Ecclesiasticis, sed a Suprema Sede facultate prius obtenta; nam secus id prohibent Lateranense IV, et Jus Canonicum l. II de jur. tit. xxiv), nisi agatur de Clericis vassallis. V. card. Morozzo, *Lettera Circolare*, 19 genn. 14 et 26 apr. 1822. — *Regio Editto*, 11 dec. 1821. — *Lettera della R. Segretaria di Stato interno*, 10 marzo 1822. — *Ragioni della Sede Apost. nelle presenti controversie colla Corte di Torino*, an. 1752, vol. I, p. 5: Discorso sul giuramento dei Vescovi, ecc. Hoc tamen hodie Episcopi pedemontani ipsi Regi exhibent, cum primum Sedem occupant, ipsa annuente apostolica Sede.

Neque inde sequitur, Ecclesiasticos habendos esse uti *functionarios publicos* civilis Gubernii, ab eo omnino dependentes: discrepantia est maxima inter Sacerdotem et functionarium: « Le prêtre tient son pouvoir de Dieu; le fonctionnaire le reçoit du souverain ou de la loi, c'est-à-dire de l'homme. Le prêtre est ministre d'un culte indépendant; le fonctionnaire est l'agent d'un gouvernement auquel il doit obéissance sous peine d'être cassé... Le prêtre émane d'une autorité toute spirituelle, qui a une hiérarchie, des lois et des peines indépendantes du gouvernement civil, autorité qui existe avant le pouvoir civil, en dehors de lui et sans lui; le fonctionnaire émane de l'État, il en est l'homme, il vit de l'État et par l'État. — On dira peut-être: Le prêtre

est un fonctionnaire public, puisqu'il reçoit du public un salaire? — Non, le prêtre ne reçoit pas un salaire: cet argent, qui est affecté maintenant à la subvention du clergé, n'est qu'une faible indemnité des biens énormes qui ont été enlevés à l'Église... Le prêtre n'est donc point par cela réduit à la condition d'un salarié ou d'un fonctionnaire, et lui donner ce nom, comme le font quelques-uns, serait aussi ridicule que d'appeler le créancier stipendié ou serviteur de son débiteur. » (*Amico Catt.*, vol. VIII, p. 312.)

Ad rem etiam Montalembert: « Non, mille fois non, l'évêque n'est pas fonctionnaire, le prêtre n'est pas fonctionnaire. Elle est fautive, elle est erronée, l'opinion de ceux qui ne voient dans un évêque, qu'une espèce de préfet en soutane, un commissaire de haute police morale... Les évêques, aux yeux des catholiques, et ils sont faits, après tout, pour les catholiques, ils ne sont pas faits pour ceux qui, d'après une expression fameuse, n'en usent pas; les évêques sont commis par Dieu au gouvernement de l'Église; ils ont reçu mission d'en haut pour diriger nos consciences et au besoin pour les troubler; ils sont les ambassadeurs de Dieu auprès de nous. Le roi les désigne, il les choisit; mais ce n'est pas de lui qu'ils tiennent leur pouvoir. La loi reconnaît leur autorité, mais ce n'est pas elle qui la crée; ils tiennent cette autorité de Dieu, ou ils ne la tiennent de personne. » (M. de Montalembert, *Discours*, t. I, p. 369.)

(?) Page 331.

418. « 1. Est-il licite ou non aux princes de manquer à leur serment? 2. Est-ce une violence suffisante pour les excuser du parjure que la menace de leur faire perdre le trône? 3. En admettant l'affirmative, ne peut-on pas dire à plus forte raison que le serment des sujets ne les oblige pas quand ils sont placés dans l'alternative ou de mourir de faim ou de prêter serment pour obtenir un emploi? 4. Les États peuvent-ils pourvoir à leur salut par un grand scandale qui aurait ainsi un but utile? 5. Le prince peut-il délier ses sujets d'un serment prêté devant Dieu, quand lui-même par serment les a dispensés de l'obéissance à son autorité absolue? — La réponse est des plus faciles. Il suffit de prendre n'importe lequel des moralistes catholiques. Il y a des siècles qu'ils ont répondu à ces questions sur des cas supposés et sans avoir certes la pensée de favoriser un Ferdinand II, un Léopold de Toscane ou un François-Joseph. Il n'est pas étonnant par suite que nous, journalistes catholiques, nous n'ayons pas voulu répéter les dires des théologiens moralistes. Mais, puisque nous sommes consultés, voici

nos réponses claires et précises, ou plutôt voici d'abord comment répond pour nous à la première question S. Alphonse de Liguori, dont la doctrine, d'après la décision de l'Église, peut être suivie en toute sûreté de conscience : « Le serment fait en faveur d'un tiers doit être maintenu toutes les fois qu'il peut l'être sans péché. » (Lib. III, n° 177.) Et au n° 192 il dit encore plus nettement : « Une promesse sous serment, acceptée par un tiers, ne peut être annulée par personne, même par le Pape, sans le consentement de celui à qui elle avait été faite. » C'est l'enseignement commun : Les princes et les sujets doivent l'observer. — Voilà pour ce qui regarde l'obligation du serment. Apprenons maintenant du même saint les raisons qui peuvent détruire cette obligation. Ce sont, à notre avis, les suivantes : 1° si la chose promise, de bonne qu'elle était, devient mauvaise ou illicite, ou empêche un plus grand bien, ou cause un plus grand mal ; 2° si la fin pour laquelle la promesse était faite n'existe plus ; 3° si de la sorte sont observées les conditions incluses dans tout serment *promissoire*, qui sont les suivantes : 1. si cela se peut ; 2. si le supérieur sera content ; 3. si l'état de la chose ne subit pas un changement notable. Ainsi on n'est pas tenu de remplir un serment lorsqu'il intervient péril de mort, d'infamie ou d'autre dommage grave, parce qu'il est bien entendu qu'on n'a pas voulu s'obliger dans cette hypothèse, la chose devenant tout autre qu'on ne l'avait promise (n° 187-188).

« Voici donc la réponse *claire et précise* à la première question, qui est capitale, et de la solution de laquelle les autres dépendent. IL N'EST JAMAIS PERMIS AU PRINCE (pas plus d'ailleurs qu'au dernier des sujets) DE VIOLER SES SERMENTS. Il est possible cependant qu'il se présente un cas dans lequel le prince puisse et doive même juger que le serment n'oblige pas, soit parce que son objet n'existe plus, soit parce que le serment n'aurait pas été prêté, soit, mieux encore, parce qu'il n'a jamais existé, en ce sens que celui qui a fait le serment ne l'aurait point fait ou n'aurait pu licitement le faire s'il avait prévu ce cas ; et ainsi on doit supposer que ce cas a implicitement exclu le serment. Vous avez, par exemple, juré de mener demain votre jeune frère à un diner, et ce jour-là il est pris d'une violente fièvre : vous croyez-vous tenu, en vertu de votre serment, de le conduire le soir à ce diner pour l'envoyer le surlendemain au cimetière ? Ici le bon sens vous dispense de consulter les casuistes. Songez que le cas d'un prince vis-à-vis de ses serments peut ressembler à celui-ci. Nous pouvons cependant en poser un plus clair et qui, pour les États sardes, aura une application toute particulière. Supposez (c'est une pure fiction) que Charles-Albert avait juré en montant sur le trône de maintenir les règles de la monarchie absolue en vertu desquelles il avait été appelé à régner. L'ap-

pellerez-vous parjure parce qu'en 1848, en face de circonstances graves, il a accordé un *statut* ? Vous ne le nommez pas ainsi, ni moi non plus ; mais pourquoi donc cette morale qui permet de donner un statut ne serait-elle pas bonne pour en retirer un autre ?

« Par cette réponse à la première question, la réponse à la seconde devient inutile. Il ne s'agit pas, en effet, de révoquer un serment prêté par un prince sous le coup d'une menace, mais bien de savoir si un serment n'oblige plus parce qu'il n'existe plus, en ce sens qu'il est reconnu que le peuple ne demandait pas ce serment et qu'il est en outre nuisible dans ses effets au bien du peuple, à son repos, et à sa religion. De là s'évanouit encore la troisième question, qui suppose qu'il n'y a pas d'autre moyen de vivre qu'en recevant un traitement pour un emploi public ; ceci regarde non un serment déjà fait, mais un serment à faire, et celui qui a à le prêter doit s'assurer auparavant si en conscience il peut le prêter. C'est en dehors de la question. A la quatrième demande nous répondons que le scandale n'est jamais permis même pour sauver un État. Mais, si quelque pharisien feint de se scandaliser d'un acte raisonnable et obligatoire, et répand ce scandale parmi les simples et les niais, il est clair qu'on ne doit pas sacrifier à de telles appréhensions le bien véritable, mais il faut mépriser les hypocrites et éclairer les ignorants. — Pour la cinquième demande, la réponse est contenue dans les précédentes : les mêmes raisons de fausse hypothèse et de danger public pour lesquelles un prince est autorisé à révoquer son serment, défendent aux sujets d'en exiger l'accomplissement. Ainsi ce n'est point par le prince, mais par la force même des choses, que sont annulées les obligations contractées par le serment des sujets. » Ita *Civiltà Cattolica*, ser. I^a, vol. VIII.

(B) Page 334.

419. Adsunt inter incredulos ætatis nostræ, qui festorum institutionem dieteriis suis insectantur. Inaniter tamen ; ad festa enim celebranda vel ipsa natura homines impellit, adeo ut qui Festa nostra abrogare tentarunt, alia debuerint a civili ipsa potestate substituere. Sane nulla gens est barbara, quæ suam divinitatem festis ideo institutis non excolat. Neque dicas civilem Statum id non posse, maxime ubi religiosi actus liberi sunt, uti in Constitutionali gubernio : ad rem Parisiis (*Troisième Cas de conscience*. — *Du culte public*) : Seulement il prendrait un moyen extérieur et général pour faire donner aux peuples les principes de moralisation sans lesquels évidemment il ne pourrait pas les gouverner. — V. Tassoni, *La Religione dimostrata*, ecc., t. III.

— Scotti, *Teoremi di politica, ecc.*, p. 4, teor. II. — Ventura, *La femme catholique*, par. I, § 5. — Franco, *Risposte popolari alle obbiezioni più comuni contro la religione*. — *Civiltà Cattolica*, ser. I, t. I: *I di festivi*; ser. II, t. III: *La festa, e il giorno di lavoro*. — Bergier, *Dictionnaire, etc.*, App., v^o Fêtes. — Della Margherita, *Memorandum storico-politico*; et in lib. *Avvedimenti politici*, cap. XXII, habet: « Le gouvernement qui néglige d'observer rigoureusement les fêtes religieuses marche à une ruine tôt ou tard inévitable; les exemples surabondent. » — La Motta, *Delle Feste sagre e della loro variazione nel regno Subalpino*; Torino, Marietti, 1849. — Gaume, *Catéchisme de persévérance*, p. II, lec. xxx; it. *La Profanation du dimanche*. — Olivieri, *Astinenza del lavoro nei giorni festivi* (Lecture Cattolice, 1861).

Nonnulla proferamus testimonia quæ videre est in libro: Paganessi, *Della santificazione delle Feste*, dissert., Mil., Pirola, 1851. « L'empereur Léon le Sage, faisant une loi pour défendre suffisamment l'abus des travaux des champs le dimanche, ajoute ces mémorables paroles: « La terre n'en sera pas moins féconde quand les laboureurs seront « plus religieux, et les prières attireront du ciel l'abondance mieux « que le travail des jours marqués pour le repos. » — Celebris Montalembert aiebat paucis elapsis annis: « On se demande avec surprise et avec effroi d'où sortent ces masses d'hommes sans foi ni loi, qui apparaissent aux jours de discordes sociale, et, comme les hordes barbares d'il y a quinze siècles, menacent d'engloutir toute une civilisation. — On a raison de s'en alarmer, mais on n'a pas le droit de s'en étonner. Elles sortent de ces abîmes où on a refoulé les populations en les forçant de travailler le dimanche, en les arrachant à tout ce que la religion avait si maternellement imaginé pour les instruire et les consoler en ce grand jour, en permettant que le sceau de l'ignorance soit imprimé sur leurs âmes par la main d'une insatiable cupidité. Elles sont affamées, parce qu'on les a privées de tout aliment moral. Elles sont sans foi, parce que des hommes riches et instruits ont travaillé pendant un siècle avec une infatigable persévérance à extirper ce trésor de leurs cœurs. Elles sont sans loi, parce que, trop souvent, en violant eux-mêmes la première des lois, leurs maîtres et leurs guides leur ont appris à n'en respecter aucune. » (Rapport à l'Assemblée législative en 1850.)

(8) Page 235.

420. An ad festum sanctificandum requiratur aliquid virtutum

exercitium præter Missam et abstinentiam a servilibus? Sunt qui affirmant (licet non audeant definire, an sub gravi) aliquid amplius requiri, si non ratione præcepti Ecclesiastici, saltem divini; cum scriptum sit: *Memento, ut diem sabbati sanctifices*. Quæ porro sanctificatio, si major diei pars in humanis rebus absumatur? Nos tamen dicimus, quod quidem *desiderandum est quam maxime*, ut fideles omnes præter Sacri auditionem et abstinentiam a servilibus alia diebus festis exerceant opera Religionis, v. g., actus eliciant fidei, spei et charitatis, divina meditentur, libros pietatis evolant, Ecclesiam adeant, ut divinis officiis intersint et orent; et si quis legitime impediatur saltem in domo sua oret, ut hortatur Augustinus, *et non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis* (Serm. 251 de Tempore). Sed iis etiam prætermisiss, præcepto de sanctificandis diebus festis satisfaciunt quoad substantiam, dummodo Missam debitum modis audiant et se a servilibus absteineant; cum tantum hæc duo ab Ecclesia præcipiantur. Ut enim communiter docent Filiucius, Salmanticenses, Sanchez, Sotus, Suarez alique, in hoc tertio præcepto tantummodo præcipitur cultus externus et abstinendi a servilibus et Missam audiendi. Confirmatur ex S. Thoma, qui docet, quod ad interiorum cultum non cogimur, sed movemur a Spiritu sancto: *Ideo*, ait, *in tertio præcepto Decalogi* (prout ab Ecclesia determinatum est) *præcipitur exterior Dei cultus* (2, 2, q. 122, a. 4).

Sed maxime nostra conclusio probatur auctoritate Benedicti XIV: Pontifex anno 1744 Constitutione *Paternæ charitatis* ad festorum observantiam tuendam, de Missæ auditione et abstinentia ab operibus servilibus sermonem faciens, jubet et imperat; non ita tamen loquitur de aliis operibus agendo, sed verbis tantum hortatoriis utitur. En verba: *Omnes Christifideles ab operibus servilibus, ad quæ peragenda nulla necessitas cogit, omnino absteineant; sed ab omni terrena cura et temporali sollicitudine liberi et vacui ad Ecclesiam pergant: ibi sacrosancto Missæ Sacrificio pia animi attentione ingentia Dei beneficia recolentes intersint. Quin etiam exhortamur in Domino, uti in precibus quoque, divinisque laudibus persolvendis, audiendoque Verbo Dei frequentes sint; et per totum festum, quoad fieri potest, se exerceant in iis officiis, quæ christianam pietatem continent et comitantur*. Communiter autem dicunt Cajetanus, Cunniliati, Hennus, Sylvester, Sylvius, Sotus alique, non esse verum (ut aliqui volunt) peccatum die festo commissum induere novam malitiam specie diversam, mortalem nempe contra observantiam festorum in Confessione explicandam; nam verba præcepti sunt in proprio sensu accipienda: porro peccata non nisi metaphorice dicuntur servilia; sed ad litteram, ait Angelicus, dicuntur, ad quorum exercitium servos

deputatos habemus (in 3, d. 57, q. 1, a. 5). Unde quando idem Doctor ait: *Magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit*, de præcepti fine est intelligendus, ne dicatur sibi contradicere (2, 2, q. 122, a. 4). V. Li- guori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 46 et 273; et *Homo Apost.*, tract. VI, n. 2. — « Non desunt (ait Stapf) qui peccatis, quæ die festo committuntur, notam specialis malitiæ assignant: at tamen hæc assertio nimis rigida videtur, nisi forte flagitium tali die commissum directe in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ occurrentisve mysterii, vel cum magno aliorum scandalo, ad turbendam illorum devotionem, etc., patratum fuerit ».

Diximus *desiderandum est quam maxime*; cum enim fideles ad virtutum actus ratione alia teneantur, id est ex Religionis præcepto, qui habitualiter festis diebus iis nullimode vacant (cum tamen negotiis non sint distracti, et tempus suppetat et invitet occasio et aliorum impellant exempla), in praxi bene dici potest, eos propriæ obligationi deficere, ideoque improbandos: qui sibi non providet, cum omnia opportune cedunt, haud sibi providebit, remota opportunitate. Valde etiam congruit, ut festos dies, prout scite notat idem Stapf, « Pia mentis hilaritate et indicis etiam externis, e. g. elegantiori vestitu, etc., præ reliquis insignire studeamus; sunt enim dies ordinis sublimioris, et adumbratio quædam cælestis illius sabbati, cujus tanto desiderio tenemur (Hebr. iv, 11). Sane etiamsi hæc externa tantum sint, destinationi tamen festorum apprime respondent, et siquidem ex animo vere devoto procedant, aliquam divini cultus partem constituunt. Vel quid convenientius, quam ut pro dignitate ipsius diei etiam vestitus et tota conversatio nostra nihil, quod vulgare et quotidianum sit, præ se ferat? »

421. *Sed (dices) finis abstinentiæ a servilibus die festo præscriptæ est, ut fideles rebus divinis operam navare valeant; ergo, etc. Negamus conseq.; nam finis præcepti a præcepto ipso longissime dif- fert. Præceptum enim importat obligationem: finis vero præcepti non sic; quia juxta commune Theologorum effatum post D. Thomam, intentio legis sub legem non cadit. Exemplo res explicatur: finis abstinentiæ atque jejunii est maceratio carnis: quid nunc si quis ob physicam sui constitutionem magis jejunii cibis, quam ipsis carnibus delectetur? nonne hic præcepto nihilominus plenissime satisfacit? A pari: finis cessationis ab operibus servilibus est utique, ut rebus divinis vacantes dies festos sanctificemus; sed finis hic non cadit sub præcepto. Ideoque si Missa recte audiatur et fiat abstinentia a servilibus, jam habetur observantia præcepti quoad substantiam; quamvis ultro desideremus ac velimus, omni ratione fideles compellendos esse ad finem etiam præcepti implendum.*

422. *Sed (inquires) hæc paritas non facit; nam præceptum abstinentiæ negativum est: at præceptum sanctificationis festorum est positivum, id est aliquid faciendi, juxta illud: Memento, ut diem sabbati sanctifices. Unde non sufficit a servilibus se abstinere. R. Cum Perazzo: præceptum sanctificandi festa: 1. aliquid negativum continet, ne scilicet opera servilia exercentur, et quantum ad hoc valet paritas allata, et impletur illud: Non facies omne opus in eo, quin aliud inquirere teneamur; 2. continet aliquid positivum, ut nempe Divinis vacetur, juxta illud: Memento, ut diem sabbati sanctifices, et hoc impletur per auditionem Missæ, qui quidem actus positivus est, solemnissimus ac potissimus inter religiosos. Adde vel per ipsam abstinentiam a servilibus, quæ toto festo die perdurat, totum diem sanctificari; illa enim dicuntur sanctificari, quæ divino cultui applicantur: at talis profecto est abstinentia illa. Unde ad rem ait doctus ac pius Stapf (§ 218): *Dum consueta hujus temporis negotia in honorem Dei suspendimus, dies isti ex communi censu reliquorum hoc ipso secernuntur, atque Deo sacrati fiunt. Est quippe aliquid genus sacrificii, quod Deo de tempore nobis concesso offerimus, eidemque ad contestandam nostram pietatem devovemus, ut adeo otium istud vere sacrum dici possit et mereatur.**

Neque valet dicere, quod hoc præceptum utpote naturale divinum non potest ab Ecclesia coartari; non enim coarctatur, sed explicatur, et modus illud implendi indicatur: sicut Ecclesia non coarctat præceptum divinum Confessionis ac Communionis, quia declarat illud implendum esse semel saltem in anno. Quoadusque ergo Ecclesia clare non indicet, aliquid amplius requiri ad sanctificationem festorum, tuto tenere possumus cum tot gravibus Auctoribus per illa duo jam supra memorata præceptum illud bene impleri, quoad substantiam nempe, et in se spectatum.

423. Ex recentioribus citamus Paganessi, qui multis conatur defendere abstinentiam a servilibus et Missam esse tantummodo de præcepto Ecclesiæ, cetera vero pietatis opera in festis esse de præcepto divino præstanda. Non tamen audeat de mortali accusare qui prima illa facit, secunda vero penitus omittit: quod non satis percipitur, nisi velit docere sub gravi obligare quidem præceptum Ecclesiæ, non autem naturæ ac Dei præceptum, Quod autem addit habitualement omissionem peccatum esse ob mala consecraria, et nos docemus; ideo nempe, quia ex habitu omittens illa pietatis opera, peccat contra aliud præceptum, quo identidem tenetur ad virtutum actus exercendos. — Profecto congruum est, ut Pastores conciones habeant festis diebus, quia tunc populus a ceteris occupationibus liber illis commodius vacare potest. Quæ quidem interessentia potest dici, si placet, obligare multitudine

nem, et hoc sensu præceptum correlativum esse, ut nempe unus prædicet, et hic vel ille audiat; quia semper plures habentur de multitudine, qui indigent instructione. Ad modum quo præceptum nubendi generaliter datum hominibus, obligat quidem communitatem; non tamen singulos de communitate, nisi quatenus in aliqua particulari necessitate constituantur.

Quod autem habet Tridentinum, sess. 24, c. 4 de Ref.: *Moneat Episcopus populum diligenter unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest ad audiendum Verbum Dei, strictum præceptum non denotat; alioquin non diceret ubi commode id fieri potest, ut recte observant: neque adderet Parochiæ suæ, cum in aliena Ecclesia conciones audiri possint. Præterea Concilium ibi non loquitur de sanctificatione Festorum; sed tantum de generali obligatione audiendi verbum Dei, quæ utique maxima est (V. Liguori, Op. Mor., l. III, nn. 269, 508 et 525; it. Hom. Ap., tract. VI, n. 4. Suarez, De Religione, ubi fusius).*

Quod vero pertinet ad Pontificem Nicolaum I, patet clare et evidenter, ipsum fuisse locutum de fine præcepti, non autem de præcepto; alioquin alia plurima essent de necessitate agenda in festis; quæ tamen neque ipsi rigiliores sub gravi præcipere auderent. En verba quæ habet, c. 11: *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est ut liberius ad Ecclesiam ire, psalmis et hymnis insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoris Sanctorum communicare ad imitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, elemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.* — Et sic de cetera hujusmodi difficultates resolvuntur faciliter.

Ceterum et nos iterum iterumque monemus Parochos, ut suos urgeant ad hujusce præcepti finem et spiritum adimplendum, ut nempe precibus, divinis laudibus, Sacramentis, ac concionibus festis diebus frequentes sint. Parochi enim cum teneantur profectum spirituales curare suarum ovium, contenti esse non debent, quod meram præcepti substantiam impleant; idque eo magis, quia si fideles id semper in more habent, nunquam vacabunt ceteris operibus, quæ si non virtute festorum, certe virtute Religionis identidem præstare debent; qui autem ea habitualiter negligit die festo, multo magis negliget seriali die. Sub quo sane respectu scribit S. Alphonsus: *Quare, sciscitor, Deus festa constituit? instituit ut unusquisque, quum omnibus aliis hebdomadæ diebus bonis corporis vacaverit, in die festo bonis animæ vacet. Et nan sufficit Sacro tantum interesse, sed opus est ut concionem audiat, visitet SS. Sacramentum, se Deo commendet, aliosque pietatis actus exercent; sed tot personæ in die festo ad quid habent animum intentum? ad ludendum, ad intemperanter*

bibendum, ad inhoneste loquendum (Inst. Catech., p. 1, c. 5). Instant ergo Concionatores, Confessarii ac præcipue Parochi: qua in re habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex Decreto Concilii et S. Pii V jussu editum alii SS. Pontifices ac nominatim Clemens XIII cunctis animarum pastoribus denuo commendatum voluit: ita Pius IX Encycl. 8 dec. 1849. It. V. Audisio, Lezioni di elequenza, part. I, lec. 10.

424. Egregie etiam Stapf § 221; non temere aliquis asseverat ex modo quo unusquisque dies sacros celebrat, totam illius moralitatis indolem et conversationem dignosci posse. Hominem pium pie, frigidum frigide et vitiosum turpiter occupabunt. Idem de tota communitate obtinet. Quare hic totus parochus esse debet, ut ejus populus sacra officia frequentet, sacramenta frequenter repetat, et eliminatis abusibus talibus exercitiis occupetur, quæ tum animum tum etiam corpus ipsum veraciter restaurent. Verum nostra ætate abusus quibus Festa profanantur, proh dolor! nimis frequentes sunt. Plurimis in ipsam adeo consuetudinem abiit, ut per totam hebdomadam Deum non tam atrociter offendant ac recurrente dominica die. Corpus ad inanem pompam exornant, utique non propter Deum, sed ad vanam sui ostentationem, vel omnino ad alios forte in ipsa ecclesia ad libidinem provocandos; suspenduntur labores et officia, sed sæpe ideo tantum quo liberius baccho et venerit litari queat: unde quam plurimi ad explenda munera status sui nunquam minus apti reperiuntur, quam ubi festus dies præcesserit. Qui provocant illud Mal. 2: *Ecce ego projiciam vobis brachium et dispergam super vultum vestrum stercus solemnitalum vestrarum, et assumet vos secum.*

425. *An peccet graviter dominus, qui imponit decem servis, singulis servilem laborem integra hora in festo?* — Billuart hic anceps hæret, et doctorem expectat. Bouvier ait, eum qui ita agit, ob meras cavillationes præceptum Ecclesiæ eludere. Alasia tuetur, talem dominum graviter delinquere; tum quia qui per alium aliquid facit, per se illud facere censetur; tum quia ille fraude agit in legem, et ideo in eam graviter peccat. Sed longe communius et probabilius docent alii cum Sanchez, Salmanticensibus, Rongachia, Trullenco, Viva, Oriedo, etc. hoc non excedere veniale; nam singuli operantes venialiter tantum peccant: neque eorum opera ununtur in unum. Dominus autem ideo peccat, quia eos inducit ad peccandum; ergo (scandalo præcluso) venialiter peccat, ad modum illorum. Sic, v. g., si quis efficeret, ut diversi comederent in jejuniis, parum singuli, etsi omnium quantitas esset notabilis, non peccaret mortaliter; quia deficit unius modicæ materiæ continuatio cum alia. Sane præceptum sanctificandi festa in qualibet persona terminatur: nec per plures personas gravis

alicui fit injuria (ut fieret, si quis, v. g., pluribus juberet, ut aliquid parum Titio furentur). Neque etiam servi sic laborantes impediuntur, quominus singuli possint divino cultui vacare quantum ad mortale vitandum. — *V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 306.*

(T) Page 347.

426. Quatuor monita ad praxim maxime spectantia quoad superstitionem ponimus:

1. Monitum legitur apud clariss. Martinet, *Philosophie du catholicisme catholique*, l. III, § 7:

Jamais les hommes ne sont plus près de la superstition et de la foi aux sorciers, que quand ils s'éloignent de la foi catholique et de la soumission à l'Église. C'est l'avis d'un auteur contemporain, très-versé dans ces matières, et qui, avant de consoler l'Église par son retour et ses écrits, avait eu le malheur de vivre et d'écrire en incrédule. « Ce qui peut-être n'a pas été remarqué suffisamment au milieu des clameurs intéressées des philosophes, dit M. Collin de Plancy, c'est que les seuls hommes qui vivent exempts de superstition sont les fidèles enfants de l'Église, parce qu'eux seuls possèdent la vraie lumière. Les docteurs au contraire semblent tous justifier cette grande parole que ceux qui se séparent de Dieu ont l'esprit fourvoyé; — car, parmi eux, les plus incrédules sont aussi les plus superstitieux. Ils repoussent les dogmes révélés; et, comme Johnson, ils croient aux revenants; comme Rousseau, ils ont peur du nombre treize; comme Bayle, ils ont un préjugé contre le vendredi; comme Volney, ils recherchent l'explication des songes; comme Helvétius, ils consultent les tireuses de cartes; comme Hobbes, ils étudient l'avenir dans des combinaisons de chiffres; comme Voltaire, ils redoutent les présages. » Quoad hæreticos, *V. Bossuet, Histoire des variations de l'église protestante*, l. V, sub finem libri.

2. Monitum *Ambrosii Stapf*: « In evellendis opinionibus superstitiosis multa prudentia et animi sobrietate opus est. Equidem si talis opinio directe Religioni aut bonis moribus adversatur, utique omni modo et quantocius extirpari debet. Dum vero ejusmodi opiniunculæ vix non innocuæ videntur, et simul a multa antiquitate plurimum vigoris acceperunt, prudens animarum pastor illas non quidem confirmabit; attamen ad tempus dissimulare, atque studium suum eo dirigere debet, ut successive, atque per solidam institutionem ætatis præsertim juvenilis, eas eliminat. Qui importune et concitato impetu in obvias quasque superstitiones invehitur, plurimos quidem offendet, sed vix aliquem corrigit: et illi non absimilis videtur, qui aquam non

sat limpida vehementi agitatione adhuc turbidior reddidit. Unde cum servi dicerent: *Visimus et colligimus xixania?* paterfamilias ait: *Non, ne forte colligentes xixania, eradicetis simul cum eis et triticum.* Matth. 15, 28. Præterea non omne quod profano hujus temporis genio displicet, mox superstitiosum censi debet. Præ reliquis animarum pastor illis invigilet, qui studio et lucro opiniones superstitiosas divulgant, dum e. g. hujus furfuris libros et pagellas venditant, de arcanis gloriantur, etc. §§ 171 et 177. Item Parochi, concionatores, catechistæ et ii omnes qui munus populum christianum erudiendi habent, enumerent tantum eas superstitiones, quæ notæ sunt in suis regionibus, ne alias potius edoceant, quam ab eis avertant; superstitionis enim contagiosa est.

3. Monitum *S. Alphonsi nostri* (*Op. Mor., l. III, n. 20*): advertant, quod in dubio præsumendus est aliquis effectus potius provenire a causa naturali, quam a superstitione: ita Sporeri cum *D. Augustino, Sanchez, Laymano, Elbel, Croix*; et *Salmanticenses* cum *S. Thoma*, qui docet (2, 2, q. 60, a. 4): *Ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Recte tamen consulunt AA. citati tunc præmitti protestationem nolendi effectum, si aliqua superstitionis subsit. Datur autem, juxta *S. Thomam*, naturalis fascinatio; *oculi autem inficiunt aerem continuum usque ad determinatum spatium* (1 p., q. 117, a. 3): hinc qui experitur hanc pestiferam qualitatem, absteineat a nimio colloquio hominum et oculos declinet. At superstitionis est fascinatio vulgaris quæ a vulgo creditur, scilicet quod aspicientes invido animo noceant, et ideo vetanda quæ contra ipsam imponuntur, ut sunt *tot Pater tot Ave*, etc.

Advertit *Layman* ex *Cajetano* si homines rudes bona fide et ex devotione aliquem ritum ab Ecclesia non receptum observent, aliquando in sua simplicitate ipsos esse relinquendos, cum difficulter abducantur ab eo quod bona fide a suis majoribus acceperunt.

Hic etiam notandum, quod non omnino quæ creduntur præstigia, talia sunt, nam plures potest partes habere hominis phantasia; quam enim præpotens sit, quotque malorum causa, philosophi passim probant ineluctabilibus argumentis, atque factis (*V. Muratori, Della forza della fantasia umana*). Talis, v. g., fuit peritorum judicio morbus, qui per *Hungariam* olim grassabatur: putabant de nocte mortuos e sepulchris exire et sanguinem vivorum dormientium sugere (isti vulgo dicebantur *vampiri*). Inanis hæc credulitas tanto percutiebat homines timore, ut ipsi verum morbum contraherent. — *V. Feller, Catéchisme philosophique.* — *Mellini, Institutiones Biblicæ.*

4. Monitum *card. Gousset*: « Quant aux personnes qui font des

actes de superstition par ignorance ou par simplicité, le confesseur les instruira et les engagera à renoncer à toutes pratiques superstitieuses. Il évitera toutefois, par prudence, de taxer de péché mortel telle ou telle observance, et de leur faire promettre qu'elles y renonceraient, s'il n'a pas lieu d'espérer l'exécution de cette promesse. C'est en vain, par exemple, qu'on tenterait de détruire le préjugé superstitieux de certaines femmes qui, après leurs couches, ne veulent pas commencer à aller à la messe un vendredi; ou qui ne veulent pas filer ni faire la lessive en certains jours, craignant qu'il leur arrive quelque malheur. « Quis infirmatur et ego non infirmor? » (Theol. Moral., n. 424.) — V. Civiltà Cattolica, ser. I, t. X et XI: *La superstizione tra i cattolici*.

Porro idololatria, unde superstitio, originem traxit ex duplici capite, videlicet ex parte hominis et ex parte dæmonis. Ex parte hominis eo quod vel creaturam plus nimio amaverit, vel excessive venerando, eidem tandem honorem divinum impenderit. Ex parte vero dæmonis, qui hominibus a via virtutis et justitiæ aberrantibus se colendum exhibuit in idolis, dando responsa et patrando quædam, quæ hominibus videbantur mirabilia. Ita fere Angelicus 2, 2, q. 94, a. 4. Jam a tempore Tharè et Nachor progenitorum Abraham erant idola, ut habetur Jos. 24. — V. Suarez, *De superstitione*. — Bergier, *Dictionnaire*, etc., v. Idolâtrie, Paganisme. — Veith, *Sacra Scriptura, De L. Sap.*, n. 71. — A Lapide, *In Sap.*, c. xiv. — Bible de Vence, *Dissert.*, vol. IV, Origine de l'idolâtrie. — Rohrbacher, *Histoire de l'Église*, t. XIII.

427. Præstat, ut explicemus nomina præcipua circa superstitiones: — Astrologia ducitur a græco *astron*, stella, et *logos*, sermo. — Aeromantia ab, *aër* aer: et *manteuô*, divinare. — Amuletum sic dicitur ab *emollire*, quasi noxia emolliat et avertat. — Chiromantia a *chèir*, manus. — Capnomantia a *capnos*, fumus. — Catoptromantia a *catoptron*, speculum. — Alomantia a *kals*, sal. — Anthropomantia ab *anthrôpos*, homo; divinare inspiciendo viscera hominis. — Betomantia, *betos*, sagitta (de hac divinatione Ezech. xxi, v. 21). — Botanomantia a *botanê*, herba. — Brizomantia a *brizo*, dormire. — Physiognomia a *physis*, natura. — Geomantia a *gea*, terra. — Hydromantia ab *hydôr*, aqua. — Idololatria ab *eidôlon*, idolum, simulacrum (quod proprie significat imaginem falsam, et inanem, nempe de eo quod non est, sed a sola imaginatione fingitur), et *latria* cultus. — Sabæismus, id est *astrolatria*, seu cultus astrorum. — Zoolatria seu cultus animalium; a *zoon*, animal. — Anthropolatria seu hominum cultus. — Feticismus seu cultus rerum sensu carentium. — Dæmonolatria, seu cultus dæmonum; *dæmon* a *daimôn*; grænum (malum subintelligitur).

— Cultus abstractarum, seu *rerum abstractarum*, v. g., famæ, concordie, etc., quibus et templa erigebantur et sacerdotes deputabantur. — Philtrum a *phileo* amare, incantatio ideo instituta ad amorem extorquendum. — Lamia a *laimos*, gula; lamias dicebant devorare quos possent invenire pueros. Dicuntur etiam *sagæ* a sagacitate. Dicuntur etiam teterrimæ istæ *striges* ab avi quadam nocturna, *strix* dicta, quæ noctu stridendo volat, derelictosque infantes a cunis rapit, eorumque sanguinem absorbet. — Magus a *magos*, sapiens, vel a *mezas*, magnus. — Necromantia vel necomantia a *necys* mortuus. — Omen, quasi *ex ore veniens*. — Oniromantia ab *oneiros*, somnium. — Oraculum, quasi illi insit *divina oratio*. — Pyromantia a *pyr*, ignis. — Pythonismus ita dicitur, quia sic divinantes responsa ferebant insidentes tripodi, qui coopertus erat pelle serpentis Pythonis ab Apolline intercepti.

428. Dices: Christus quæsit a dæmone nomen ejus (Marc. v); ergo aliqua a dæmone licet inquirere. Christus id fecit per modum imperii; quali modo et exorcistæ aliquando utuntur, non divinando, nec se subjiciendo dæmonis regulis.

Sed nonne (addes) quandoque utile est et nulli nocivum scire aliqua occulta, v. g., ubinam lateat thesaurus? ergo licitum est illud a dæmone quærere. Nego; quia modus sciendi est illicitus propter communicationem cum dæmone capitali hoste Dei.

At Joseph divinationis artem exercebat, aiebat enim: *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* (Gen. xlv). Verba hæc exponi possunt cum D. Thoma, 2, 2, q. 95, a. 7., quod locutus sit secundum opinionem vulgi, vel amphibologice, non asserendo, sed interrogando. Dein dici potest quod vox augurandi accipiatur in significatione bona, pronuntiatione ex revelatione divina, quomodo aperuerat mysteria somniorum Pharaonis. — Item per revelationem divanam a superstitione excusantur famulus Abraham (Gen. xxiv, 14), Jonathas (I Reg. xiv, 10), Gedeon (Jud. vii, 14). Non est autem necesse excusare nautas Jonæ (i, 7), nec Accaronitas (I Reg. vi, 9); nam Deus potuit utique uti peccato eorum in bono.

Docent autem communiter Theologi juxta Concinam, abstinendum esse a pacto, quo duo conveniunt, ut qui prior obierit, appareat viventi, et statum salutis suæ ei manifestet. Quia est futile, temerarium ac periculosum; nam hoc pacto, si illud scit dæmon, abuti potest ad viventis deceptionem: complura tamen pacta hujusmodi excusant bona fides.

[(U) Page 358.]

Plures pro praxi resolvuntur casus.

429. a. Non semper numerorum ratio uti superstitiosa habenda est; sed quando numero ut tali tota exhibetur fides; cum revera inter causam et effectum nulla tunc proportio sit. Sed aliter est, si ideo numerus usurpetur, quia ab Ecclesia est præscriptus ad Indulgentias consequendas, ad pœnitentiam agendam, ad cultum religiose exercendum, ut patet ex propositione 64 proscripta a Pio VI Bulla *Auctorem fidei*. — Idem est, si numerus mysticam significationem includat, vel in alterius rei cognitionem nos faciat venire; tunc enim laudabiliter numerorum ratio observatur, et firmat veritatem, ac quasi tessera et professio fidei nostræ est: quod et Ecclesia commendat, et Scriptura usurpat; quare falso nos superstitionis accusant Protestantes. Sic sacer est numerus *ternarius*, quia tres Trinitatis Personas refert, tres dies sepulture Christi, tres annos prædicationis illius. Sacer est numerus *quinarius* in honorem quinque plagarum Salvatoris; numerus *septenarius*, quia in mentem revocat sex dies creationis et septimum quo requievit Dominus: *novenarius* in honorem novem mensium, quibus fuit Christus in utero matris, item in gloriam Trinitatis; tres nempe dantur ad indicandum tres esse Personas, æqualiter dantur ad indicandum Personas esse cœquales; sicque illius mysterii fides ipsis idiotis firmatur; *trigesimus*, quia refert triginta annos vitæ privatae Redemptoris nostri; *trigesimus tertius*, quia memoriæ reducit totam illius mortalis vitæ periodum; *quadragessimus* et est in honore hic numerus, quam Deus quadraginta dierum jejuniis decoravit, per quem divina lex in orbem terrarum invexit; et Elias 40 dierum jejuniis Deum quærens, ejus visionem consecutus est, etc. — V. Bouvier, *Inst. Theol.*, de Decal. pun. 5 de *vana observ.* — Bergier, *Dictionn.*, v^o Neuvaine. — Stapf, § 174. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 17.

b. Non illico graviter damnandus videtur qui rationem habet numerorum quos somniavit; hoc enim non aliud esse videtur, quam vel rudis simplicitas, vel tenuis credentia, vel inanis quædam jectio. Quod quidem dicunt ordinariè currere etiam de illis, qui ad numeros inveniendos libris utuntur *cabalisticis*, ut aiunt; vel ex certo eventu eos confingere student. Attamen a tali agendi ratione desuadendi sunt, ne quoad primum quasi jocando faciunt, postea ex proposito agant, atque convictione.

Ex somniorum qualitate argui unice potest status infirmitatis, et valetudinis somniantis et ejus vivendi disciplina. Quo sensu somniis uti

possunt medici ad applicanda convenientia remedia: Confessarii ad prohibendas certas lectiones, colloctiones, frequentationes, ex quibus nempe turpia nascuntur in imaginatione etiam inter somnum.

430. c. Ex avium gemitu, volatu, vel animalium cantu non est superstitiosum conjecturaliter divinare pluvias, siccitates, etc.; aeris enim mutationem mire persentiunt, ac gemitu, volatu, cantu, voce significant. Item ex mora corvorum vel strigum noctuarum (*chouettes*) super tectum domus, in qua decumbit ægrotus, non omnino superstitiose conjicitur propinquitas mortis, ob eorum acutissimum olfactum ad odores cadaveris. *Sporer*.

431. d. Quoad *lunæ influxum* (quem perperam aliqui superstitiosum dicunt, etsi falsus esse posset) audiatur Antonacci, *Raccolta delle più ovvie e più utili operazioni fisico-chimiche ed industriali*, Roma, 1857: « On croit que la lune influe sur la végétation des plantes, mais cela n'est pas prouvé. Certains effets attribués à l'influence lunaire devraient être plutôt rapportés à la sérénité de l'atmosphère, pendant que la lune est sur l'horizon. Les campagnards font attention à la lune *décroissante* et *croissante*. Ils sèment presque toujours à la lune *décroissante*, parce que, autrement, disent-ils, les plantes naîtraient trop tôt; elles porteraient un épi dont les grains seraient rares et de mauvaise qualité. Ils suivent encore les phases de la lune pour la taille des bois de construction; ils ne veulent prendre le bois qu'aux lunes de janvier ou d'août, parce qu'autrement, disent-ils, le bois serait rongé par les vers. Je ne prends pas parti là-dessus; il se pourrait, à la rigueur, que certains effets atmosphériques relatifs à la végétation fussent attribués à la lune, mais ce sont des discussions trop douteuses. Néanmoins il est prudent de s'en tenir aux observations si continues et toujours les mêmes de tant de gens sur la germination et la récolte. » It. vid. *Civiltà Catt.*, ser. iv, t. II: *Influenze della luna*, pag. 735, ubi plura. — Secchi, *La luna, discorso*. Roma, 1862.

432. e. Docet D. Thomas, 2, 2, q. 96, a. 4, posse quandoque sine superstitione divina verba adhibere, v. g., Evangelium S. Joannis; sed cavendum, ne concurrant vanæ circumstantiæ ex parte temporis, modi, vel intentionis, ut si ei tribuatur virtus infallibilis, etc. Item a superstitione est utique virtus a Deo probabiliter data personæ vel certe familiæ sanandi a quibusdam morbis per signum Crucis, per imagines Sanctorum, aut sacra verba; nam in Ecclesia datur curatio sanitarum. Neque superstitio est flores et herbas die sancti Joannis benedictas comburere ad depellendas tempestates, si hoc expectetur ex Sancti intercessione, et Ecclesiæ benedictione.

f. Non vacat gravi culpa qui utens mediis improprietatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum demone commercium

intendere; quia in praxi agit contra suam protestationem, et dæmonem implicite invocat; cum nec Deus nec angeli talibus se immisceant.

g. Superstitiosum est equos circumducere per templa Sanctorum tot vicibus, venas secare eo præcise die, tot missas, a tali sacerdote, cum tot candelis celebrare, et similibus, si hæ circumstantiæ putentur omnino infallibiles ac plene necessariae; secus si effectus juxta Dei beneplacitum per merita Sanctorum expectetur. Item superstitionis rei sunt, qui gestant quasdam orationes S. Birgittæ aut alias preces effectum certum ex ipsis expectantes. — Attamen laudandi, qui pia numismata, sacras effigies aut venerandas gestant reliquias cum fide et fiducia auxilium divinum specialiter se impetraturos sperantes, ut patet. — *V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 17, etc. Dens, Gury, Layman, Bonacina, etc.*

433. h. Non est superstitio gestare scapulare Ordinis Carmelitarum, quasi ideo moriens æternum pati non debeat incendium, et sit in purgatorio peculiariter sublevandus primo sabbato ab ejus morte, ut Ordinis institutio habet. Sane hoc est juxta Scripturæ loquendi modum; sæpe enim Scriptura vim justificandi tribuit diversis rebus, non quod solaificent, sed quod illæ vim habeant maximam ad obtinendam salutem, si tamen cetera necessaria non desint. Certo qui illud scapulare gestat a B. V. donatum, et cetera in eo Ordine præscripta studiose observat, peculiariter a B. M. V. adjuvabitur ad omnia sua munia complenda, atque ideo ad salutem æternam quam citius, per illius intercessionem, consequendam. Hac de re vid. Benedictus XIV, *De Festis B. M. V.*, lib. II, c. vi.

Neque ridendum quod talibus signis B. Virgo usa sit: nonne et ipsi principes suis subditis honoris gratia, cruces, ligamina, vittas et similia signa tribuunt? et in veteri lege in signum amoris Jacob Josepho filio suo vestem polymitam fecit, Jonathas David habitu suo vestivit, Elias suum pallium Eliseo donavit, etc.

434. i. Quid de chartulis verbis sacris aut devotis inscriptis, quæ a nonnullis devotis traduntur deglutientiæ ad sanitatem obtinendam vel alias spirituales gratias? Si id fiat, quasi illis chartis insit virtus naturalis vel virtus infallibilis obtinendi quod queritur, utique superstitione non careret. Verum pius et laudabilis, atque proborum exemplo, et mirabilibus effectibus probatus est illarum usus, si fiat ex devotione, atque cum fide obtinendi a Deo per B. Virginis, vel Sanctorum intercessionem (si expediat) quæ postulantur gratiæ. — *V. Liguori, Glorie di Maria, p. 2, disc. 1, dell'immacolata Concezione. — Monforte Canonico, Della divozione de' Sacerdoti a M. SS., l. II, c. III.*

(V) Page 258.

435. a. Suspecti de superstitione habentur et ideo prudenter a confessorio interrogandi: 1. opiliones, qui variis dediti esse solent observationibus ut gregem suum a lupis vel aliis malis tueantur; 2. fabri-ferrarii, qui circa equos sanandos utuntur verbis vel ex psalmis vel oratione dominica vane desumptis; 3. rustici qui ad sananda pecora inanibus observationibus utuntur vel recurrunt ad peritos talium artium; 4. vetulæ quæ circa mulieres laborantes in partu superstitiones adhibent orationes; milites qui deferunt secum sacra nomina, numismata vel imagines (quasi amuleta) ad certitudinem, quod in bello, in duello, etc., non sint vulnerandi, nec aqua vel igne, vel subita morte perituri.

b. Quid vero de superstitione rei sunt interrogandi de aliis criminibus quæ cum illa de facili conjunguntur: sic, v. g., interrogandi quo fine sese tali superstitioni addixerint, an ratione vehementis passionis, avaritiæ, vel ad conciliandum sibi nomen sanctitatis; esset enim et sacrilega hypocrisis. Item de apostasia, de hæresi, de abusu rerum sacrarum, de blasphemis, de luxuria, etc.

436. c. Remedia adhibenda contra maleficia, aliasque superstitiones sunt: fides ac viva fiducia in Deum, oratio, jejunium, sacramentorum frequentia, signum crucis, aqua benedicta, Ecclesiæ exorcismi, Sanctorum reliquiæ; remotio signi, cui diabolicum pactum annexum est, illico comburendo chartas, stramina, etc.; non tamen tolli potest maleficium aliò maleficio; cum hoc sit intrinsece malum. Item inservit medicina, quatenus nempe corrigit humores a dæmone commotos. « C'est même par la médecine qu'il convient le plus souvent, ait Gousset, n° 421, de commencer, surtout quand il n'est pas constant qu'il y a réellement maléfice. Nous savons par expérience qu'on se fait souvent illusion sur ce point en attribuant à une intervention diabolique le mal qu'on peut regarder comme l'effet ou d'une imagination exaltée, ou de quelque accident naturel, ou de la scélératesse d'un méchant, d'un empoisonneur. » (*Théologie morale, t. I.*)

437. Quoad exorcizandos autem obsessos a dæmone (ad quod quidem devenire nemo potest, sine expressa Episcopi licentia ex Ecclesiæ Sanctæ præcepto), vid. Rituale Romanum, ubi præclarissima monita habentur, ut a dæmone liberatio in Domino obtineatur.

(I) Page 361.

438. Nonnulli impudentissimi eo usque progressi sunt, ut catholicae fidei miracula habeant veluti totidem magnetismi effectus. Insania portentum est; quæ enim conventio signorum nostrorum cum magneticorum nugis? Ubi in veris miraculis ridiculosi apparatus, ubi convulsiones, ubi detorsiones, ubi tactus et alia, quæ in magnetismo videre est? et tamen caeci a nativitate vident, mortui quatruiduani resurgunt, aqua convertitur in vinum, montes fugiunt, etc., etc. Mali homines contra catholicam fidem nova systemata adstruunt pejora prioribus, at inaniter: illud accidit quod veteres poetae de gigantibus finxerant, qui ut cælum expugnarent, tentare humeris monti superaddere montem; sed montes a facie Dei tanquam cera liquescunt (V. cl. P. Perrone, *Prælect. Theol. De vera Relig.*, nn. 192 et seqq.).—Quod de miraculis dicimus, id valet quoque de futurorum liberorum prædictione, cujus quidem magnetizatos prorsus esse incapaces nemo sanus mentis ignorat; et vel ipsi in hac arte celebriores ultra fassi sunt: « Que les prévisions somnambuliques ne sont nullement sûres, même lorsqu'elles ont trait aux maladies et aux crises; combien moins le seront-elles s'il s'agit de faits dépendants de la libre volonté de l'homme!... La raison dit assez clairement qu'il est absurde et impossible que celui qui existe et connaît dans le temps puisse connaître ce qui n'existe pas encore; ou de voir dans sa cause (que l'on ne voit pas) ce qui n'est encore déterminé par aucune cause. Donc aucun homme vivant ne peut connaître ni en elles-mêmes ni dans leur cause les choses futures contingentes libres. » V. *Civ. Catt.*, ser. I, vol. V, VI, VII et VIII, ubi omnia fusius.

Magnetismo vel huic similis affines predicant tum *tabulas semoventes* seu *rotantes*, tum *spirituum manifestationes*. Duo hæc sunt quæ hisce temporibus ingentem undequaque rûmorem excitarunt, hodie tamen jam fere mortua: primum ubique, secundum in Americæ provinciis experiuntur novitatum amatores.

Ad primum: sint aliqui, qui uni aliis digitum minimum superimponentes invicem sibi nectantur; si omnes, quasi facta catena, digitorum extremitate leviter comprimant nudam tabulam aut mensam, hæc fere statim ac de se movetur, elevatur, volvitur: en tabulæ semoventes, seu rotantes. Qua quidem in re nihil extranaturale: « Le professeur Grimelli (*Civ. Catt.*, pag. 600), qui connaît au moins autant qu'un autre le magnétisme animal, ne trouve rien dans les tables tournantes qui y ait rapport, mais seulement un effet mécanique. Il conclut de

ses observations que les tables, chapeaux, chaises, ou tout autre objet conducteur ou non conducteur de l'électricité se meuvent par l'impulsion communiquée par l'action musculaire des personnes qui sont à l'entour, suivant les lois ordinaires de la mécanique musculaire. » Vel ipsi autem, qui hisce rebus plus æquo forsan fidem habent, negant tamen et merito plura, quæ a vulgo prædicantur, ut cum prætendunt quod clavis vel annulus filo subtilissimo suspensus moveri debeat juxta simplicem internæ voluntatis nutum. Vid. *Sulla potenza motrice trasfusa dall' uomo nella materia bruta*, ecc. Esperimenti del Dot. Terzagi, ecc. Mil., 1855.

Ad secundum: non pauci (vulgo *mediums*) in America contendunt, se modum invenisse communicandi cum defunctorum spiritibus, et alios hunc modum se edocere posse, ita ut plura nova ac ignota ab illis spiritibus noscantur: « Pour nous, excepté ces cas rares dans lesquels la divine Providence favorise quelques saints de communications célestes, nous ne connaissons d'autre commerce avec le monde invisible que celui qui a lieu avec les démons. Si l'on veut croire, suivant leurs assertions, que ce sont des âmes des trépassés, ce que certes nous ne sommes pas tenus de croire, cela revient au même: si ces âmes sont sauvées, elles appartiennent au premier ordre; si elles sont réprouvées, au second. Et ainsi, ayant exclu le cas de faveurs spéciales dues à la bonté divine, ce que nous ne pouvons reconnaître dans les *manifestations spirites* qui se produisent au delà de l'Atlantique, il ne reste plus que les commerces illicites avec les mauvais esprits, et les maîtres de cet art parmi nous, quels que soient les beaux dehors dont ils se couvrent, ne seront jamais appelés d'autres noms que de ceux de *magicien* et de *sorcier*. » — Hæc ars *stulta* est, cum sit quærere veritatem a patre mendacii; *falsa* est, cum spiritus plura proferant absurda et contradictoria, ut facta probant; *injuriosa* est Deo, cum societatem cum dæmone foveat, et veritatem alia via inquirat, quam non constituit Dominus; *damnosa* est hominibus, neque sane hostis hominibus infensissimus vult hominibus præsto esse: « Nous avons sous les yeux l'histoire lamentable d'un père de famille qui, ayant perdu son épouse chérie et fidèle, eut la pensée d'interroger je ne sais quels esprits; et il en eut la réponse que son épouse avait été infidèle toute sa vie et que les enfants n'étaient pas siens. Il n'en fallut pas davantage pour jeter dans le désespoir cet infortuné; pour lui faire maudire la mémoire de celle qu'il avait aimée; pour le pousser à déshériter et à chasser de sa maison ses malheureux enfants, et pour rendre amers les derniers soupirs de son agonie. Qu'on considère ce que deviendrait la société si ce jeu se répétait souvent, et si le père du mensonge devait être pour elle le dispensateur de la vérité. »

Ita etiam Lib. laud. circa has aliasque similes inquisitiones : « Ce n'est pas toujours une chose innocente, et certainement ce n'est pas toujours une chose exempte de péril que de pousser jusqu'à l'excès, par pure curiosité, les recherches qui ont pour but de scruter les secrets de la nature. Lorsqu'on dépasse certaines limites, les forces de la nature sont si incertaines, et ces limites mêmes sont si indéterminées, que l'homme les franchit facilement sans presque s'en apercevoir, et qu'il peut se trouver engagé dans des commerces secrets avec les mauvais esprits, sans même en avoir la volonté claire et formelle. S'il n'y a pas de péché, il y a toujours péril, et on peut en avoir des preuves dans les tables tournantes et dans quelques résultats du magnétisme animal. Nous sommes bien éloignés de vouloir dire que tout cela soit diabolique; nous avons nous-mêmes plusieurs fois et de diverses manières fait des expériences sur les tables tournantes, et nous en avons donné une explication naturelle et mécanique; mais, lorsqu'on vient nous dire que les tables répondent en levant ou abaissant les pieds, lorsqu'on nous raconte qu'elles obéissent aux intentions des personnes qui ne les touchent même pas, lorsqu'on nous rapporte les effets étrangement merveilleux du magnétisme animal, nous ne pouvons nous empêcher d'y voir l'intervention d'une force surnaturelle qui, dans ce cas, ne pourrait être que diabolique. Que les professeurs de sciences naturelles multiplient les expériences afin de mieux connaître tel ou tel agent physique et d'enrichir la science de leurs découvertes, nous le comprenons; nous comprenons encore mieux que l'autorité ecclésiastique, qui a l'obligation de régler la science, fasse faire des tentatives avec ces précautions dont elle connaît le devoir et la portée. Mais que tout jeune homme de vingt ans, que toute femme curieuse, que tout homme à moitié sceptique s'abandonne au premier charlatan venu qui lui promet de lui faire voir, sans savoir pourquoi ni comment, la lune dans un puits, c'est une chose tout à fait éloignée de cet esprit de simplicité circonspecte qui est le propre du chrétien, elle ne peut avoir lieu sans péril, et peut-être même dans plusieurs cas sans péché. »

Quoad magnetismum vid. Amico Cattol., giornale Relig. Milano, t. II et VIII. — De Luca, Annali, t. XII et XIII. — Bergier, Dictionnaire, etc. Append., v° Magnétisme. — Franco, Risposte popolari alle obiezioni comuni contro la religione; Torino, 1860; c. xvii. — Pensieri di un credente Cattolico. Milano, 1841. — Il magnetismo e mesmerismo animale, dial. III. Ferrara, 1841: in quo stylo italico eleganti et jucundo non solum physice et medice, sed etiam theologice res tota discutitur. — Civiltà Cattolica, serie I, vol. IV: del magnetismo animale; et ser. III, vol. IV et V: La moderna negromanzia. Et vol. VIII: intorno alle cause dei fenomeni mesmerici. — Caroli, Del

magnetismo animale in ordine alla ragione e alla rivelazione. Bologna, 1858. Luigi Contaco, dottore in medicina, Sull' azione del magnetismo animale nell' umano organismo, osservaz. critiche. Padova, 1851. — Et maxime Sulla causa dei fenomeni mesmerici. Bergamo, 1856. — It. Mystique divine, naturelle et diabolique, de Görres, traduite de l'allemand par Ch. de Sainte-Foi. — Alimonda, Del magnetismo animale; ricerche e conclusioni; Genova, 1862.

439. Hæc controversia de Magnetismo ab Apostolica Sede, organo supremæ Inquisitionis 4 augusti 1856 sic definita fuit, litteris Encyclicis ad omnes Episcopos datis ad magnetismi abusum compescendos: *Comperitum est, novum quoddam superstitionis genus inveni ex phenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures rati posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte vel præstigio, præsertim ope muliercularum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent. — Nonnullæ jam hac de re a S. Sede datæ sunt responsiones ad peculiare causas, quibus reprobandur tamquam illicita illa experimenta, quæ ad finem non naturalem, non debitis mediis adhibitis assequendum ordinantur: unde in similibus casibus decretum est feria IV, 21 apr. 1841: Usui magnetismi prout exponitur, non licere. Similiter quosdam libros ejusmodi errores pervacaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia præter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulæ sic statutum fuit feria IV, 28 juli 1847: Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, neque merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum, aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus mere supernaturales, ut physico explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis.*

Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo aut illicitudo in usu aut abusu magnetismi: tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes, magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis pietatis detrimento ariolandi, divinandi principium quoddam se nactus gloriantur. Hinc somnambulismi et claræ intuitionis uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicerent effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituire, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi

ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte vel illusionem, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis et scandalum contra honestatem morum. — V. *Analecta juris Pontificii, anno 1857.*

440. Calixte III et la comète de Halley. — Fr. Arago, dans un petit ouvrage sur les comètes, d'ailleurs excellent et qui fait aujourd'hui partie de son *Astronomie populaire*, a écrit qu'en 1456, à l'apparition de la comète appelée de Halley, du nom du célèbre astronome qui le premier en détermina la marche et eut l'heureuse audace d'en prédire le retour pour le mois de novembre 1635, le pape Calixte III fut si épouvanté, qu'il ordonna des prières publiques dans lesquelles on conjurait à la fois la comète et les Turcs, et, pour que personne n'oubliât de réciter cette sorte d'Angelus, le pontife prescrivit de sonner à midi les cloches de toutes les églises. Ainsi nous sommes redevables à la comète de 1456 de cet usage qui a été conservé jusqu'à nos jours.

Ruffini, dans ses *Réflexions critiques sur l'Essai philosophique des probabilités de Laplace*, après avoir rapporté un trait analogue de ce savant, ajoute : « Il apparut, en effet, une comète chevelue avec une longue queue enflammée que le peuple et même des astronomes regardèrent comme un présage de grande calamité. Mais il est complètement faux que le pape Calixte ait prescrit alors des prières où il conjurait ensemble les Turcs et la comète. Le souverain pontife sans doute s'efforça de réunir les princes contre ces ennemis de notre foi, institua des processions et des prières pour intéresser le ciel à la cause sainte; mais, pour ce qui regarde la comète, il se contenta de saisir l'occasion de l'effroi qu'elle inspirait pour exciter les peuples à la prière et à la pratique des bonnes œuvres, en sorte que, s'il y avait des maux à craindre, le ciel en préservât les chrétiens et les fit tomber sur les Turcs. Ruffini cite en note quelques historiens modernes, et Platina qui, à l'apparition de la comète, s'exprime ainsi : « Cum mathematici ingentem pestem, caritatem annonæ, magnam aliquam cladem futuram dicerent, ad evertendam iram Dei, Calixtus aliquot dierum supplicationes decrevit, ut si quid hominibus immineret, totum in Turcas Christiani nominis hostes converteret. »

Ainsi, sans nier qu'au quinzième siècle les connaissances astronomiques ne fussent très-imparfaites et que les savants de l'époque ne fussent disposés à calomnier les comètes; sans prétendre que le pape, en fait d'astronomie, fût supérieur à son siècle ou que ses occupations continuelles lui eussent laissé le loisir de s'appliquer à l'étude des sciences naturelles, nous pouvons affirmer qu'il n'a jamais pensé à con-

jurer la comète. Au surplus, on n'a qu'à lire la Bulle du souverain pontife. Elle prescrit des prières à la messe, des processions, des prédications, la sonnerie des cloches, etc., mais tout cela dans le but que nous venons de rappeler. De la comète alors brillant au ciel, il n'en est fait aucune mention : « Mandamus ut in singulis ecclesiis, inter nonas et vesperam, videlicet ante pulsationem vesperarum seu ei propinque saltem per intervallum mediæ horæ singulis diebus, tribus vicibus, una campana vel plures, etc. — V. *Annales de la Science religieuse*, recueillies par l'abbé de Luca. Rome, 1855, t. I.

(F) Page 263.

441. Quoad *martyrium* notamus: *martyrium* græce idem est ac latine *testimonium*. Usu porro ab Ecclesia recepto *martyrium* sumitur pro testimonio singulari veritatis christianæ per tolerantiam mortis. Martyr igitur est testis, qui morte sua perhibet testimonium veritati quæ per Christum nobis innotuit: unde martyres Christi dicuntur quasi testes ipsius Christi. Quæ tamen mors non de necessitate requiritur in effectu, sed sufficit ad rigorem martyrii, ut quis propter Christum tormenta sustineat de se sufficientia et efficacia ad inferendam mortem, etsi contingat mortem impediri; nam hoc est vere subire mortem in causa efficaci per se, nec inde minuitur affectus internus et acceptatio mortis propter Christum: sic martyr appellatur, imo *martyrum Regina B. V.* licet non obierit morte violenta (V. *Mazzola, De B. M. Virgine*, pag. 256). « Nous terminerons par une observation bien consolante pour ceux qui se dévouent au service des pestiférés: une pieuse croyance vénère comme martyrs ceux qui succombent victimes de leur charité, *velut martyres religiosa piorum fides venerari consuevit*, (Martyr. 26 feb.) et au dire de saint Alphonse (l. VI, n. 100), ils sont regardés comme de vrais martyrs par douze universités, par treize cardinaux, et par plus de trois cents auteurs. » Card. *Gousset*.

Ex hæcenus disputatis sequitur: — 1. Illum esse verum Christi martyrem, qui non pro ipsa christiana fide generatim, sed pro alia speciali virtute christiana moriatur. Hinc vere est martyr Joannes Nempocenus, qui occisus fuit pro tuendo sigillo sacramentali; item B. Panacea, quæ crudeliter a sua noverca necata fuit ob ejus eximium orationis studium. V. ven. Bescapè, *Novaria sacra*, lib. I et II. It. Travelli. *De B. Panacæ sanctitate et cultu*, etc. (ut tamen Officium de Martyre concedatur, quid amplius requiratur, vide penes Benedictum XIV, *De Canoniz.* SS., l. III, c. 15 et 19); — 2. illos qui occiduntur in bello justo pro defensione Republicæ adversus infideles et

hæreticos, qui fidem Christi corrumpere moliuntur, esse veros martyres; si tamen militent ex zelo fidei ac Religionis christianæ; — 5. non esse veros Martyres, qui occiduntur in bello justo propter defensionem boni communis seu Reipublicæ tantum. Excipit Sylvius, nisi illam intendat defendere propter Deum ex amore justitiæ et legis divinæ; sic enim moriuntur, ne virtutis officium deserant. D. Thomas ait: *Bonum Reipublicæ est præcipuum inter bona humana. Sed bonum divinum, quod est propria causa martyrii, est potius quam bonum humanum. Tamen quia bonum humanum potest effici divinum, si referatur ad Deum; ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrii causa, secundum quod in Deum refertur.* V. Billuart, *De fortitud.*, diss. 1. a. 2.

Hoc maxime valere debet pro iis qui occumbunt civilem romanæ ecclesiæ principatum defendendo. « S'il est un cas où l'emploi de la force soit légitime et couvre de gloire un guerrier, c'est bien celui où il tire l'épée, non pour ajouter à son front une couronne périssable, pour conquérir quelques ponces de terre, mais pour défendre la cause de la divine épouse du Christ... Tomber alors sur le champ de bataille, c'est s'entourer aux yeux de Dieu de l'aurole du martyr. Qu'est-ce en effet que le martyr? N'est-ce pas affronter courageusement la mort pour un motif religieux? Et n'est-ce pas un motif religieux que la défense de la liberté de l'Église et du principat civil de ses pontifes? Aussi a-t-on vu souvent les papes les plus saints commander eux-mêmes l'armée qu'ils avaient levée pour une cause si sainte et la faire participer aux privilèges accordés aux croisades. » *Civiltà Catt.*, Ser. IV, t. VI. — *Oldéric ou le Zouave pontifical*, récit de 1860.

Quoad miracula: « Il n'est pas hors de propos de rapporter ici le sentiment du docte et pieux P. Crasset, qui dit que plus les gens de bien sont portés à croire facilement aux miracles, autant les méchants sont faciles à les tourner en ridicule. Il ajoute que, de même que c'est un signe de faiblesse de croire à tout, de même rejeter les miracles attestés par des hommes graves et pieux, c'est ou infidélité, parce qu'on les croit impossibles à Dieu, ou témérité de ne pas ajouter foi à de si dignes témoins. » Liguori, *Gloires de Marie*, additions à la fin. — V. Bollandus, *Præfatio generalis in vita Sanctorum*, c. 5, § 2. Sed maxime Muzzarelli, *Buon uso della logica*, opusc. VIII: numero e qualità de' miracoli; ubi etiam catechistas hortatur, ut ea enarrare non erubescant, cum plurimum conferant rite exposita ac probata ad fidelium instructionem. *Abreu* (lo Specchio del parroco), *Borgovini*, *Ferreri*, *Turlo*, *Marcantius*, *Rosignoli*, alique miraculosis exemplis suas instructiones ornant, quæ (si rite selecta) plurimi juvabunt. Quoad *legendas V. Civiltà Catt.*, ser. III, vol. II, pag. 540.

442. De arte critica plura docet et egregie Profess. Solimani in Opere, *Importanza della Storia, considerata nelle cose che le servono di materia*; part. F; Roma 1861. Sane quantum est laudanda critica temperata, quæ reverenter munda catholicorum scriptorum notat, dotes autem large attollit; tantum est vituperanda critica effrenis: hæc siquidem superbiam fovet, maledicum facti, religiosa quæque conculcat, auctoritatem spernit, clariora nomina pessumdat, nulli parci, de omnibus dubitat, omnia in contentionem ponit vel ludo vertit, tristis, invida, petulans, mordax, intolerabilis. Caveamus omnes ab hac prurigne maledicta, caveant qui docent, caveant qui discunt, caveant juvenes, caveant studiosi; pessimos enim habet exitus, quæ nisi a primordiis suffocetur, ad interitum ducit. Berengarium meminerint, qui optimus ecclesiasticus esse potuerat, attamen adhuc scholaris cavillator et irrisor, pessimus hæreticus factus est: *Cum juveniles in Scholis ageret annos, elatus ingenii levitate, ipsius magistri sensum non adeo curabat, condiscipulos pro nihilo reputabat, libros insuper artium contemnebat* (Natalis Alexander, *Hist. Eccl. sæc. XI*).

(Z) Page 266.

443. a. Quid (quæres) de horrendis maledictionibus latis in malos Psalmo cxiij? — R. in hoc non peccavit David; nam pluribus de causis adversus inimicos suos obloqui potuit: 1. ex sincera correctionis illorum cupiditate; eos percutit, Domine, ut inique agere ac lacessere tandem aliquando desistant; 2. ut in hoc mundo castigati, minoribus in altero afficiantur; 3. ut eorum supplicium impios deterreat, qui ex illorum nequissimo exemplo paria conantur; 4. ut bonis scandalum adimatur, quod impii injustis vexationibus ingerunt; 5. ut Dei gloriam ac providentiam vindicet adversus impios, qui veniunt intelligere Deum justorum præsidio invigilare; 6. ne justis pravo iniquorum exemplo corrumpantur. Ita Calmet, *Comm. in Ps. xxxiv.* — V. S. Thomas, 2, 2, q. 25, a. 6, ad 3. — Lorinus, *Comm. in Ps. xxxviii.*

b. « Alia questio est, ait Stapf, § 226: *Qualis culpa illorum sit, qui tempestati vel alii casibus a Deo immissis maledicunt?* — Sane cum aeris intemperies et ejusmodi casus ex dispositione divina accidant, talia maledicta proxime contra Deum ipsum proferri videntur. Attamen miselli ruricolæ, quibus hoc peccatum haud infrequens est tum ob simplicitatem tum ob imperfectionem actus, præsertim si alias bonæ indolis sint, a peccato lethali plerumque excusari possunt. » *Maledicere rebus irrationalibus*, ait D. Thomas, 2, 2, q. 76, a. 2, in

quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemix; maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum et vanum, et per consequens illicitum, nempe veniale peccatum. V. Billuart.

c. Quid de iis, qui Jesu et Mariæ Nomina appellare continuo solent? — Vel nomina hujusmodi appellantur ex reverentia et cordis devotione, v. g. *laudetur Jesus Christus!* vel ex quadam contracta consuetudine et animi levitate, v. g. *Jesus Maria!* vel ex subito spiritu impetu, v. g. *per Deum, per Christum!* — Si 1, ea Nomina proferentes nedum peccent, imo vero Sanctam et Indulgentiarum thesauro decoratam, ideoque et sibi et Deo rem gratissimam præstant: et est salutaris se invicem salutandi in pluribus fidelibus formula. Si 2, blasphemiam utique non committunt, cum ea Nomina non proferant contumeliose; sed per se culpam venialem minime effugient, quia hæc est vana Sanctorum Nominum usurpatio. Hinc Scriptura: *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo, et nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis* (Eecl. 25). Si 3, excusantur ordinarie, scandalo gravi secluso (quod tamen aliquando adesse potest) a peccato gravi; quia ex ignorantia aut indeliberatione (ut plurimum) id proficisci censetur, et referuntur potius in homines, quam in ipsum Deum vel Christum. At gravissime sunt isti increpandi cum hominem christianum id dedecet, ac mortali peccato locum faciat.

444. d. Hereticaliter blasphematur qui ex animo dicit: *Dieu n'a pas soin de moi, tous les maux sont pour moi*; cum de omnibus illi sit cura; *Dieu n'est pas mort pour moi*, cum pro omnibus sit mortuus; *Dieu est partial*, cum non sit acceptor personarum; *Dieu ne se souvient pas de moi*; cum nullius possit oblivisci. Attamen, ut plurimum, talia proferentes a gravi excusantur, cum hoc proferant ex inconsideratione vel doloris gravitate. Esset blasphemiam dicere, *nolit velit Deus (malgré Dieu je le ferai)*; id enim est significare non timere Deum posse hoc impedire. — Qui vero diceret: *Je renie Di (jarni), malgré Di (maugrebleu)*, omittendo ultimam litteram, videtur posse excusari si non habet consuetudinem ita blasphemandi; nam apparet tunc se voluisse continere, ne blasphemaret; unde videnda est intentio. — In locutionibus *can di Dio (chien de Dieu), della Madonna (chienne de Vierge)*, si non vera blasphemiam, adest, ut plurimum, verum et grave scandalum. — Complures rudes dicunt indignando: *Sacré nom de Dieu!* sed nec sensum intelligunt; alii: *sacré non!* absque addito; alii *tron di Dio*: quæ locutiones per se veniale non excedunt. Idem est de illis *sacré nom de Dieu, sacré Dieu*; sunt enim vana usurpationes nominis Dei, neque graviter offendunt fideles (nisi essent Ecclesiastici qui ea proferrent). Nec refert quod illa verba proferantur ex

gravi ira, quia hæc directe non tendit in Deum, sed in hominem vel jumenta; unde illa verba erunt mortalia ratione iræ, non tamen blasphemix. *Gousset, Gury, Voit, Rencaglia, Liguori*. Item *Ody, Il direttore dell'infanzia*, p. I, c. 4, a. 3, § 4.

(AA) Page 269.

445. Remedia adversus blasphemias duplicis sunt generis: alia respiciunt præteritas castigandas, alia vero futuras præcavendas.

Ad prima quod attinet, præter consueta contra vitia omnia, nempe orationem, jejunium, eleemosynam, utiliter a Confessario injungetur, ut blasphemator toties ad pedes Crucifixi genuflectat et veniam efflagitet, vel toties aliquam Dei laudem aut orationem recitet, quoties lapsus est in blasphemias; etenim poena removet a culpa. — Quoad secunda eidem præcipiatur, ut serio recogitet: 1. malitiam et gravitatem vitii, quod diaboli et damnatorum est proprium juxta illud de dracone infernali: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum* (Apoc. XIII); 2. quæ et quanta irrogetur irreverentia Sacramentis et Sanguini Christi, dicente Chrysostomo: *Tanta est in blasphemiam irreverentia erga sacra, quam si hæc omnia pedibus conculcarentur*; 3. quod blasphemandi consuetudo est magis certum reprobationis et futuræ infelicitatis signum; nam quemadmodum filii Dei divinis laudibus assueti eos addiscunt hymnos, quorum concentu delectabuntur in cælo; ita filii diaboli turpissima illa cantica addiscunt, quæ maledicti eructabunt indesinenter in inferis. Pontifices in eo toti fuerunt, ut hoc nefandum scelus prorsus extirparent a christiana gente; hæc de re vid. Breve *Ad execrabile Benedicti XIV*. Et Pius IX societatem instituit contra blasphemias. — V. *La bestemmia, avvertenza al popolo*. Torino 1856. — Salvatori, *Istruzioni ne' novelli confessori*, § 21.

(BB) Page 274.

446. Reale sacrilegium est profanatio vasorum, et instrumentorum sacrorum, v. g. si quis calice utatur in convivio, ornamenta Altarium vel Sacerdotum ad usus profanos applicet, intellige de iis, quæ consecrari vel saltem benedici solent; nam ad nuptias, vel communem usum adhibere tapeta, candelabra, pelvim, imo et manutergium et cetera quæ mediate serviunt ministerio sacro, non esset peccatum, prout docet (*Tamburini*), nisi fiat ex aliquo contemptu saltem impli-

cito, ut si semper et indifferenter sic utaris supradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenso et similibus benedictis, eo quod in modicis istis, benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Ecclesia, uti patet in pane, ligno, carbonibus, etc., benedictis.

Non est sacrilegium non suscipere Sacramenta tempore præscripto; sed probabilius est tantum contra obedientiam Ecclesiæ debitam. An sit sacrilegium detinere legata relicta Ecclesiæ pro ejus servitio, alii affirmant, quia ratione destinationis sunt sacra; alii negant, quia quamdiu non possidentur ab Ecclesia, sacra proprie non sunt. Sacrilegus vero est qui irreverenter tractat sacras imagines, vel indecore nimis eas dipingit vel sculpsit. *Liguori, Roncaglia, Gousset.*

447. In definiendo gradum malitiæ sacrilegii realis considerare oportet, an committatur in res benedictas, ut sint materia sacramenti, vel ut proxime ordinentur ad sacrificium, v. g., sanctum oleum, chrisma, altare, calicem, vestes sacerdotales; an committatur in res quæ benedictæ sunt tantum, ut ad pium usum fidelibus inserviant, nec ad Deum proxime referantur, ut sunt palmæ, cineres, panis, aquaustralis. In priori casu sacrilegium gravem irreverentiam includit, et est genere suo mortale, si fiat advertenter, etsi profanator res sacras non velit directa intentione inhonorare. In secundo casu vero non videtur per se esse peccatum ex genere suo mortale. V. *Praelectiones juris canonici in Semin. S. Sulpitii, t. III.*

(CC) Page 285.

448. An vendi possit jus præsentandi ad ecclesiasticum Beneficium?

Hoc jus quoad honores et subventiones, quæ patronis debentur, bene vendi potest; quia quoad illa non dicitur spirituale (S. Thomas, 22, q. 100, a. 4. — *Liguori, Op. Mor., l. III, n. 71*). Jus vero præsentandi si est affixum rei, vendita re, jus transfertur simul cum re in emptorem (D. Thomas, 2, 2, q. 100, art. 4); sicuti etiam transferri potest donatione aut titulo hæreditario. Extra hos casus vendi nequit tale jus patronatus ecclesiastici sine simonia de jure humano; hinc est simonia, si patronus vendat pluri rem ratione talis juris, vel imponat præsentato, v. g., ut suis expensis litem sustineat, et probet jus ad illum patronum spectare¹. An vero venditio talis jurispatronatus sit

¹ C. *De jure, et c. Præterea*, de jurep. Dicunt Salmanticenses: quod verterente litigio circa jus patronatus, potest apponi conditio, ut si intra tot menses præsentatus præsentationem suam non fuerit prosecutus, patronus possit alium præsentare; quia tunc ille remanet in sua libertate, nec obli-

vetita etiam jure divino, affirmant Lessius, Layman, etc.; quia hoc jus est quid spirituale, cum procedat a potestate jurisdictionis ecclesiasticæ. Negant vero Sanchez, Sylvius, Sotus et alii; quia potius tale jus est quid temporale, cum sit temporalis favor concessus ab Ecclesia, quatenus ipsa exercet potestatem, non jam jurisdictionis, sed politicam, eminenter in illa contentam, ad quam spectat favores temporales distribuere.

449. *Quid de illo, qui Beneficium ecclesiasticum confert ob carnalem affectionem, nempe ob parentelam?* Iste simoniacus non est, nisi conferendo intendat bonum aliquod sibi, vel familiæ inde obventurum, v. g., ut ditescat. Ait enim Angelicus: *Si aliquis aliquid spirituale alicui conferat gratis propter consanguinitatem vel quamcumque carnalem affectionem, est quidem illicita et carnalis collatio, non tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis et venditionis, in quo fundatur simonia* (D. Thomas, 2, 2, q. 100, a. 5). Illud autem quod dicit Croix non esse simoniam, si conferat ad se liberandum ab aliquo injusto damno non puto admittendum; nam licet damnum sit injustum, semper tamen videtur intercedere aliqua commutatio rei spiritualis cum utilitate temporali.

450. *Quid vero de illo, qui dat eleemosynam pauperi, ut pro se oret?*

Hic simoniacus non est: imo ordinem sequitur divinæ Providentiæ, quæ vult, ut faciamus nobis amicos de divitiis (Luc. 16). Neque intendit sic orationes emere, sed tantum *per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocare ad hoc, quod pro eo gratis, et ex charitate orent*, ut ait Angelicus¹: nempe dat simpliciter ad alliciendum, ac quasi ratione stipendii. Hoc sensu licet alicui promittere donum in spiritualem ejus utilitatem, v. g., si Missam audiat, si Sacramenta suscipiat, si Monasterium ingrediatur, quia hæc est simplex donatio sub conditione, quæ danti nihil proficit, et nullum accipienti addit onus; neque enim adstringitur ad ea faciendam, sed optio illi datur. Si secus esset, vel ipse Deus simoniacus est, qui etiam temporale premium nonnunquam bene operantibus promittit. Sed esset simonia, si alicui

gatur ad probandum jus patroni pro illo, sed pro se, si voluerit consequi Beneficium. Verum in hoc magnum periculum est, quod nempe virtualiter vendatur talis præsentatio pro expensis, quæ de jure a patrono fieri debebant. — *Liguori, loco cit.*

¹ 2, 2, q. 100, a. 5; et in 4, d. 25, q. 3, a. 2. — Unde non obstat, si quis, semel voluntarie acceptata optione, ad sua promissa præstanda juramento se adstringeret, v. g., ad Missam audiendam, ad orandum, etc.; cum enim res licita sit, poterit juramento firmari.

simpliciter imponeretur obligatio, vel conditio esset de præstando aliquid in utilitatem dantis; adesset enim quædam commutatio.

Ex his colligitur, simoniaca non esse legata, aut eleemosynas pro Missarum celebratione datas; quia iis neque implicite neque explicite intenditur commutari spirituale cum temporali; sed quæ legantur, vel eleemosyna traduntur, sunt ad Ministrorum sustentationem ipsis debita ex Christi præcepto, qui vult ut operarius habeat mercedem suam: non autem sunt pro ipsis operibus spiritualibus, quæ legato vel aliter percipiuntur. Hinc a Martino V illa Wiclefi propositio utpote nimis generalis damnata est: *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus*¹.

451. *Quid (addes) resolvendum, si quis promittat pecuniam in eleemosynam pauperibus erogandam, si tu illi obtinebis Beneficium?* Salmanticenses eum a simonia excusant, si pecuniam omnino gratis tribuat et in eleemosynam, quæ est titulus excusans largitionem a simonia². Simonia nempe in eo consistit, quod detur temporale in pretium rei spiritualis; quando ergo datur aliis titulis honestis, ut in stipendium laboris, in sustentationem, in gratiarum actionem, simonia non committitur; unus porro ex legitimis titulis est eleemosyna, et hanc unice respicit illa promissio³. — Simoniacus tamen esset qui alteri Beneficium procuraret ea intentione, ut sibi tanquam pauperi

¹ Recte observat Dens, non inquietandos esse simplices, qui probos homines imitantes aliquid temporale pro spirituali accipiunt, quamvis ob ignorantiam legitimos discernere non valeant titulos. Sic cantores, sacristæ et parvuli Missæ servientes aliquid tuta conscientia percipiunt, licet explicare nequeant qua ratione id legitime faciant. — Qui promissionibus vel præmiis pueros allicit ad catechismum et Confessionem, non reputandus est simoniacus; quia temporale non dat, uti patet, tanquam spiritualis pretium, siquidem ipse nihil recepit. A simonia excusatur Parochus, qui pinguiorem Parochiam desiderat vel eligit, consentiente Episcopo, ut ampliorem habeat sustentationem pro se et pauperibus, et melius evangelizet; quia reipsa non fit commutatio temporalis pro spirituali. Sed non laudandus est; et certe vituperandus, si lautioram vitam vel fortunæ suæ aut familiæ augmentum quaerat: in eo a simonia mentali sæpe excusari non potest. Hoc sedulo attendat.

² Alii tamen difficulter id excusant; quia, inquit, est verum pretium temporale pro spirituali obtinendo inani nomine eleemosynæ velatum.

³ Imo licet periculosa res sit, ex Angelico, tamen simonia non est, si quis, v. g. eleemosynas monasterio eroget, ut facilius, sed ex gratitudine in illud admittatur (2, 2, q. 100, a. 5); nam nullo jure prohibetur bene mereri omni modo honesto de eo, qui potest nobis aliquando benefacere. Neque tunc tribuens obligat ad aliquid determinate, sed vult tantum illam generalem obligationem inducere, quæ necessario sequitur ex quolibet obsequio.

fructus superflui dentur; nam esto quod isti fructus sint jam pauperibus distribuendi, attamen quod debeantur tali pauperi, hoc est onus superadditum, ideoque simoniacum.

452. *Quid de eo, qui dat mediatori pecuniam ut sibi Ordinationem vel Beneficium obtineat?* Vel pecunia datur pro labore a mediatore suscipiendo, aut damno subeundo seu lucro amittendo; vel pro mediatione ipsa, et cum pacto, ut intercedat ad Beneficium illud sibi obtinendum. — Si 1, non erit simonia, si pecunia sit labori proportionata; quia hæc remote se habet ad consecutionem rei spiritualis. Nec etiam simoniam (licet sit periculosum) dicunt Salmanticenses cum Bonacina, Palao, Azor, Sanchez, Filliucio, etc., si des alicui pecuniam, ut tua merita simpliciter Episcopo proponat; quia ad simoniam requiritur, ut obtentio rei spiritualis sit immediatus finis præstationis pecuniæ. Non autem sufficit, quod sit quid consequens ex alio immediato, nullam habens connexionem cum illo, uti dicunt Salmanticenses cum Suarez, Navarro et Garcia. Sed valde timendum est, ne alter relinquat officium informantis et officiumumat intercedentis. Ita S. Alphonsus, *Op. Mor.*, l. III, n. 64. — Si 2, simonia erit; nam licet daretur temporale immediate pro temporali, uti est illa mediatio, attamen intenditur spirituale; sic enim per pecuniam, ait Angelicus, pararet sibi viam ad rem spirituales obtinendam (2, 2, q. 100, a. 2).

(DD) Page 294.

453. *An (quaeres) sit simoniacus qui celebrat, Sacramenta ministrat, concionatur, choro interest principaliter ob emolumentum temporale?*

R. In sententia probabiliori, quam tuentur Salmanticenses, Sanchez, Sylvius, Sotus, Suarez, alique apud Croix a simonia excusatur; nam sicut excusatur qui dat stipendium principaliter propter Missam, quæ certe res est spiritualis, ita excusandus videtur qui Missam celebrat principaliter propter stipendium: non tamen tanquam pretium, sed tanquam eleemosynam ad sustentationem approbatam; alioquin esset simonia mentalis. Etenim tunc tantum committitur simonia, cum temporale accipitur pro spirituali; non vero quando accipitur tanquam stipendium ad sustentationem *Ministri secundum ordinationem Ecclesiæ, et consuetudinem approbatam*, ut ait D. Thomas: quod verum est, sive principaliter sive secundario accipiat (2, 2, q. 100, a. 5).

454. *Sed (dices) Innocentius XI damnavit hanc sub n. 46 propositionem, qua asserebatur licitum est dare temporale pro spirituali, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale.* — R. Ibi

nomine *motivi* intelligitur pretium ipsius rei spiritualis, ut notat Viva, et patet ex contextu. In casu autem nostro hoc nomine non intelligitur pretium rei, sed stipendium personæ in gratiam alterius elaborantis, cui honesta debetur vitæ sustentatio. Ut clarius tamen veritas intelligatur, animadvertere oportet dupliciter hic accipi posse *lucri* vocabulum: vel ut finis operis, vel ut finis operantis. Cum lucrum intenditur *ut finis operis*, adeo ut opus ipsum spirituale intendatur tradi vel accipi, certe committitur simonia: *Simoniam committit*, inquit Angelicus, *qui hujusmodi actum vendere intendit, nempe si distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum* (Quodl. 8, q. 6, a. 14). Aliter dicendum est, quando lucrum intenditur *ut finis operantis*, scilicet ratione operationis personæ laborantis in gratiam alterius, quia tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis, et simonia non est: sic licet eodem sensu pecuniam tradere pauperibus ad modum stipendii, ut scilicet orent pro nobis. Neque obstat, quod talis neque concionaret neque caneret, etc., sine lucro; id enim non probat quod ponat impretiabile sub pretio, sed solum lucrum esse conditionem, sine qua non operaretur, deficiente nempe congrua sustentatione. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 55.

Qui tamen sacra peragunt ministeria principaliter ob emolumentum temporale, non possunt tam facile excusari a peccato saltem veniali; cum sit inordinatio spirituale dirigere ad temporale.

TRACTATUS SEXTUS

DE VIRTUTE JUSTITIÆ

Inter virtutes morales post Religionem veniunt quatuor cardinales: *prudencia, fortitudo, justitia et temperantia*. Verum *justitia* tam copiosum ac necessarium rerum dicendarum exhibet apparatus, ut ab ipsa Tractatum putemus inscribendum his verbis: *Tractatus de Virtute Justitiæ*. Scholastici *de Justitia et Jure* nuncupant.

Cum autem virtus justitiæ in eo sita sit, ut jus suum cuique servetur, necesse profecto est, ut simul cum justitia idea tradatur juris atque domini, quippe quæ hæc sunt justitiæ quasi finis et meta.

QUÆSTIO PRÆAMBULA

DE JUSTITIA ET JURE

455. Q. 1. *Quid est justitia?*

R. Justitia interdum accipitur pro virtutum omnium complexu, ita ut *vir justus* idem sit ac *vir omni virtutum genere donatus*: hoc sensu inquebat Christus: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam*; et de S. Josepho dicitur, *Joseph autem... cum esset justus*¹. Quo etiam sensu D. Chrysostomus: *Justitia nihil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia*². Hic vero justitia sumitur uti est virtus a ceteris specie distincta, et definitur ab Augustino: *Virtus quæ sua cuique tribuit*³. Communiter autem describi solet: *Virtus moralis constanter inclinans hominis voluntatem ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem*.

Dicitur 1. *virtus*, quia tam hominem, quam opus illius reddit bonum; nam bonum est reddere cuique suum; quod quidem virtutis est proprium; — 2. *moralis*, quia non Deum,

¹ Matth. v et i. — ² Hom. xii in Matth. — ³ De Civ. Dei, c. xi

nomine *motivi* intelligitur pretium ipsius rei spiritualis, ut notat Viva, et patet ex contextu. In casu autem nostro hoc nomine non intelligitur pretium rei, sed stipendium personæ in gratiam alterius elaborantis, cui honesta debetur vitæ sustentatio. Ut clarius tamen veritas intelligatur, animadvertere oportet dupliciter hic accipi posse *lucri* vocabulum: vel ut finis operis, vel ut finis operantis. Cum lucrum intenditur *ut finis operis*, adeo ut opus ipsum spirituale intendatur tradi vel accipi, certe committitur simonia: *Simoniam committit*, inquit Angelicus, *qui hujusmodi actum vendere intendit, nempe si distributiones recipit quasi finem sui operis principaliter intentum* (Quodl. 8, q. 6, a. 14). Aliter dicendum est, quando lucrum intenditur *ut finis operantis*, scilicet ratione operationis personæ laborantis in gratiam alterius, quia tunc lucrum accipitur pro stipendio sustentationis, et simonia non est: sic licet eodem sensu pecuniam tradere pauperibus ad modum stipendii, ut scilicet orent pro nobis. Neque obstat, quod talis neque concionaret neque caneret, etc., sine lucro; id enim non probat quod ponat impretiabile sub pretio, sed solum lucrum esse conditionem, sine qua non operaretur, deficiente nempe congrua sustentatione. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 55.

Qui tamen sacra peragunt ministeria principaliter ob emolumentum temporale, non possunt tam facile excusari a peccato saltem veniali; cum sit inordinatio spirituale dirigere ad temporale.

TRACTATUS SEXTUS

DE VIRTUTE JUSTITIÆ

Inter virtutes morales post Religionem veniunt quatuor cardinales: *prudencia, fortitudo, justitia et temperantia*. Verum *justitia* tam copiosum ac necessarium rerum dicendarum exhibet apparatus, ut ab ipsa Tractatum putemus inscribendum his verbis: *Tractatus de Virtute Justitiæ*. Scholastici *de Justitia et Jure* nuncupant.

Cum autem virtus justitiæ in eo sita sit, ut jus suum cuique servetur, necesse profecto est, ut simul cum justitia idea tradatur juris atque domini, quippe quæ hæc sunt justitiæ quasi finis et meta.

QUÆSTIO PRÆAMBULA

DE JUSTITIA ET JURE

455. Q. 1. *Quid est justitia?*

R. Justitia interdum accipitur pro virtutum omnium complexu, ita ut *vir justus* idem sit ac *vir omni virtutum genere donatus*: hoc sensu inquiebat Christus: *Beati qui esuriunt, et sitiunt justitiam*; et de S. Josepho dicitur, *Joseph autem... cum esset justus*¹. Quo etiam sensu D. Chrysostomus: *Justitia nihil aliud est, quam omnium mandatorum plena custodia*². Hic vero justitia sumitur uti est virtus a ceteris specie distincta, et definitur ab Augustino: *Virtus quæ sua cuique tribuit*³. Communiter autem describi solet: *Virtus moralis constanter inclinans hominis voluntatem ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem*.

Dicitur 1. *virtus*, quia tam hominem, quam opus illius reddit bonum; nam bonum est reddere cuique suum; quod quidem virtutis est proprium; — 2. *moralis*, quia non Deum,

¹ Matth. v et i. — ² Hom. xii in Matth. — ³ De Civ. Dei, c. xi

sed hominum honestatem habet pro objecto suo immediato; quæ quidem honestas sita est in tribuendo cuique jus suum; — 3. *constanter inclinans*: dicitur *constanter*, quæ vox indicat propositi nostri firmitatem atque perseverantiam: quod genuinæ virtutis proprium est; *inclinans*, quia est proprium virtutis inclinare ad actus; — 4. *hominis voluntatem*, quia justitia est actus et habitus voluntatis: non vero intellectus, cujus officium est veritatis cognitio; neque memoriæ, cujus officium est recordatio rerum præteritarum; — 5. *ad reddendum alteri*; cum enim justitia in constituenda æqualitate versetur, habet profecto ex ipsa sui natura, ut in alterum tendat: *Nihil autem est sibi æquale, sed alteri*, ait Angelicus¹; — 6. *jus suum*, id nempe quod non solo titulo honestatis, sed stricti nominis obligatione debetur: et hoc propriæ justitiæ objectum constituit. Neque enim hic *jus* sumitur *formaliter*, prout est legitima facultas ad aliquid; sed *objective* prout est debitum rigorosum, ex cujus violatione non solum contrahitur turpitudine moralis, ut in aliis debitis, v. g., gratitudinis, verum etiam obligatio restitutionis; — 7. *ad æqualitatem*: quibus verbis intelligitur accurata mensura rei, quæ redditur, cum jure alterius: sic, v. g., qui centum nummos creditori suo debitos solvit, servat æqualitatem; quia hæc summa jus creditoris perfecte adæquat.

456. Q. 2. *Quomodo dividitur justitia?*

R. Cum justitia dicat ordinem unius ad alterum, totplex erit justitia in Republica, quotplex in ea hujusmodi ordo; atqui iste ordo triplex est, nempe partium ad totum, totius ad partes et partis ad partem: ergo triplex est justitiæ species. *Legalis* una, quæ ordinat partes ad totum, et inclinat privatum ad reddendum communitati quod ipsi debitum est propter bonum commune: dicitur *legalis*, quia habet pro suo objecto id, quod communitati debetur *ratione et vi legum*²; talis est lex tributorum, electio ministrorum, etc. *Distributiva* altera, quæ ordinat totum ad partes, et inclinat voluntatem Superioris ad bona et onera communitatis distribuenda juxta merita et vires subditorum: uti esset distri-

¹ 2, 2, q. 58, a. 2. — ² D. Thomas, 2, 2, q. 65, a. 1.

butio pensionum ac dignitatum. Tertia *commutativa*, quæ ordinat partes inter se, et inclinat privatum ad reddendum alteri privato ad æqualitatem quod eidem stricte debetur, ratione videlicet vel pacti vel contractus vel alterius tituli peculiaris. Dicitur *commutativa*, quia in commutationibus, ut plurimum, solet habere locum¹ (A).

457. Q. 3. *Quid est jus?*

R. *Juris* nomen ductum est vel a *jubendo*, quia continet quæ jussa sunt, id est legis præcepta²; vel melius a *justitia*, quia continet quæ justa sunt, id est recta. *Juris* significatio multiplex est: — 1. significat quod bonum est, ac rectæ rationi consentaneum. Quo sensu Terentius, ut adolescentes arceret a malorum consortio, inquit: *Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum et æquum sciunt?* — 2. scientiam ipsam æqui et boni. Quo sensu in hac scientia versatos *Jurisperitos* vel *Jurisconsultos* nuncupare solemus; — 3. ipsam collectionem legum, quibus regitur homo tam in religiosa, quam in civili societate. Hoc sensu venit *Corpus juris* tum *Canonici* tum *Civilis*; — 4. judicis sententiam, vel locum ubi judicia fiunt. Quo sensu dicitur *judex jus dicere*, et *reus in jus vocari*; — 5. rem, quæ rigorose ac stricte debita est. Hoc sensu res nostra dicitur *jus nostrum*: jus ita sumptum est justitiæ objectum; — 6. *legitimam facultatem ad aliquid*, id est ad aliquid agendum, acquirendum, vel retinendum: quo sensu hic maxime accipitur *jus*³.

¹ Et hæc est, de qua maxime sumus disputaturi, et de qua ceteræ justitiæ species plerumque participant. Ex dictis autem patet justitiæ tria importare: — 1. quod sit ad alterum: quare erga seipsum proprie dicta justitia non datur; — 2. quod in uno sit verum jus, in alio verum debitum: unde hæc non est in Deo relate ad homines; his enim Deus nihil stricte debet; — 3. quod servetur æqualitas: hinc locum hæc non habet in filio relate ad patrem et vicissim, si considerentur *quasi tales*, cum non sit perfecta alteritas; nam filius ad æqualitatem patri nunquam dabit quod debet. Nec pater filio dando dat alteri, aut secundum quod debet; nam dat filio ut sibi, cum filius sit quid patris; unde hoc vinculum est majus vulgari justitia. V. *Charmes*.

² Unde *jus* idem est ac *jussum Dei*, vel *hominis* qui legitimam habet jubendi auctoritatem.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 486 et seq. — Ferraris, *Bibliotheca*, v^{is} Jus, justitia.

458. Jus autem præcipue dividitur in jus ad rem, et jus in re. *Jus ad rem* est jus, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua, ideoque dat actionem non in rem, sed tantum in personam: efficit nempe, ut persona citari possit ante judicem et per ejus sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat; non autem efficit, ut res ante judicis sententiam possit occupari. Sic, v. g., si Titius rem aliquam Caio jam donatam alteri tradat, Caius actionem habet in ipsum Titium, ut eum cogat (nisi lex obstet¹) ad rem illam sibi dandam.

Jus autem in re est illud, quod quis habet in re jam sua, ideoque confert actionem realem, quæ nempe rem ipsam directe afficit: tale est jus illius, cui tradita jam fuit res aut donata. Sic in allato exemplo, si res illa Caio non solum verbis donata sit, sed eidem etiam jam tradita fuerit et postea furto sublata, et a fure in alium emptorem transmissa, Caius actionem habet tum in furem, tum in emptorem, tum etiam in rem ipsam, ad quascumque manus ea tandem devenerit.

459. Ut jus ad rem acquiratur, hoc unum necesse est et sufficit, justus titulus v. g. contractus rite celebratus, vi cujus exigi possit ipsius rei possessio. Ut tamen acquiratur jus in re, requiritur: 1. *existentia rei*: hinc usufructuarius non habet jus in re in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum existunt; 2. *titulus legitimus* v. g. contractus iustus: hinc fur jus in re non habet in bonis, quæ furto possidet; 3. *traditio rei, quoad mobilia* ordinarie loquendo²: hinc qui dono accepit equum aut vestem, non habet jus in re illius equi aut vestis, quando ipsi non tradantur.

Fontes vero, e quibus jus sive ad rem sive in re emanat, sunt dominium et servitus.

¹ Obstat alicubi lex, si res sit mobilis, et hic secundus eam acquisierit in bona fide: unde tunc primus hoc tantum habet, ut sibi satisfiat. — C. Ped., art. 1252. — C. A. civ. 450. — C. G. 1141. — C. S. 1095. — C. P. 1114. — C. M. 1191.

² Diximus quoad mobilia; nam quoad immobilia, generatim sola sufficit acceptatio ad transferendum dominium, et tribuendum jus in re, excidendis.

DISPUTATIO PRIMA DE DOMINIO

CAPUT PRIMUM

DE DOMINII NATURA

460. Q. 1. Quid est dominium¹?

R. Dominium generalissima sua significatione sumptum est *jus gubernandi vel disponendi de aliquo*: ex quo habetur dominium tum jurisdictionis tum proprietatis. Dominium jurisdictionis est *actualis potestas gubernandi subditos in ipsorum commodum, præcipiendo, prohibendo, judicando*. Dominium vero proprietatis de quo hic agitur, est potestas in re: et duplex est tale dominium: *publicum* seu eminens, et *alium*; *privatum* seu humile, uti aiunt, et vulgare.

Dominium publicum definiri potest: *Facultas quæ convenit Reipublicæ disponendi de bonis subditorum, sic exigente bono publico*². Hæc autem exigentia vera sit oportet; neque

¹ Cod. civ. Gall.: « La propriété est le droit de jouir et de disposer des choses de la manière la plus absolue, pourvu qu'on n'en fasse pas un usage prohibé par les lois ou par les règlements (art. 544). »

² « Les productions de l'esprit humain sont la propriété de leurs auteurs, sous l'observance des lois et règlements qui s'y rapportent. » Consentaneum est æquitati, ut concedatur aliquod privilegium auctori vel ad certum tempus, vel ad ejus vitam, ut sic alliciantur homines ad utilia inquirenda, et de labore fructum percipiant. Verum (lege positiva seclusa) Gury docet uti probabilius eum, qui librum typis edidit, non habere jus impediendi, ne quisquam illum prelo committat, et vendat eum damno auctoris, aut editoris cui auctor jus suum transmittit; nam res in communitatem tradita fit eo ipso de jure communi: et ita usus se habet ubique. — Violat tamen jus alienum et tenetur de restitutione qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis evulgat; nam opus quando in lucem non est emissum, sub dominio auctoris remanet. Idem dicendum si quis typis daret lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris, si eas audiendo memoria tenuerit; aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur: aliud quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum. Ita

458. Jus autem præcipue dividitur in jus ad rem, et jus in re. *Jus ad rem* est jus, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua, ideoque dat actionem non in rem, sed tantum in personam: efficit nempe, ut persona citari possit ante judicem et per ejus sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat; non autem efficit, ut res ante judicis sententiam possit occupari. Sic, v. g., si Titius rem aliquam Caio jam donatam alteri tradat, Caius actionem habet in ipsum Titium, ut eum cogat (nisi lex obstet¹) ad rem illam sibi dandam.

Jus autem in re est illud, quod quis habet in re jam sua, ideoque confert actionem realem, quæ nempe rem ipsam directe afficit: tale est jus illius, cui tradita jam fuit res aut donata. Sic in allato exemplo, si res illa Caio non solum verbis donata sit, sed eidem etiam jam tradita fuerit et postea furto sublata, et a fure in alium emptorem transmissa, Caius actionem habet tum in furem, tum in emptorem, tum etiam in rem ipsam, ad quascumque manus ea tandem devenerit.

459. Ut jus ad rem acquiratur, hoc unum necesse est et sufficit, justus titulus v. g. contractus rite celebratus, vi cujus exigi possit ipsius rei possessio. Ut tamen acquiratur jus in re, requiritur: 1. *existentia rei*: hinc usufructuarius non habet jus in re in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum existunt; 2. *titulus legitimus* v. g. contractus iustus: hinc fur jus in re non habet in bonis, quæ furto possidet; 3. *traditio rei, quoad mobilia* ordinarie loquendo²: hinc qui dono accepit equum aut vestem, non habet jus in re illius equi aut vestis, quando ipsi non tradantur.

Fontes vero, e quibus jus sive ad rem sive in re emanat, sunt dominium et servitus.

¹ Obstat alicubi lex, si res sit mobilis, et hic secundus eam acquisierit in bona fide: unde tunc primus hoc tantum habet, ut sibi satisfiat. — C. Ped., art. 1252. — C. A. civ. 450. — C. G. 1141. — C. S. 1095. — C. P. 1114. — C. M. 1191.

² Diximus quoad mobilia; nam quoad immobilia, generatim sola sufficit acceptatio ad transferendum dominium, et tribuendum jus in re, excidendis.

DISPUTATIO PRIMA DE DOMINIO

CAPUT PRIMUM

DE DOMINII NATURA

460. Q. 1. Quid est dominium¹?

R. Dominium generalissima sua significatione sumptum est *jus gubernandi vel disponendi de aliquo*: ex quo habetur dominium tum jurisdictionis tum proprietatis. Dominium jurisdictionis est *actualis potestas gubernandi subditos in ipsorum commodum, præcipiendo, prohibendo, judicando*. Dominium vero proprietatis de quo hic agitur, est potestas in re: et duplex est tale dominium: *publicum* seu eminens, et *alium*; *privatum* seu humile, uti aiunt, et vulgare.

Dominium publicum definiri potest: *Facultas quæ convenit Reipublicæ disponendi de bonis subditorum, sic exigente bono publico*². Hæc autem exigentia vera sit oportet; neque

¹ Cod. civ. Gall.: « La propriété est le droit de jouir et de disposer des choses de la manière la plus absolue, pourvu qu'on n'en fasse pas un usage prohibé par les lois ou par les règlements (art. 544). »

² « Les productions de l'esprit humain sont la propriété de leurs auteurs, sous l'observance des lois et règlements qui s'y rapportent. » Consentaneum est æquitati, ut concedatur aliquod privilegium auctori vel ad certum tempus, vel ad ejus vitam, ut sic alliciantur homines ad utilia inquirenda, et de labore fructum percipiant. Verum (lege positiva seclusa) Gury docet uti probabilius eum, qui librum typis edidit, non habere jus impediendi, ne quisquam illum prelo committat, et vendat eum damno auctoris, aut editoris cui auctor jus suum transmittit; nam res in communitatem tradita fit eo ipso de jure communi: et ita usus se habet ubique. — Violat tamen jus alienum et tenetur de restitutione qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis evulgat; nam opus quando in lucem non est emissum, sub dominio auctoris remanet. Idem dicendum si quis typis daret lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris, si eas audiendo memoria tenuerit; aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur: aliud quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum. Ita

enim Respublica est honorum ac civium domina, sed potius curatrix ac vindex : ideo modus servandus est in hac exercenda potestate, ut neque fines necessitatis excedat, neque id sine retributione fiat, neque acceptionem personarum includat, ita ut plus ab uno quam ab alio extorqueatur; cum omnium civium atque cœtuum bona sacra sint.

Dominium vero privatum, quod dicitur etiam *proprietas*, defini solet : *Jus disponendi pro arbitrio de re tamquam propria, nisi lege, conventionem vel testatoris voluntate prohibeatur*. Dicitur : — 1. *jus* seu facultas, quæ vox locum tenet generis; jus enim tam exerceri potest in personam, quam in rem; — 2. *disponendi*, propria nempe auctoritate non ex alterius commissione. Et quidem *pro arbitrio*, id est ad omnem usum, rem videlicet vendendo, donando, vel etiam destruendo sine causa : etsi improbandus qui re sua abutitur; quia, esto quod non offendat justitiam commutativam, non tamen publicæ et privatæ utilitati studet : *Expedit enim Reipublicæ, ne sua re quisque male utatur*¹; — 3. *de re tamquam propria*, ut dominium distinguatur a nuda possessione etiam legitima; sæpe enim contingit, ut quis habeat possessionem rei, cujus tamen non habet dominium, ut illa uti possit, tamquam sua, uti patet, v. g., de pignore; — 4. *nisi lege* : sic minoribus non permittitur rerum suarum alienatio, nisi ex justa causa, et servatis quibusdam legis solemnitatibus. Et tunc non aufertur dominium, sed impeditur tantum illius usus : sicuti legatis pedibus, impeditur ambulatio actualis, sed non tollitur ambulandi potentia; — 5. *conventionem*, esset si venditorem inter et emptorem conventum sit, ut emptor re emptâ non utatur, nisi post certum diem. *Vel testatoris voluntate*, esset si testator fundum legasset alicui ea conditione, ut illo non utatur, nisi, v. g., post annum.

Dominium hoc, quod scilicet quisque privatus habet in rebus suis, vel *plenum* est, vel *non plenum*. Dominium *plenum* est jus disponendi de re simul, et de ejusdem usu; *non*

judicavit tribunal appellationis Parisiense die 28 feb. anno 1801. Vide *Carrière et Gury*.

¹ Inst., l. I, tit. viii, § ult.

plenum est jus disponendi de re, vel de ejusdem usu; non vero de utroque simul : quare istud dividitur in *directum* et *utile*. Videlicet vel continet solum rem seu proprietatem : et dicitur *directum*, quasi directe rem ipsam, sive ejus proprietatem efficiens. Vel non continet, nisi rei usum et emolumentum, et dicitur *utile* : sic in usu et usufructu dominium *directum* habet dominus, *utile* habet usuarius et fructuarius.

461. Q. 2. Unde repetenda dominii seu proprietatis origo?

R. Dominii origo patebit ex sequenti Scholio :

SCHOLIUM. — *Communismus*.

Errorem vetustate jam exoletum, quo quidem olim prædicabant *omnia bona esse in mundo communia*¹, ab inferis revocare ausa est ætate nostra recens quædam impiorum secta *Communismi* nomine designata. In Helvetia primo renata videtur (anno circiter 1841), ac dein in alias regiones. Ejus solemne effatum est : *Bonorum et rerum communionem in jure naturæ fundari, et ideo nullum dominium, nullumque jus proprietatis in humana societate esse admittendum*. Hic error habuit in Gallia patronum Proudhonium quemdam (cujus opera omnia quocumque idiomate prohibuit S. C. Indicus 22 jan. 1852) : ille eo dementiae devenit, ut dicere non erubuerit *jus proprietatis nihil esse, quam ipsum furtum*. Monstrum hoc anathemate percussit Pius IX sua prima Encyclica, in qua Communistarum doctrinam declarat *infandam ac vel*

¹ Communismum primo professi sunt hæretici, vulgo Apostolici (Epiph., *hæresis lxi*); dein Albigenses, Anabaptistæ; aliique ejusdem furfuris hæretici. Thomas Morus Lovanii librum edidit (anno 1516) in quo Communismum ad systema reduxit : ejus doctrinas quasi ex integro tradidit et in Italiam induxit circa medium sæculum XVII Thomas Campanella. — V. *Histoire du Communisme*, etc., par Alfred Sudre, Paris, 1850. — Bergier, *Dictionnaire*, Append., v^o *Communisme*. — Huc etiam Waldenses revocari possunt, ut patet ex libro *Origine dei Valdesi e carattere delle primitive loro dottrine, Ricerche storiche* di monsignor A. Charvaz, Torino, 1857.

ipsi naturali juri maxime adversam. Et merito; dominium enim seu jus proprietatis in Scriptura et natura ipsa fundatur.

Prob. 1^a pars: *Jus proprietatis in Scriptura fundatur.* Vel ipsi primi mundi habitatores (Adamo et Heva e paradiso per peccatum ejectis), exhibentur nobis a Moysse dominio seu jure proprietatis legitime præditi, quin ideo amici Dei esse desiderint. Sic Abel factus *pastor ovium* et Cain *agricola*¹, uterque fructus e proprio labore provenientes faciebat suos, et de substantia propria offerebat *munera Domino* juxta illud: *Honora Dominum de tua substantia*². Lot etiam et Abraham habebant *greges ovium et armenta et tabernacula* utique propria. Imo, sacro textu dicente: *Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul; erat quippe substantia eorum multa*³: ex quo ad jurgia præcavenda facta est inter eos bonorum divisio, quam Dominus ipse approbavit. Quid ultra? libri omnes tum veteris tum novi Testamenti abundant legibus pro singulorum proprietatibus regendis et conservandis, pro tuendo unicuique jure suo in societate, pro avertendo a cujuscumque substantiis quolibet damno. Uno verbo in utroque Testamento fundatur præceptum de furto non patrandò: *Non furaberis: non furtum facies; sed quomodo hoc præceptum vel concipi mente poterit sine ipso jure proprietatis?*

Prob. 2^a pars: *Jus proprietatis in ipsa natura fundatur;* tolle enim in statu naturæ lapsæ jus proprietatis, et nullam amplius societatem habebis, et homines conspicies perductos ad brutorum conditionem, huc illuc in sylvis errantes instar luporum, quales barbare in deliciis habuit eos contemplari genevensis Philosophus in suo *Pacto sociali*⁴. Sublato proprietatis jure, quis amplius commerciis, quis domorum ædificiis, quis scientiarum, quis artium, quis litterarum studiis, quis agrorum culturæ navaret operam, si fructus inde profecturi non sibi nec suis, sed omnibus indiscriminatim, externis etiam et incognitis, imo et otiosis prodesse deberent? *Si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana*

¹ Genes. iv. — ² Prov. iij. — ³ Gen. xiii.

⁴ V. Muzzarelli, *L'Emilio disingannato*. — Bouvier, *Instit. philos.*, de societ. politica.

*societas, ad rem Angelicus*¹. Hinc merito concludit Pius IX, quod *semel admissa doctrina* (Communistarum), *omnia jura, res, proprietates ac vel ipsa humana societas funditus everterentur.* Sane si consensus omnium gentium naturæ ipsius vox est, quæ natio, qui populus poterit adsignari, ubi non vigeat jus proprietatis? ubi non adsint leges proprietatum custodes? ubi furtum non graviter vetetur et puniatur? ubi uno verbo non habeatur *sacrum et inviolabile meum et tuum* (B)?

COROLLARIUM. — *Radicalismus, Socialismus et Fourierismus seu Systema Phalansterianum.*

462. 1. A Communismo tanquam rivulus a fonte alius exortus est error magis atrox, *Radicalismus*; quia totam civilem societatem radicibus eruit imis. In eo enim situs est, ut de medio tollat quancumque potestatem in mundo, et cujuscumque generis regimen, docens omnes et singulos cives æquali auctoritate præditos esse, nec unum alteri præesse posse; ideoque quodcumque gubernium ipsi naturæ hominum prorsus adversari. Monstrum tam immane exhibuisse, refutasse est². In hoc a Communismo differt *Radicalismus*, quod primus, proclamat æqualitatem civium omnium in bonis; alter æqualitatem omnium civium in auctoritate et jurisdictione: ille inficiatur jus proprietatis, iste vero jus imperii.

2. *Radicalismus*, non secus ac *Communismus*, habebatur a plurimis utpote putidum imaginationis figmentum ad rem minime ducibile (vulgo *utopie*). Quid ergo ferverescentes eorum auctores et asseclæ? ut ostenderent et communismum et radicalismum pro bono societatis ad effectum reduci posse, methodos sine numero induxerunt (et adhuc inducunt sepe etiam secum invicem contradicentes) in Germania præsertim et Gallia; licet complures, ut minori populos timore doctrinis suis exagitent, utrumque temperare studeant, ac verbis in specie

¹ 2, 2, q. 66, a. 6. — V. Salzano, *Elementi di storia antica*, lib. II, digress. sul *Comunismo*. — La Motta, *Saggio intorno al Socialismo e alle dottrine e tendenze socialistiche*. — Taparelli, *Saggio teoretico di diritto naturale appoggiato sul fatto*, v. I, p. 2; Della società. — Donoso Cortes, *Saggio sul Cattolicesimo, Socialismo e Liberalismo*, ecc.

² V. Apologus Menenii Agrippæ de membris humani corporis adversus stomachum conspirantibus penes T. Livium, l. II.

blandis et mansuetis lenire nitantur. Harum methodorum complexio generico *Socialismi* vocabulo solet designari¹.

3. Inter recentiores Socialistas, præter Owen et Hegel, eminebat Carolus Fourier, cujus systema a suo auctore *Fourierismum* appellant. Iste dividit regionum incolas in varias sodalitates ac quasi cohortes, quas *phalanges industrielles* nuncupat, plus vel minus numerosas pro locorum et circumstantiarum diversitate. Unicuique adsignat communes domos ad domicilium, ad victum, ad artes liberales atque vulgares, ad opera, ad lucra; sub datis tamen legibus, et aliquali superiori regimine: eo autem modo, quos nos communes Monasterium domos dicimus *Monasteria*, is communes suorum habitationes *Phalansteria* vocavit, ex quo Fourierismus dictus est etiam *Systema Phalansterianum*. Et sic in deliciis habet auctor cives contemplari singulos artibus, industriae, commercii, opificiis et officinis suis indesinenter intentos feliciter et lætitiæ plenam vitam ducere in suis Phalansteriis, ad instar apum in suis alvearibus, et formicarum in nidis suis. Sed hæc licet verbis pulcherrimis exornata, quomodo locum habere queant in tanta præsertim diversarum gentium multitudine, indole, genio, tenacitate, pertinacia, etc.; et quidem ad longum tempus et sine infinitis incommodis, sine horrida familiarum et morum corruptione, et sine malis cujuscumque generis immensis, credit *Judæus Appella, non ego*² (C).

CAPUT SECUNDUM

DE DOMINII OBJECTO ET SUBJECTO, AC MODIS ILLUD ADQUIRENDI ET AMITTENDI

463. Q. 1. *Quodnam est objectum domini?*

R. Objectum domini sunt omnes res externæ et inferiores, quæ hominis usui subjiuntur. Hinc Scriptura: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves; terram autem dedit*

¹ Proudhon a dit: « La propriété est un vol: » *voilà le communisme!* Le même a ajouté: « Le plus grand mal du monde sont les gouvernements: » *voilà le radicalisme!* L'auteur du livre intitulé *Saggio sul Socialismo* distingue le Socialisme mystique et sensuel de Saint-Simon, le Socialisme anarchique et souverainement impie de Proudhon, le Socialisme agissant et militaire de Mazzini.

² Horatius, *Sat.*, l. I, sat. v.

*filii hominum*¹. Res porro, quæ in hominis dominio esse possunt, aliæ appellantur corporales et incorporales; aliæ mobiles et immobiles.

1. Corporales et incorporales. *Corporales*, sunt quæ sensibus obnoxie, uti, v. g., vestis, fundus, domus. *Incorporales* vero quæ percipiuntur tantummodo intellectu, et in jure consistunt, uti jus nominandi ad Beneficium, jus hæreditatis, etc.

2. Mobiles et immobiles. *Mobiles* sunt quæ soli partem non faciunt, sed loci mutationem de facili recipiunt. Et aliæ tales sunt *ex natura propria*, quæ nempe vel seipsas movent, v. g., animalia: vel moventur, id est facile de uno in alium locum transferri possunt, v. g., massa auri. Aliæ tales sunt ex ipsa legis civilis determinatione, nempe pensiones vitalitiæ, obligationes et actiones etiam hypothecca munitæ, si referantur ad pecunias aut res mobiles: item omnia natantia non expresse comprehensa inter immobilia: item materiæ diruti ædificii, vel ad ædificium construendum congestæ.

Immobiles e contrario appellantur res quæ transferri nequeunt, et triplicis sunt generis. Nempe vel tales sunt *ex natura sua*: et sunt 1. terrena, ædificia, moletrinae, et quævis opera alicujus ædificii partes; 2. moletrinae, balnearia et aliæ natantes fabricæ catenis vel restibus litori adfixæ, et ob quarum usum in litore ædificium existit: item fontes, piscinæ, cursus et ductus aquarum ad aliquod ædificium destinati; 3. fructus terræ et arborum nondum separati a solo. Vel tales sunt *propter earum destinationem*, uti ea quæ a proprietario alicujus fundi data sunt ad ejus culturam, etiam animalia (exceptis bombycibus), quamvis prius æstimata: item quæ fundo, plumbo, gypso, calce, etc., connexa sunt, ut ibi semper maneant, adeo ut sine eorum aut fundi detrimento auferri nequeant². Vel tales sunt *propter objectum*

¹ Ps. viii et cxiii. Hoc autem in bruta animantia dominium, etsi post peccatum quoad exercitium atque usum fuerit imminutum; idem tamen profecto est quoad jus et potestatem, dicente Domino adhuc post diluvium Noe et filiis ejus (Gen. ix): *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.*

² F. Cod. civ. Gall., ab art. 516 ad art. 536.

quod spectant, uti ususfructus rerum immobilium, servitutes prædiales, actiones ad vindicandam rem immobilem, jus domini directi in fundis ad emphyteusim datis, et jus ipsius etiam emphyteutæ: item causidicorum, actuariorum munera (vulgo *charges*), et alia etiam proprietatis privatae¹.

464. Q. 2. *An vita hominis sit objectum illius domini?*

R. Affirmative, si sermo sit de dominio utili; Deus enim reliquit illum in manu consilii sui, ut bene agendo vitam consequatur æternam. At negative si sermo sit de dominio directo et proprie dicto; solus enim Deus sicut vitæ hominis auctor est et conservator, ita solus est etiam ejusdem dominus: *Tu es enim, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem*; et ipse Deus aiebat de se ipso: *Ego occidam, et ego vivere faciam*². Sane vita et corpus præsupponuntur ad dominium tamquam ejus fundamenta; ergo non subjacent dominio. Idem docuerunt vel ipsi pagani: hinc Cicero de *Senectute* refert Pythagoram dixisse, *nemini fas esse injussu imperatoris summi Dei, de præsidio et statione vitæ discedere*. Ex quo consequitur, hominem absque divina auctoritate nunquam posse directe seipsum occidere: quia injuria irrogaretur Deo.

Diximus 1. *absque divina auctoritate*; res aliter esset, si divina auctoritas haberetur, uti adfuit in Samson, et in aliquibus Religionis christianæ Martyribus³; — 2. *directe*, quia aliquando fas est indirecte se interimere: scilicet fas est gravi, ac justa de causa aliquid vel facere vel omittere vel permittere, ex quo mors propria sequatur, dummodo ea minime intendatur; præceptum enim conservandi vel defendendi vitam est affirmativum, ideoque non obligat semper et pro semper. Imo desinit obligare propter necessitatem aut

¹ C. Ped. Art. 398. — C. A. 295. — C. G. 517. — C. S. 459. — C. P. 570. — C. M. 404.

² Sap. xvii; et Deut. xxxii. 39.

³ Plurimi tamen censent, Samson etiam sola virtute muneris sui, scilicet judicis ac liberatoris Israel, potuisse hostibus populi sui interitum moliri, quamvis prævideret se mortem effugere non posse. — V. A. Lapide et Veith, *Comment.* in libr. *Judicum*.

magnam utilitatem; nam ex principio tradito a S. Thoma, licet ob rationem sufficientem ponere causam in se bonam duos effectus habituram, bonum nempe intendendo, et malum permittendo.

Sane cum vita ad moralem nostram perfectionem nobis a Deo concessa sit tamquam scopum primarium, est bonum dumtaxat relativum, virtuti nempe subordinatum: ideo licet illam profundere virtutis gratia. Ita Christus potuisset se defendere contra inimicos, ad nos tamen redimendos sui crucifixionem permisit. Ita Martyres sæpius potuissent se tueri adversus tyrannos, virtutis tamen amore mortem laudabiliter sustinuerunt. At nemo dixerit seipsos Martyres et Christum interfecisse; nam permissio non fuit causa, sed simplex, innocens et remota occasio mortis ipsorum. Ceterum quo majus est periculum et pretiosior res quæ periculo exponitur, eo major debet esse impellens causa, ut sic debita proportio et ita actio cohonestetur.

465. Ex hac regula deducere est: 1. miles potest ad evertendam turrin hostilem aut ad perdendos hostes, pulverem incendere, et minas explodere, quamvis certo prævideat se simul cum hoste fore obruendum. Quod historia Regni Subalpini valde laudavit in Petro Micca: nam finis immediatus explosionis non erat occisio explodentis, sed inimici profligatio et patriæ salus; 2. potest quilibet navem mergere vel incendere, ne inimici ea potiantur cum gravi Reipublicæ damno, etsi prævideat et se mersum iri; 3. potest subditus ad salvandum Principem suum se medium interponere, licet certo prævideat se fore gladio secandum: hæc enim agere non est, nisi indirecte se interimere⁴.

Ex adverso deducitur, nefas esse a vipera morderi pati ad expe-

⁴ Item « dicunt licere cibum amico cedere in penuria, aut tabulam in naufragio, etiamsi eam jam apprehendisset; ita Toletus, Lessius, Sylvius, Lugo, Salmanticenses, Pradus, Busembaum, Victoria, et alii communius contra Soto et Layman, et est valde probabile; quia aliud est sibi mortem, inferre et aliud est omittere vitam tueri, quod est licitum ex justa sane causa. Et hoc expresse docet S. Thomas in 3 sent., dist. 29, q. 1, a. 4, ad 3, dicens: *Tradere seipsum morti propter amicum est perfectus actus virtutis, unde hunc actum magis appetit virtuosus, quam vitam corporalem.* » Ita Liguori, *Homo Apost.*, tract. VIII, n. 1; *Op. Mor.*, l. III, nn. 366 et seq. — V. Ravizza, *Il suicidio, il sacrificio della vita e il duello*: saggi psicologici.

riendum antidotum (nisi constet de experimento, vel iudicio peritorum non adesse probabile mortis periculum). Item nec licet se in carcere interficere ad evitandum infamiae periculum; se abstinere ab alimentis ad vitandas hujus vitae miseriae; se in flumen projicere cum certo mortis periculo ad baptizandum puerum; hoc enim esset sibi vitam directe auferre. Item neque licet occidere jam lethaliter vulneratos, ne diutius patiantur, nec furiosos, ne aliis noceant, sed recludendi sunt. Ratio quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

466. Licetne (quæres) se interimere ad vitandam mortem duriorum, v. g. si quis suo inimico hanc faciat optionem, ut nempe eligat, an ipse velit veneno an laqueo sese interimere, secus gladio illico ab alio transfodiendus; potestne hic venenum sumere, etc.?

— R. Aliqui id permittunt, quia esset eligere minus malum ex duobus malis necessariis; sed negandum est cum communi: hoc enim esset se directe interimere, quod nunquam licet sine divino instinctu. Ceterum ut hac de re occurrentes difficultates solvantur, distinguendæ sunt cum Sylvio actiones ex se causativæ mortis, ut venenum haurire, se ex patibulo projicere cum fune collum stringente, venam aperire quando non est permissio eam claudendi, etc.; ab actionibus quæ non sunt ex se causativæ mortis, sed dispositiones tantum ad eam, uti ascendere scalam patibuli, collum extendere, se per fenestram ejicere ad aggressorem fugiendum. Porro actiones primi generis non licent (etsi id iudex præciperet, ut communius docent cum Angelico), quia esset se vere interficere; licent autem, urgente gravi causa, actiones secundi generis¹.

467. Q. 3. An Respublica habeat dominium in subditos?

R. Respublica habet utique dominium in sibi subjectos quoad eos gubernandos atque regendos; præcipit enim Deus, ut illi subditi simus. At si Respublica ratione sui dominatur subditorum actibus, non tamen directum dominium habet in eorum vitam, ut eam ad libitum auferat; id enim solius est Dei, qui solus et vitæ et mortis habet potestatem. Ceterum id habet indirecte, nempe ratione publici boni, cui providere tenetur; ideo quando bonum illud expostulat, potest subditorum vitam in bello exponere: potest item scelestos interficere, utpote custos tranquillitatis publicæ, eo modo, quo custos vitæ suæ potest putridum ejus membrum sibi resecare

¹ V. Sylvius, *In quæst.* 69, a. 4. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 367. In praxi excusari possunt rudes qui etiam nonnullas actiones primi generis sehgunt, putantes id sibi licere in tali rerum angustia.

pro salute totius. Hinc Apostolus: *Vis non timere potestatem? bonum fac...; si autem malum feceris, time, non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit*¹.

468. Q. 4. An homo habeat dominium propriæ famæ?

R. Affirmative: homo habet dominium propriæ famæ; ratio quia fama est fructus nostræ industriæ, meritis nempe nostris productus; et ideo licitum est nobis illam prodigere. Quare homo potest justa de causa se infamia afficere, v. g., ad petendum consilium, ad coercendam superbiam, ad procurandam humilitatem, ad Dei misericordiam commendandam, ad famam alteri restituendam. Diximus *justa de causa*; nam aliter esset contra rectam rationem. Huc spectat illud Ecclesiastici: *curam habe de bono nomine*², et hoc magis si infamia redundet in dedecus status, aut conditionis propriæ, v. g., Clericatus, instituti Religiosi, familiæ; vel si officiat proprii muneris executioni, v. g., Parochi, Magistri, Rectoris; vel si scandalum asserat, quod in Ecclesiasticis maxime locum habet: *Nobis enim, huc faciunt illa D. Augustini verba, necessaria est vita nostra, aliis fama nostra*³.

Dices: *Ex eo quod possimus condonare mutilationem membri, non sequitur nos esse dominos membrorum: ergo ex eo quod possimus condonare læsionem famæ, non sequitur nos habere ejus dominium.* — R.: *Neg. conseq. et parit.* Ratio disparitatis est, quod non condonamus ipsam mutilationem in se, sed tantum damnum ex mutilatione ortum; nam habemus dominium utile membri quo privamur per mutilationem: unde hanc læsionem condonamus. Sed cum non habeamus dominium directum membri, non possumus condonare ipsam mutilationem; ideo, si membrum restitui posset, non possemus condonare illius restitutionem. Ubi vero agitur de læsione famæ, eam possumus directe condonare, etiamsi reparari possit. *Lyonnet (D.)*

469. Q. 5. Quodnam est domini subjectum?

R. Certum est, omnem et solam substantiam intellectualem domini esse capacem: dominium enim est legitima facultas disponendi pro libito de re aliqua tamquam sua; atqui omnis et sola substantia intellectualis hanc facultatem

¹ Rom. XIII. — ² Cap. XLJ.

³ *De bono viduitatis*, c. XXII.

habere potest¹. Deo quidem soli competit supremum, absolutum et independens dominium in res creatas, clamante Scriptura: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*². Imo hoc dominium nulli potest communicare, quia pendet a creatione et conservatione, quibus Deus abdicare se nequit. Id tamen non impedit, quominus Deus queat dominium particulare communicare creaturis rationabilibus, juxta illud: *Terram autem dedit filiis hominum*³.

Art. I. — De dominio infidelium et peccatorum, parvulorum et amentium, Ecclesiæ et Ecclesiasticorum.

470. Q. 1. An infideles, hæretici et peccatores sint capaces domini?

R. Joannes Hus et Wiclephus docuerunt, eos non esse veri domini capaces, qui sunt in statu peccati mortalis: *Nullus est dominus civilis, inquiebant, nullus est Prælati, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.* — Verum refutantur: infideles enim, hæretici et peccatores etiam actu, quo sunt in peccato mortali, non carent libero arbitrio et facultate disponendi de quacumque re tanquam sua; cum rationalis natura, non vero fides aut charitas sit domini fundamentum. Hinc sacra Pagina uti veros dominos agnoscit tum Principes infideles, quales fuerunt Pharaos, Cyrus alique; tum Reges peccatores, uti fuerunt David, Salomon et alii. Hinc in Concilio Constantiensi diris devota est dicta Hussitarum et Wiclephistarum propositio. Hinc illud Augustini: *Non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum solis piis; regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet*⁴.

471. Q. 2. An parvuli et amentes sint capaces domini?

¹ Ergo etiam Angeli; tamen de facto rerum exteriorum sunt tantum administratores ex ipsis Sacris Litteris.

² Ps. xxiii. — ³ Ps. cxiii.

⁴ Lib. V, de Civ. Dei, c. xxi.

R. Parvuli et amentes, etsi actu careant rationis usu, attamen sunt capaces domini; nam usus rationis necessarius quidem est ad disponendum hic et nunc de bonis, seu ad usum domini; non vero ad habendam possessionem seu dominium habituale, quod quidem immediate fundatur in potentiis: porro potentiæ usum rationis præcedunt: Adde si isti non essent domini capaces, eorum bona pertinerent vel ad Rempublicam vel fierent bona nullius; atqui hæc dicere omnino repugnat. Hinc Apostolus de parvulo sic scribit: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo cum sit dominus omnium*¹.

Quod etiam ad amentes extendi debet, cum eadem sit ratio. Idipsum etiam constat ex omnium populorum usu.

472. Q. 3. Ecclesia estne capax legitimi domini in bona temporalia?

R. Christum Ecclesiæ omnibusque Clericis prohibuisse bona temporalia possidere contendebat sæculo XII Arnaldus de Brixia, turbulentus ille homo, *Quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere*²; sæculo XIII Waldenses; sæculo XIV Marsilius Paduanus atque Wiclephus, et XVI Lutherus. His accesserunt plures moderni publicistæ, ac nonnulli Theologi jansenistarum placitis addicti, qui jus Ecclesiæ ad sola spiritalia restringunt, contententes quoad res temporales, nullum Ecclesiæ jus competere, nisi ex mera legis civilis concessionem.

Attamen quod Ecclesia rerum temporalium domini natura sua sit capax, de fide est. Concilium enim generale Constantiense damnavit has Wiclephi propositiones sub n. 10: *Contra sacram Scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones*; sub n. 32, *ditare Clerum est contra regulam Christi*; sub n. 33, *Sylvester papa et Constantinus imperator errarunt Ecclesiam dotando*. Accedit consensus omnium populorum, qui ubique ac semper suas Ecclesias independentem a Principe dotare non dubitarunt.

¹ Gal. iv.

² S. Bernardus, *Epist.* cxcvi. — V. *Civiltà Cattolica*, ser. III, vol. IV, V, VI: Arnaldo da Brescia.

Accedit invictum præscriptionis argumentum; siquidem historia refert, Ecclesiam bona immobilia vel ante Constantinum libere possedisse. Accedit ratio: Ecclesia suam habet a Deo existentiam a Statu et Principibus independentem; est ergo societas sui juris, independens, perfecta, quæ cum inter homines sit exercenda et ab hominibus, proprietatibus indiget: adsunt ministri, ædes sacræ, Clericorum educatio, cultus instrumenta, solemnitates, sacrificia, et alia plurima. Hinc Ecclesiæ divitias quinto ineunte sæculo jam carpentibus nonnullis respondebat Chrysostomus: *Cum facultatum Ecclesiæ magnitudinem perspicias, cogita etiam inceptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitatem*¹, etc.

Hinc omnium honorum Ecclesiæ usurpationes, distractiones, alienationes, sine ecclesiastica auctoritate peractæ, irritæ prorsus ac nullæ semper fuerunt habitæ. Et Tridentinum contra omnes, quacumque dignitate etiam regali præditos, qui bona, fructus, jura, redditus Beneficiorum, piorum locorum aut Ecclesiarum, vel per se vel per alios, quacumque arte aut quæsito colore usurpare præsumserint, seu impedire ne ab iis ad quos pertinent, percipiantur, graves pœnas tulit. Sunt: 1. excommunicatio major latæ sententiæ et reservata Pontifici; 2. privatio ipso facto juris patronatus, si tali jure sit præditus usurpator; 3. privatio Beneficiorum, et inhabilitas ad alia obtinenda. *Clericus vero* (addit Concilium) *qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subiaceat; necnon quibuscumque Beneficiis, privatus sit, et ad quæcumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum Ordinum executione; etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur*² (notent ecclesiastici illud: *seu consentiens*) (E).

473. Q. 4. An Clerici bona temporalia possidere possint?

¹ Hom. XXI in I Corinth. — V. Thomassinus, *Vetus et Nova Ecclesiæ Disciplina*, par. III, l. I, c. 1, etc. — *Concordatum Austriæ*, art. 29 et seq. — Et Litteræ Apostolicæ Pii IX *Cum Catholica Ecclesia* data in usurpatores Romani Principatus, 26 mart. 1860: contra illos omnes eisque adherentes renovat Pontifex canonicas pœnas, latas tam sub reservatione in Tridentino et alibi. — V. Ferraris, *Biblioth.*, vº Bona, a. 5.

² Sess. XXII, c. XI de Ref. Etiam Bulla *Cænæ*, § 17, id prohibetur; sed Bulla solam excommunicationem injungit; at Tridentinum patronis et Clericis alias pœnas imponit. In Bulla prohibetur solum usurpatio proprie accepta, id est vindicatio sibi facta et sequestratio (uti esset res propria) ju-

R. 1: Bona Clericorum sunt vel patrimonialia, vel quasi-patrimonialia, vel Ecclesiastica.

Bona patrimonialia dicuntur ea, quæ Clerico obveniunt independentem ab omni ministerio aut Beneficio ecclesiastico; sed ex titulo laicis quoque communi, v. g., hæreditate, dono, officio docendi profana, etc.

Bona quasi-patrimonialia sunt quæ Clericis, qua talibus obveniunt sed per modum stipendii, nempe ex functionibus, et officiis ecclesiasticis, ex munere docendi Theologiam vel sacram Scripturam, ex Sacramentorum administratione, concionibus, Missis, fumeribus, anniversariis. Item alii incerti Parochorum proventus ex stola, vulgo *incerti*: item fructus piorum legatorum, Beneficii quoque laicalis. Imo huc veniunt distributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis; quia istæ non dantur immediate ob titulum Beneficii (quamvis ex titulo Beneficii proveniant, ut dicunt Covarruvias, Lessius, Lugo, Salmanticenses, etc.); sed ob servitium, uti merum personæ stipendium. Hæc dicuntur etiam *industrialia*.

Ecclesiastica sunt quæ Clerici acquirunt ex Beneficiis ecclesiasticis: huc referuntur etiam bona, quæ *titulo supplementi* a gubernio solvuntur Pastoribus et Canonicis, ut declaravit S. Pœnitentiaria 19 jan. 1819: sane hæc locum tenent eorum honorum sacrorum quæ inique vendita fuerunt. Item decimæ quæ sunt pars præbendæ. — Bona autem ipsa ecclesiastica triplici sub respectu consideranda sunt: 1. vel tanquam honestæ Clericorum sustentationi necessaria; 2. vel tanquam studiosa quadam frugalitate a necessaria vitæ sustentatione subtracta, et dicuntur *parcimonialia*; 3. vel tanquam superflua, quæ scilicet supersunt honestæ ac necessariæ sustentationi⁴. Hoc posito:

risditionis, fructuum, proventuum, debitorum ratione Ecclesiæ, Monasterii et Beneficii. At in Tridentino prohibetur etiam mandatam, impedimentum, et quælibet injusta invasio ac cooperatio (sive voce sive scripto) ad usurpanda bona, jura, fructus, emolumenta (ideo et distributiones) et quascumque obventiones, quæ in ministrorum aut pauperum necessitates converti debent, sive percipiantur ex aliqua Ecclesia sive Beneficio, vel ex Monte Pietatis aliisque locis piis. *Bonacina*.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 411 et 490. — De dominio religiosorum, vº *De Obligationibus*.

474. R. 2. Si sermo sit *de bonis patrimonialibus* seu profanis, certum est Clericos esse absolutos illorum dominos; et nulla citari potest lex quæ tale dominium Clericis interdicat. Hinc si sacra et ecclesiastica consulatur historia, clare patebit, Clericos iis etiam temporibus, quibus hæretici fatentur Ecclesiam fuisse puram, sanctam et sine macula, bona temporalia possedisse tam mobilia, quam immobilia. Sic discipuli cum Christo ipso vitam agentes habebant pecuniam, qua emerent escas et sibi et turbis: *Emas et emamus in omnem hanc turbam escas; discipuli... ejus abierunt in civitatem, ut cibos emerent*¹. S. Matthæus jam Domini discipulus habuit domum, ubi excepit Christum: *Secutus est eum, et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua, et erat turba multa publicanorum*². S. Joannes domum item habuit, ubi excepit Beatam Virginem post Christi mortem, uti notat Epiphanius³. S. Philippus diaconus domum habebat Cæsareæ, et ibi fideles hospitio recipiebat.

475. Si vero sermo sit *de bonis quasi-patrimonialibus*, tunc Antoine, Habert, Collet cum aliis tenent, Clericos perfectum non habere dominium in ista bona; hæc sunt enim res sacræ, cum ex sacris proveniant. Verum Anacletus, Bergier, Billuart, Lugo, Lessius, Salmanticenses, Sanchez et Sylvius cum Benedicto XIV⁴ et aliis communiter docent, Clericos eorumdem verum habere dominium; quia fideles bona hujusmodi Clericis elargiuntur tanquam rem vere iisdem debitam ob ministerium personale; eaque liberæ eorum dis-

¹ Luc. ix; et Joann. iv. — ² Luc. v. — ³ Hæres. lxxviii.

⁴ *De Canoniz.*, iv, l. III, c. xxxiv, n. 25. Quæ quidem sententia (ait Bouvier, *Inst. Theol.*, t. VI, p. 16. Edit. 6, 1846) longe probabilior nobis videtur ob sequentes rationes: — 1. Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. V, c. viii, n. 5, probat ex Regula Metensibus Canonice data a S. Episcopo Chrodegango sub fine sæculi VIII, eleemosynas pro Missa vel pro alia functione sacra receptas, in quoslibet usus, pro voluntate accipientis expendi posse; — 2. pro ea opinione multo communius stant auctores; — 5. S. Penitentiaria interrogata, an responsio ab ipsa die 19 jan. 1819, data relate ad salaria a Gubernio soluta, extendi deberet ad oblationes fidelium, respondit die 9 aug. 1821, *negative*; magis adhuc expresse locuta est de vero dominio Clericorum circa hujusmodi bona, die 9 jan. 1825... Ad hujusmodi bona pertinent etiam distributiones chorales, jura curialia, et varie oblationes personis ecclesiasticis date, non vero Ecclesiis appropriate.

positioni relinquunt, quin aliquid oneris imponere iisdem intendant: sane quilibet operarius dignus est mercede. Præterea bona ista vel ad Clericos pertinent, vel ad Ecclesiam, vel ad donatores; atqui non ad Ecclesiam, quia ipsi nunquam fuerunt appropriata; non ad donatores, quia iisdem se abdicarunt actu donationis: ergo Clericorum sunt.

476. Si tandem quæstio est *de bonis ecclesiasticis*, an illorum Clerici sint domini, notandum quod hic nomine bonorum ecclesiasticorum non intelliguntur fundi, quos certo Clerici alienare non possunt; cum eorum dominium sit penes Ecclesiam, Clerici autem sint simplices fractuarii: sed solum intelliguntur redditus inde provenientes. Porro vel agitur de redditibus seu bonis ecclesiasticis honestæ sustentationi necessariis; vel de bonis *parcimonialibus*; vel de *superfluis*.

a. Si agatur de iis ecclesiasticis bonis, quæ honestæ Clericorum sustentationi necessaria sunt, certum est Clericos esse veros eorum dominos; nam respectu eorum illi se habent tanquam operarii, qui sibi acquirunt dominium stipendii sui; *quis militat suis stipendiis unquam?* inquit Apostolus: *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*¹. Hinc Concilium Constantiense damnavit Wiclephum, qui asserebat decimas esse meras eleemosynas, quibus Clerici ob eorum peccata possunt a populis expoliari. Quid autem intelligendum sit pro honesta et congrua sustentatione, non potest definiri æqualiter respectu omnium Clericorum; plus enim congruit Episcopo quam Canonico, plus Canonico in Ecclesia cathedrali quam simplici Presbytero, plus in loco quam in alio. Idcirco attendi potius debet ad usum aliorum timoratae conscientiae in eodem gradu, et in iisdem circumstantiis rerum, locorum et temporum². Nec

¹ I Cor. ix. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 180.

² Utrum autem possit haberi ratio nobilitatis, disputant: nobis non videtur damnandus qui id affirmaret; unusquisque enim secundum suum statum vivere potest. Ita quoque licite potest ex his bonis debita post Beneficium contracta solvere; cum id quoque pertineat ad rationem proprii status (imo etiam debita antea contracta, si aliunde non habeat, ut solvat ex propriis bonis, eadem ratione). Sicuti etiam moderatam hospitalitatem exercere; cum id sit debitum virtutis. Item nepotes in studiis alere, si parentes pauperes

refert, si jam ex patrimonialibus habeat Clericus, unde vivat, et dives sit; rationi enim naturali consonum est, ut omnis qui servit altari, de altari vivere possit. Neque divites inservientes Reipublicæ injuste stipendia accipiunt, quia divites: idque expresse tenet Angelicus, qui hoc non limitat, nisi in casu, quo aliquis pauper sit in gravi necessitate: et merito quia tunc Clericus jam habens superfluum statui, pauperi graviter egenti succurrere tenetur, ex ipso jure naturæ.

b. Si agatur de bonis ecclesiasticis parcimonialibus, pariter docent Anacletus, Cabassutius, Covarruvias, Gousset, Lessius, Navarrus alique communiter contra paucos, Clericis competere verum eorum dominium; talia enim bona dantur uti stipendia laborum iis, qui Ecclesiæ inserviunt. Ergo siquis ab ea sustentatione, ad quam jus habet, studiosa frugalitate et parcimonia quidquam sciverit sibi subtrahere et reservare, poterit de illo ad arbitrium disponere; sunt enim detracta ex iis, quæ jam sua sunt. Aliunde absurdum videtur, quod ad eorum acquirendum dominium omnino sint consumenda: si ita esset, tunc eum parcimonia faceret deterioris conditionis. Idem docet S. Thomas¹: *De his autem, quæ sunt specialiter suo usui deputata (nempe Clerici), videtur esse eadem ratio, quæ est de propriis bonis.*

c. Si agatur de bonis ecclesiasticis superfluis, omnes concedunt, Beneficiarios sub mortali teneri (saltem ex virtute Religionis et præcepto charitatis) redditus propriæ sustentationi superfluos in usus pios vel in pauperes erogare; nam sunt bona dicata Deo ac pietate donata. Hinc Tridentinum eos prohibet, ne in usus profanos expendant: *Et omnino eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant; cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant;*

sint ac alii pauperes non graviter indigeant, et ipse alia bona non habeat; tunc enim hoc evadit opus charitatis et misericordiæ. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 182. — Thomassinus, *Vetus et Nova Eccl. discipl.*, par. III, l. III, c. XLVII.

¹ 2, 2, q. 185, a. 7. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 6; *Op. Mor.*, l. III, n. 489.

*eas autem non distrahant nec dissipent illorum causa*¹. Ceterum notant communiter, quod peccatum expendendi superflua in usus profanos, ut pertingat ad mortale, majorem requirit materiam quam in furto: D. Thomas requirit *multum excessum*². Sed quinam multus excessus, disputant; verius sufficit pars vigesima: unde si Clericus ex vigintimilibus superfluis mille expendat in usus profanos, nempe quinque pro quolibet centenario, graviter peccat.

477. Sed magna difficultas est: *An Beneficiatus teneatur etiam ex justitia ad superflua pauperibus distribuenda, ita ut negligens non tantummodo peccet pro gravitate materiæ; sed etiam an teneatur ad restitutionem?*

Prima sententia probabilior affirmat cum Antoine, Habert, Concina, Laymano, Roncaglia aliisque non paucis; quia nulla ratione probatur Beneficiatum adipisci dominium horum fructuum: et si forte adipiscitur, tantum acquirit quoddam dominium limitatum juxta mentem Ecclesiæ ac intentionem fidelium, nempe cum onere adnexo superfluum dispensandi pauperibus. Hinc SS. Patres Basilius, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus, et plurima Concilia hæc bona appellant *bona pauperum, patrimonia egenorum, pretia peccatorum, vota fidelium, bona dominica*³. Ergo Clerici sunt dispensatores tantum, non vero eorum domini: ideoque omne, quod ex illis superest, ex stricto justitiæ rigore pauperibus reddere omnino debent.

Hoc tamen non obstante, negari non potest oppositam sententiam, quæ est valde communior inter recentiores, quamque inter ceteros tumentur S. Antoninus, Billuart, Cabassutius, Grassi, Holzman, Lessius, Lugo, Salmanticenses, Sylvius, Schmalzgrueber cum aliis satis esse probabilem præsertim ob auctoritatem D. Thomæ, qui expresse docet, quod de bonis Beneficiorum eadem habetur ratio, quam de bonis patrimo-

Sess. xxv, c. 1, de Ref.

² 2, 2, q. 185, a. 7. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 491.

³ Basilius ad Jul. Apostat.; Augustinus, in Conc. Carthag. IV; Hieronymus, in c. III Isaie; Ambrosius, Epist. xxxi ad Valentinianum; Bernardus, ad Nepot. Ita Concilium Turonense, anno 815; Aquisgranense, anno 816; Parisiense, anno 829; Valentinum, anno 855.

nialibus¹, id est quoad dominium et immunitatem a restitutione; non autem quoad obligationem charitatis. Hinc S. Doctor aperte dicit in alio loco, quod si Clericus abutitur fructibus suæ præbendæ, *non tenetur ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam peragendam*². Verba autem Patrum ac Conciliorum non videntur ita rigore accipienda hodie præsertim; quia cum habeatur facta (ut Angelicus tenet pro certo) rerum ecclesiasticarum divisio vel per ipsos Pontifices vel pedetentim per ipsum usum, fuit tributum unicuique suum, nempe Episcopo, Clericis, Ecclesiæ et pauperibus: ideo sublata est omnis materia iustitiæ.

Quidquid sit, concludamus cum Benedicto XIV, qui ita Episcopos alloquitur: *Urgeant ipsi et inculcent suis Clericis ex Ecclesiæ stipendiis victitantibus gravem obligationem, quam habent, elargiendi pauperibus aliisque piis usibus applicandi sibi redundantes ecclesiasticos redditus; sed adhuc latentem hujus obligationis originem non investigent*³.

478. Q. 5. An omnia superflua sint eroganda absolute pauperibus?

R. *Exclusa gravi necessitate* potest Clericus bona superflua impendere pro arbitrio in quoscumque usus pios, puta ad Dei cultum augendum; nam Tridentinum dicit *ne dissipentur bona Beneficiorum*⁴; non censentur autem dissipari, si ad usus pios applicentur, quamvis non dentur pauperibus. Imo possunt etiam servari in usus pios futuros, ut ipse docet Angelicus: *Si quis necessitate non eminente providendi pauperibus, de his quæ superfluum ex proventibus Ecclesiæ, pos-*

¹ 2, 2, q. 185, a. 7. — V. Lignori, *Op. Mor.*, l. IV, n. 184.

² Quodl. 6, q. 7, a. 12. — « Neque vero (ad rem Sylvius doctissimus ac felix mentis Angelici interpres) recipienda est expositio Navarri dicentis, S. Thomam esse intelligendum de illa dumtaxat parte, quæ ad ejus honestos sumptus est necessaria; clarum enim est ex textu, ipsum loqui de omnibus bonis, quæ usui Episcopi sunt specialiter deputata; atque distinguere ab iis, quæ sunt deputata usibus vel pauperum vel ministrorum, vel fabricæ Ecclesiæ. »

³ De *Syn. Dioc.*, l. VII, c. II. Ceterum parum refert utrum Prælati damnetur ad inferos, quia peccavit contra iustitiam, an vero quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas ecclesiasticas: ita Bellarminus.

⁴ Sess. XXV, de R., c. I.

*sessiones emat, vel in thesauro reponat in futurum utilitati Ecclesiæ et necessitatibus pauperum, laudabiliter facit*¹. Attamen maxima tunc cautela est adhibenda, ut superflua a propriis bonis secernantur; item illico quid in posterum sit de iis agendum, determinetur, ne differendo de die in diem mors ingruat, et tales redditus a propriis consanguineis diripiantur, ut non semel legendum est.

Diximus tamen *seclusa gravi necessitate*; si enim pauperes ea laborarent tam spirituali quam temporali, nequiret Beneficiarius superflua in alios usus impendere; quia urgeret præceptum naturale, vi cuius qui habet statum superflua ea tenetur sub gravi pauperibus elargiri. Veniunt autem nomine *pauperum* non solum ostiatim mendicantes; sed etiam illi omnes qui sine alieno subsidio nequeunt honestum suum statum conservare, quia sunt pauperes in proprio statu. Atque hoc ad ipsos Beneficiarii consanguineos extendendum est, qui statum suum sustinere non possunt, quin ipsius Beneficiarii elemosynis reficiantur: imo postulat, charitatis ordo, ut Beneficiarius prius subveniat pauperibus consanguineis, quibus tamen tribuendum est *moderate, id est ut non indigeant, non ut ditiores fiant*². Si vero adsint pauperes ipsis consanguineis egentiores, videtur etiam in hoc casu Beneficiarius posse consanguineos præferre; quia subventio propinquorum egentium pertinet etiam ad proprium statum Clerico ipso servandum; cum eorum quodammodo paupertas in ejus dedecus redundet. Hinc dicit Croix, quod sub nomine victus et decentiæ status veniunt omnia necessaria ad se et familiam suam sustentandam; atque familiam spectant parentes, fratres, nepotes et alii consanguinei (F).

Art. II. — De dominio filiorumfamilias, de patria potestate et uxorum bonis.

479. Q. 1. Quænam sunt bona filiorumfamilias?

R. Bona filiorumfamilias (filiorum nempe, qui adhuc sun-

¹ 2, 2, q. 105, a. 4. — At hodie multæ et quotidiane habentur necessitates, adeo ut non facile valeant excusari Clerici sub quocumque prætextu thesaurizantes.

² 2, 2, q. 185, a. 7. Hinc si ipse Beneficiatus statum suum mutet ex assumptione ad splendidum aliquod Beneficium, poterit subvenire consanguineis saltem proximioribus, ut ipsi decenter vivant juxta ejus dignitatem, cum de ipsa aliquo modo participare videantur. Quod tamen de solis Episcopis aliisque ad similem dignitatem assumptis, non vero de Parochis aliis accipiendum est, ut recte ait Roncaglia; nam quoad istos non videtur tanta immutatio, cum uti ordinaria habeatur. Oportet autem ut omnes

sub patria potestate) cum constituent parvulum quasi patrimonium, *peculii* nomine solent appellari: et quadruplicis generis sunt, castrensia, quasi-castrensia, adventitia et profectitia¹.

1. Bona *castrensia* dicuntur quæ filiifamilias obveniunt causa militiæ vel illius occasione². Huc revocantur: 1. quæ filius sibi comparavit in castris, sive debita uti stipendia, sive acquisita uti prædæ legitime ab hostibus captæ; 2. dona a Ducibus, a parentibus vel ab uxoribus militiæ intuitu collata; 3. quæ ob aulicum servitium obvenerunt vel a peculio castrensi producta sunt. Certum est et lege et usu, horum omnium filiosfamilias habere dominium et usumfructum.

2. Bona *quasi-castrensia* dicuntur: 1. quæ filiifamilias sibi compararunt vel ex publici alicujus officii gestione, v. g., Senatoris, administratoris Provinciæ, judicis, advocati, medici, notarii: et dicitur peculium *forense*; 2. quæ proveniunt ex professione artium liberalium, aut earum intuitu: et dicitur peculium *scholasticum*; 3. quæ a Principe dono traduntur: et dicitur peculium *palatinum*; 4. quæ Clericus sibi acquirit in Clericatu, seu factus Clericus, quocumque titulo ea sibi obviant: et dicitur peculium *clericale*³. Etiam

summopere caveant, ne bona consanguineis data ad eorum subveniendum necessitati, potius vitia et otia foveant, vel eos ditiores efficiant. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 491, q. 2.

¹ Hæc distinctio a romana lege inducta est, sed a Codice civili Pedemontano prætermittitur: nempe ex art. 224 omnia bona filiorumfamilias *adventitia* dicuntur. Hæc tamen claritatis gratia ita dividi possunt, ut alia sint *adventitia regularia*, alia *adventitia irregularia*. Illa sunt quorum proprietas ad filium, ususfructus ad patrem; ista quorum ususfructus et proprietas ad filium spectant. Pertinent ad primam classem quæ filiis obveniunt ex quacumque causa lucrativa, v. g., donationibus, legatis: pertinent ad secundam quæ filii singulari et onerosa causa comparant, sibi, clericatum, militiam, munia publica, vel liberales artes exercendo; item quæ separata industria filii assequuntur. Nos romanam distinctionem claritatis gratia quoad nomina retinemus, questiones ex lege nova resolventes. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 488, etc.

² a Castrensia non sunt (ait *Continuator Tournely*) quæ in bello injusto, vel privato, vel illius intuitu comparantur. — V. Ferraris, *Biblioth.*, etc., vº Bona, art. 4.

³ Excipe: 1. bona profectitia quæ non possunt venire in Clericorum dominium, cum ea sint in dominio patris; lex autem loquitur solum de re-

horum bonorum dominium et usumfructum habent filiifamilias.

3. Bona *adventitia* sunt, quæ filiifamilias sibi comparant independentem a patre⁴.

4. Bona *profectitia* sunt quæ filiifamilias obveniunt ex bonis patris, ut cum filii bona patris administrant, vel in negotio patris, vel nomine patris laborant: ex Codice civili hæc bona pertinent ad patrem et quoad usumfructum et quoad proprietatem.

480. An (quæres) filiifamilias possint sibi in conscientia vindicare aliquod lucrum seu stipendium exigere a patre, ideo quia in ejus negotio laborant, ipsumque adjuvant? R. Si in negotio patris impendunt laborem ordinarium, citra conventionem nihil sibi retinere possunt filiifamilias, quia lucra eo in casu non sibi, sed probabilius patri acquirunt; tunc enim censentur agere uti partes familiæ: quid sane magis congruum, quam ut filii patrem adjuvent in sua arte, quam inde et ipsi addiscunt? Ideo filii, ipsa naturali æquitate dicente, censentur laborare uti membra familiæ, et sic lucrum familiæ cedere debet. Si vero in iis negotiis impendant laborem extraordinarium, et præ ceteris fratribus laborent, tunc ea extraordinaria sibi acquirunt, uti docent Angelus, Bartolus, Billuart, Cabassutius, Collet, Decius, Elbel, Ituriaga, Lessius, Lugo, Pontas, etc. Sane ex una parte filiifamilias non censentur deterioris conditionis, quam sit extraneus, cui in hoc casu concederetur stipendium illius excessus; ex alia parte nulla lege gratuito titulo illa extraordinaria adjudicantur patri. Et axioma est a Romana lege sancitum et ab omnibus admissum, vel saltem in præsentis casu admittendum: *Pietatem liberi parentibus, non opera debent*⁵.

bus ad dominium filii Clerici venientibus; — 2. bona ante Clericatum possessa, quæ ejusdem remanent naturæ, etiam Clericatu adepti. Lugo, Molina, Sanchez.

⁴ C. Ped. 224 et seq. — C. A. civ., § 149. — C. G. art. 584. — C. S. 501. — C. P. 92. — C. M. 129. — C. H. art. 9.

⁵ *Dig.*, l. XXXVII, t. XV: de obseq. parent. Lege xiv. — Consentit *Cod. Ped.*, art. 226. — C. A. civ., § 151. — C. G. art. 587. — C. S. art. 501. — C. P. 91. — C. M. 129. — C. H. 9.

Unde filii possunt sibi compensare illa lucra, si ex rubore non petierint, neque remiserint gratis laborare volendo, vel nisi remittere debuerint ob patris necessitatem. Sed tunc deducendæ sunt expensæ, quas pater fecerit in alendo, educando ac vestiendo filio; eas enim ipse dare non tenebatur filio potenti lucrari et volenti; cum tunc filius habeatur potius quasi unus de mercenariis patris¹.

481. An (addes) filiusfamilias perfectum habeat dominium in bona minuta ac mobilia, quæ sibi a parentibus tradita sunt? Si hæc bona tradita a parentibus non sunt illico usu consumptibilia, uti vestes, libri, etc., filiusfamilias utile tantum habebit in iis dominium; nam ex communi sensu eo in casu illa bona non habentur uti absolute donata, et parentes solent in filiis suis de hisce bonis improbare dispositiones, ipsis inconsultis, peractas. Ideoque bona ista nequeunt filii absque parentum suorum consensu vel expresso, vel saltem rationabiliter præsumpto nec donare, nec vendere, nec mutuare, nec quomodo-ocumque ea alienare.

Si vero ea bona primo usu consumuntur, ut pecunia, tunc si data absque ulla conditione, juxta omnes, potest filius de iis pro nutu disponere; cum ipsis libere relicta habeantur. Si autem data sint sub conditione aliqua, v. g. emendi libros scholasticos, solvendi pensionem, tunc filius nullimode habet dominium in ea bona; ideoque si bona illa alium in finem impenderet, v. g., si pecuniam datam pro pensionis solutione in ludo consumeret, peccaret profecto contra justitiam; cum disponderet contra jus ipsi tributum. Unde onus incurreret restitutionis, nisi rationabiliter judicaret, parentes de hoc rogatos esse condonationem facile concessuros: quod tamen non erit facile præsumendum, si paterfamilias non ita sit dives, atque habeat alios filios alendos, educandosque.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 488, 544 et 910. — Pavone, *Spicilegio*, ecc., §§ 75 et seq., ubi fusius. Quantitas exigenda æstimari debet in bona fide ex modo laborandi et natura operis; si enim filius laboravit ut socius, v. g., in commercio, habet jus ad lucra, juxta regulas istiusmodi societatum: si ut mercenarius, habet jus ad stipendium in tali conditione usitatum: et quod de filiofamilias dicitur, pari ratione de nepote, de filiofamilias et de nepte dicendum est. Sedulo autem notandum est hanc sententiam nostram circa præsentem gravissimi momenti quæstionem, publice docendam non esse propter incommoda, quæ per abusum inde sequerentur; sed in praxi non parum erit utilis ad solvendos ea de re casus existentes ac difficiles.

482. Q. 2. Ad quem pertinet administratio bonorum filiorumfamilias?

R. Administratio bonorum filiorum pertinet ad patrem juxta illud Codicis civilis (Gallici): Le père, durant le mariage, et, après la dissolution du mariage, le survivant des père et mère, auront la jouissance des biens de leurs enfants jusqu'à l'âge de dix-huit ans accomplis, ou jusqu'à l'émancipation qui pourrait avoir lieu avant l'âge de dix-huit ans. — Les charges de cette jouissance sont: 1° celles auxquelles sont tenus les usufruitiers; 2° la nourriture, l'entretien et l'éducation des enfants selon la fortune; 3° le payement des arrérages ou intérêts des capitaux; 4° les frais funéraires et ceux de maladie. — Cette jouissance n'aura pas lieu au profit de celui des père et mère contre lequel le divorce aurait été prononcé, et elle cessera à l'égard de la mère dans le cas d'un second mariage. — Elle ne s'étendra pas aux biens que les enfants pourront acquérir par un travail et une industrie séparée, ni à ceux qui leur seront donnés ou légués sous la condition expresse que les père et mère n'en jouiront pas¹.

483. Q. 3. Quid est patria potestas?

R. Patria potestas est quoddam quasi imperium a lege parentibus datum tam relate ad custodiam et educationem filiorum, quam relate ad usumfructum bonorum iisdem competentium: congruenter hac potestate gaudent genitores tum ob vitam quam filiis dederunt, tum ob educationem quam illis debent. Et patri et matri convenit hæc potestas jure naturæ inspecto; attamen lege civili patri solummodo directe tribuitur ad confusionem vitandam; mater autem non nisi in aliquibus casibus hac potestate gaudet. Imo si pater et ipse sub patria potestate sit vel nondum emancipatus obierit², tunc filiusfamilias est sub potestate avi paterni³. Sub patria potestate sunt non tantum filii legitimi et adoptivi, sed ipsi

¹ C. G. 384-387.

² « Le mineur est émancipé de plein droit par le mariage. » C. G. 475. Not. edit.

³ C. Ped. 211. — C. A. 472. — C. G. 371-387. — C. P. 85. — C. M. 419. — C. H. 5.

etiam illegitimi, si tamen legitimentur vel per subsequens matrimonium, vel per Principis rescriptum. « Les enfants nés hors mariage, autres que ceux nés d'un commerce incestueux ou adultérin, pourront être légitimés par le mariage subséquent de leurs père et mère, lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou qu'ils les reconnaîtront dans l'acte même de leur mariage. » Cod. civ. Gall. art. 331.

Effectus autem patriæ potestatis alii sunt a jure naturæ, alii a jure civili. Jure naturæ parentes habent jus et officium simul educandi, instituendi et corrigendi per moderatas pœnas proprios filios. Jure vero civili hæc habent: 1. quoad filiorum bona, ut ipsi ea administrent, et eorum usumfructum percipiant, sub certis tamen regulis ex supra dictis: itemque ut filios repræsentent in omnibus actibus civilibus; 2. quoad filiorum personas, ut ipsi nequeant domum paternam deserere ante 21^{um} ætatis annum completum sine consensu patris, vel nisi adsint probatæ causæ¹. Item facultatem habet pater exposcendi a civili Tribunali ut filius suus, si incorrigibilis, carcere includatur². Quam facultatem, defuncto marito, habet etiam mater (licet ad secundas nuptias transierit) quoad filium minorem qui non sit sub avi potestate: si tamen consentiant duo consanguinei paterni ex proximioribus³.

484. Quot modis (quæres) patria potestas dissolvitur?

R. Pro ea parte, qua patria potestas innititur jure naturali, nunquam dissolvitur; ideo cum officia honoris, amoris atque reverentiæ filiorum erga parentes oriuntur præcipue ex ipso jure naturali, hæc perpetua sunt.

Sed pro parte, qua hæc potestas innititur jure tantum civili, dissolvi potest: — 1. *sententia tribunalis*: si nempe

¹ V. Cod. civ. Gall., art. 351, etc.

² Huic ex professo inservit noviter instituta Societas opera Patrum a Somascha tum Mediolani, tum Genævæ, rege Carolo Alberto probante. In ea siquidem male morati ac perditii filii recipiuntur, atque mira laudatorum PP. patientia, charitate ac zelo ad meliorem frugem revocantur totique immutantur.

³ Cod. civ. Gall., art. 581.

pater modis graviter malis vexet filium suum, et patria potestate abutatur contra ipsum, munus erit tribunalis Regii filium a patria potestate per sententiam liberare; — 2. *morte naturali patris* qui patriam habet potestatem: et ideo filius qui sub ejus manu est, eo mortuo, fit sui juris; nisi cadat sub alterius potestate, nempe tutoris juxta legis determinationem. Mortuo autem avo, nepos tunc tantum sui juris evadit, cum non recidit sub potestate patris sui: non recidit autem, si nepos, consentiente patre, fuerit ab avo emancipatus; — 3. *declarata absentia patris*, quoadusque ipsa durat; inquit enim Codex civilis: « Si le père a disparu laissant des enfants mineurs issus d'un commun mariage, la mère en aura la surveillance et elle exercera tous les droits du mari, quant à leur éducation et à l'administration de leurs biens¹. » — 4. *emancipatione*, ad quam deveniri non potest ante 18^{um} annum completum filii. Est autem emancipatio *actus legitimus*, quo pater liberos a sua potestate dimittit, ut sui juris efficiantur: qui actus coram judice sponte emitti debet a patre, et a filio acceptari². — 5. *Sententia criminali judicis*: id evenit, si pater judicialiter damnetur ad pœnam, quæ patriæ potestatis exercitium non amplius patiatur, qualis est pœna mortis et damnatio perpetua ad triremes. Vel etiam damnetur ad pœnam mitiorem, sed ob turpia prostitutionis, corruptionis et incestus scelera: esset nempe si personam, quæ est sub sui potestate, prostitui vel corrumpi studuerit, aut cum ipsa incestum patraverit. Hinc versus:

*Si genitum vexet genitor, moriatur, et absit;
Si genitus liber est, patrem si pœna coercet.*

485. Q. 4. Quid de uxorum bonis?

R. Bona uxorum triplicis generis sunt: *dotalia*, quæ ab uxore vel ab alio ejus nomine marito traduntur ad sustinenda onera matrimonii; *paraphernalia*, seu extradotalia³, quæ uxori

¹ V. Cod. civ. Gall., art. 141.

² C. G. 477. — Ex codice civ. Gall. mortuis patre et matre, minor nequit emancipari ante 18^{um} annum completum. Not. Edit.

³ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 489. *Paraphernale* est a græco *para* præter, et *pherne* dos.

obveniunt extra dotem, v. g., donatione et hæreditate; *communia*, quæ communi utriusque conjugis labore acquiruntur. Hoc posito, hæc civili lege ac usu statuta sunt:

1. *Bonorum dotalium* uxor habet proprietatem; maritus usumfructum et administrationem, qui ideo jus habet prosequendi in iudicio dotis debitores, etc. Potest tamen constitui in contractu, quod uxor singulis annis recipiat partem fructuum pro minutis expensis. Si autem dos sit in pecunia, vel res dotalis sit æstimata in rebus mobilibus, tunc maritus acquirit proprietatem (nisi aliud fuerit declaratum); sel soluto matrimonio, pretium debet restituere quasi celebrata venditione. Si vero res dotalis æstimata immobilis sit, non transit in proprietatem mariti, nisi hoc ipsum in instrumento dotali exprimat¹.

2. *Bonorum paraphernalium* proprietatem et ususfructus est penes uxorem: ideo illa sine ejus consensu ne administrari quidem a marito possunt; attamen uxor sine mariti permissione nequit ea alienare. Sed notandum est, quod si omnia bona uxoris paraphernalia sint, non constituta dote, nec alia existente conventionem, ipsa ad conjugii onera concurrunt usque ad tertium suorum reddituum².

3. *Bonorum communium*³ ob receptam, saltem penes nos, consuetudinem ea conditio est, ut quidquid uxor acquirit ex communibus operibus, v. g., si maritum in negotio vel in opificio adjuvet, non sibi, sed marito acquirat⁴.

486. *Quid dices si mulier proprio nomine laboraret, v. g., si pictricæ sit, vel propria pecunia negotietur?* Putamus eam non marito, sed sibi acquirere: nam mulier sui juris est: neque ullibi in iure

¹ De conjugum in bona communia dotalia et paraphernalia iuribus legatur. Cod. civ. Gall., ab art. 1587 ad 1581. Not. edit.

² C. Ped. 1567.— C. A. 139.— C. G. 1575.— C. S. 1587.— C. P. 1580.— C. M. 1460.

³ « Le mari administre seul les biens de la communauté. » C. G. 1421. Not. edit.

⁴ Si quid acquireret uxor labore extraordinario post datam gubernationi familie debitam attentionem; vel aliquid de sibi concessis ad solatium, vestitum, etc., substrahendo per parcimoniam, de eo potest disponere ad pios usus, puta pro anima sua, si aliud non obstat. Ita resolvunt Theologi ex æquitatis regulis.

recensetur inter personas, quæ aliis acquirant. Quando autem mulier dicenda sit sibi negotiari, attendatur Codex civilis: « La femme n'est pas réputée marchande publique, si elle ne fait que détailler les marchandises du commerce de son mari, mais seulement quand elle fait un commerce séparé¹. »

487. *An (quæres) sponsi possint secum invicem inire societates bonorum?* Si agitur de *societate universali*, ea iniri non potest, nisi in contractu matrimonii, et tantummodo quoad fructus percipiendos: et nequeunt in ea comprehendi debita et credita ante conjugium existentia; sicuti neque illa, quæ postea deferuntur titulo successione, legati aut donationis. Quoad reliqua, conventionem deficiente, observentur regulæ pro contractu societatis. Quod vero pertinet ad *societatem particularem*, ea tum sponsis tum conjugibus permittitur, si auctoritas accedat Præfecti Tribunalis, qui certiorari debet de mulieris voluntate, ac cavere ne quid fiat contra leges.

488. Q. 5. *Quot sunt modi acquirendi rerum domini et amittendi?*

R. Cum dominium nunc innitatur duplici jure, gentium et civili, duplicis iccirco generis distinguuntur modi, quibus illud acquiri potest: alii sunt juris gentium, alii juris civilis.

1. Modi juris gentium varii sunt pro rerum varietate; vel enim acquiritur res, quæ est nullius aut nullius censetur; et modus iste dicitur *originarius*, quia cum ipsa domini origine necitur. Huc venit *occupatio*, cum nempe aliquid acquirimus facto nostro; et *accessio*, cum acquirimus vi rei nostræ. Vel acquiritur res, quæ alicujus jam est, et modus iste dicitur *derivativus*; quia per eum dominium ab uno derivat in alium: et huc maxime venit *translatio*.

2. Modi juris civilis dividuntur in universales et particulares; per universales acquirimus universitatem bonorum, v. g., totum assem hæreditarium: et huc maxime venit *hæreditas*. Per particulares non acquirimus, nisi dominium rerum particularium, v. g., domum, palatium: huc veniunt *præscriptio* et *contractus*.

489. Rerum autem dominium amittitur: 1. morte illud habentis; nam mors omnia temporalia jura solvit; 2. voluntate domini sive per contractum translative proprietatis; sive per abdicationem, cum quis nempe suo juri renuntiat; 3. iudicis sententia, quæ obtinet tum in casu expropriationis bonorum, quam prosequitur creditor, ut debiti solutionem obtineat; tum in casu pœnæ, quæ dicitur bonorum *confiscatio*, qua scilicet bona fisco adjudicantur; 4. ipsa lege, quæ pleno jure suum sortitur effectum: casus esset, v. g., revocatio donationis per supervenientes filios in donatore.

¹ Cod. civ. Gall., art. 220.

DISSERTATIO PRIMA

DE OCCUPATIONE, ACCESSIONE ET TRADITIONE

CAPUT PRIMUM.

DE OCCUPATIONE

490. Q. 1. Quid est occupatio?

R. Occupatio definitur: *Apprehensio rei corporalis in nullius dominio existentis, animo eam sibi comparandi*. Dicitur: 1. *Apprehensio rei corporalis*; incorporalia enim, uti jura, apprehendi nequeunt corporaliter; 2. *In nullius dominio existentis*, id est ad neminem in particulari spectantis; quia dominium rerum, quæ jam sunt alicujus, acquiritur diversimode, v. g., emptione; 3. *Animo eam sibi comparandi*; si enim quis rem compararet nomine alterius, non sibi sed alteri acquireret.

491. Occupationis species sunt: *Inventio, venatio et piscatio*. Per inventionem rerum occupatio casu fit; res autem quæ inveniuntur, *aliæ* dominum neque habent, neque habuerunt: v. g. lapilli et gemmæ, quæ in littore maris interdum reperiuntur. *Aliæ* dominum quidem jam habuerunt, sed nunc desierunt habere: uti sunt thesaurus, bona vacantia et derelicta. *Aliæ* dominum habent, sed ignoratur quisnam sit: ut sunt res nuper amissæ. — Per venationem vero et piscationem, data opera, nostra facimus animalia, quæ sunt nullius in particulari. Hic animalia distinguuntur triplicis generis; alia sunt *natura sua fera*, quæ nempe libere vagantur, qualia sunt animalia vel terrestria, uti lepores, vel volatila, ut aves in aere volantes; vel natantia, ut pisces in mari, lacu aut fluminibus. Alia sunt *natura sua mansueta et domestica*, ut oves, gallinæ, boves. Alia *cicurata*, quæ ex feris mansueta fiunt, ut columbæ in columbario, cuniculi in garena¹.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 495; et *Homo Apost.*, tract. X, n. 9.—

492. Q. 2. Quid de venatione et piscatione?

R. Venatio definitur potest: *Ferarum indagatio et persecutio*; piscatio autem *piscium captura*. Nemo negaverit utramque per se licitam esse: nulli enim fit injuria capiendo quod nullius est. Diximus *per se*: quia leges utramque justis de causis prohibere vel moderari possunt. Hinc addiscendæ hæc de re, si quæ sunt superiorum legitimæ ordinationes¹ (G).

493. *Cujus sunt (quæres) animalia venatione et piscatione capta?* Vel hæc animalia sunt mansueta, vel mansuefacta, vel fera.

Si mansueta, illa semper sunt domini sui, etsi ab ejus conspectu subtraxerint se: ita ut si quis lucrandi animo ea detineret, vel fructus ab iis perciperet, v. g., plumam, ova, etc., furtum committeret; quia res et ejus fructus semper clamant ad dominum.

Si mansuefacta, quoadusque ea retinent consuetudinem revertendi ad dominum, semper sunt domini perinde ac animalia mansueta. Si vero illam consuetudinem amiserunt, erunt primi occupantis, non secus ac animalia fera; quia eo in casu cum iis æquiparantur².

Quid de columbis, cuniculis et piscibus, si sedem mutant?

R. Hujus casus definitionem habemus in Codice civili (Gallico³): « Les pigeons, lapins, poissons qui passent dans un autre colombier, garenne ou étang appartiennent au propriétaire de ces objets, pourvu qu'ils n'y aient point été attirés par fraude et artifice. »

Quid vero (quæres) de apibus, si alveare reliquerint? Hæc habet lex civilis apud Gallias: « Le propriétaire d'un essaim a le droit de le réclamer, tant qu'il n'a pas cessé de le poursuivre, autrement l'essaim appartient au propriétaire du terrain sur lequel il s'est fixé⁴. »

Code. Pd., art. 682. — C. A. 581. — C. G. 712. — C. S. 655. — C. P. 561.

— C. M. 626. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v. Venatio.

¹ C. Pd. 685. — C. A. 585. — C. G. 715. — C. S. 655. — C. P. 564. — C. M. 628.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 604.

³ Art. 504, 517, etc.

Loi de 1791. « Selon le droit romain (addit cardinalis Goussel), il faut

Si animalia sint fera, apud omnes definitum est eadem esse primi occupantis : *Et volucres et pisces, inquit Justinianus, et omnia animalia, quæ mari, cælo et terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt; quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur*¹.

494. Q. 3. *Cujus sunt res quæ dominum nec habent nec habuerunt?*

R. Lege civili definitum est, ratione ipsa suggerente, res inventas, quæ dominum nec habent nec habuerunt, pertinere ad ipsum inventorem. Hinc lapilli, gemmæ, fragmenta auri, margaritæ, coralla, etc., quæ in fluminum fundo reperiuntur vel scopulis adhærent, sunt inventoris. Non sunt tamen inventoris, sed domini fundi venæ metallicæ, lapidicinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ, quæ considerantur tanquam pars fundi, in quo inveniuntur, uti aquæ fons, qui ibi scaturiret². Hic tamen sunt locorum leges inspiciendæ.

495. Q. 4. *Quid de thesauro?*

R. Thesauri nomine venit quæcumque res infossa, vel abscondita, cujus domini memoria non extat, ita ut nemo possit demonstrare illam esse suam³. Dicitur quæcumque res (intel-

pour acquérir la propriété d'un essaim qu'il y ait prise de possession en l'enfermant dans une ruche : Si alius apes incluserit, is earum dominus erit. (*Inst. de div. rerum.*) Ce qui paraît plus conforme à l'occupation des animaux qui ont recouvré leur liberté naturelle. Aussi nous pensons qu'on n'est point tenu, avant la sentence du juge, de rendre l'essaim dont on a pris possession à celui sur le terrain duquel il s'était arrêté. » — *Théologie morale*, t. I, n. 702, nouv. édit.

¹ *Instit.*, l. II, t. I, *De rer. div.*, § 12.

² In fundo alieno fungos perquirere, vel colligere glandes, vel sibi vindicare nuces ac castaneas, quas (iis jam collectis) conductæ mulieres stramen pectinando, vel alii casu inveniunt, ferme ubique consuetudo permittit, ut permittit in alienis agris vel vineis colligere spicas vel uvas, quæ fugiunt manus metentium vel vendemiatorum. Hæc uti totidem bona a domino derelicta habentur. Sed cavendum, ne talia inquirendo alienis fundis damnum inferatur, ut non raro legendum est.

³ Ex Codice civili Gallico : « Le trésor est une chose cachée ou enfouie, sur laquelle personne ne peut justifier sa propriété, et qui est découverte par le pur effet du hasard. Art. 716. — La propriété d'un trésor appartient à celui qui le trouve dans son propre fonds. Si le trésor est caché dans le

lige quæ sit pretio æstimabilis) : ergo pecunia, numisma, vasculum, urna, statua possunt esse materia thesauri. *Infossa vel abscondita* : secus res non haberetur ut verus thesaurus ex jurisconsultis, et communi acceptione. Porro thesaurus, attento solo jure naturæ ad inventorem spectat, quia habetur uti res nullius, non autem uti pars loci : unde esse debet primi occupantis. Attamen spectato jure civili, totus quidem est inventoris thesaurus, si in proprio fundo inveniatur : verum si inveniatur in fundo alieno, tunc id si simplici casu contingat, thesaurus dividitur per dimidiam partem inter inventorem et dominum fundi ; si autem data opera, totus domino fundi cedit thesaurus⁴. Hic etiam notandum est :

1. Per dominum fundi intelligitur qui habet dominium directum fundi ipsius, non vero qui habet utile tantum : unde usufructuario nullum competit jus in thesaurum, nisi sit inventor.

2. Censetur invenisse thesaurum qui primus rem viderit aut visibilem reddiderit, etsi eam non apprehenderit : unde si artifex coram domino laborans thesaurum videt, et dominus eum removeat ne illum apprehendat, nihilominus artifex jus habet ad dimidiam partem. Excipe si artifex præcise a domino conductus fuit ad quærendum thesaurum : tunc non ipse, sed illius conductor seu dominus fundi thesaurum invenisse censetur⁵.

fonds d'autrui, il appartient par moitié à celui qui l'a découvert, et pour l'autre moitié au propriétaire du fonds. »

⁴ « Celui (inquit cardinalis Gousset) qui aurait trouvé un trésor dans le terrain d'autrui en y faisant des fouilles sans le consentement du propriétaire, serait condamné à rendre à celui-ci le trésor entier. Mais, comme cette disposition de la loi civile n'a pour objet que de punir le délit qu'on a commis en fouillant un fonds sans la permission du maître, on n'est pas tenu de s'y soumettre avant la sentence du juge. » — *Théologie morale*, n. 702, nouv. édit.

⁵ Qui bona fide emit arcam, in qua gemmas vel pecuniam invenit, totum sibi retinere potest, si nulla sint vestigia, quibus judicari possit, ad quem hæc pertineant; quia est simul inventor et dominus. Ita *Lessius*. — Item opifex, si in domo aliqua laborando inveniat in aliquo angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniæ, dimidiam partem retinere potest, si nulla omnino adsint vestigia pecuniæ illam esse talis personæ vel familiæ; quia tunc ratio thesauri haberi videtur. Ita *Gury*. — Item qui pretio communi

3. Qui invenit thesaurum in fundo alieno etiam casu, tenetur illico in conscientia dimidium reddere domino fundi ipsius. Ratio quia hæc civilis juris dispositio est determinativa proprietatis: idque lex potuit agere ratione boni communis, ut tenent fere omnes. Qui vero ex industria thesaurum invenit in alieno fundo, utrum debeat non tantum dimidium, sed totum domino reddere ante iudicis sententiam negant communiter cum Gerdil, Layman, Lessio, etc.; quia quoad hoc lex est pœnalis, quæ non obtinet ante sententiam.

4. Si thesaurus inveniatur in fundo communitatis, Ecclesiæ aut domanii, in thesaurum jus habet simul cum inventore ipsa communitas, Ecclesia aut domanium; quia habentur uti totidem personæ.

496. Q. 5. *Cujus sunt bona derelicta et vacantia?*

R. *Bona derelicta* sunt ea, quæ dominus ipse rejicit animo a se abdicandi eorum dominium; unde huc non veniunt quæ dominus necessitate coactus projicit, v. g., in viam, quia incensa est domus. *Bona derelicta* ex lege civili si mobilia, sunt primi occupantis; si immobilia, cedunt fisco.

Bona vacantia sunt ea, quæ quis reliquit ab intestato moriens, quin habeat hæredes intra duodecimum consanguinitatis gradum. Hæc, nulla facta distinctione mobilium et immobilium, pertinent ad regium fiscum¹. Et ex parte valet etiam de bonis *jacentibus*.

497. Q. 6. *Quidnam de illis rebus inventis, quæ dominum adhuc habere censentur?*

R. Si diligentia adhibita, quæ rei inventæ valori correspondet, agrum tenens ibi esse reconditum thesaurum, totum retinere potest, si inveniatur; nam thesaurus nondum repertus ad dominum agri nullimode pertinet, neque est pars fundi. Ita *Bouvier*. *Dices*: Non licet a rustico emere vili pretio gemmam, quam ipse putat esse vitrum; ergo a pari neque campum pretio ordinario, si ibi latet thesaurus. Sed disparitas est, quod præstantia gemmæ sit pars ejus; insuper non emitur pretio, quod ex communi habet æstimatione. At thesaurus non est pars agri; et ager emitur juxta communem æstimationem hominum. Ita *Lyonnet*.

¹ C. Ped. 941 et 962. — C. A. 751 et 760. — C. G. 755 et 768. — C. S. 675 et 684. — C. P. 849 et 858. — C. M. 926 et 925. — C. H. *De successione*, art. 25 et 29. Est *fiscus* vas ex junco: dein dictus fuit locus ad pecuniam servandam: demum dici cœpit publicum ærarium et omnis pecunia publica.

spondeat, statim invenitur dominus, res ei tradenda est¹, cum clamet ad dominum. Hinc D. Augustinus: *Quod invenisti, et non reddidisti, rapuisti*². Et Origenes: *Multi sine peccato putant esse, si alienum quod invenerint, teneant et dicant: Deus mihi dedit; cui habeo reddere? Discant ergo peccatum hoc esse simile rapinæ, si quis inventa non reddat*³. Est certum apud omnes. — At si quæras: cuinam sit in conscientia tradenda res inventa, si debita diligentia adhibita, ejus dominus nullimode potuerit inveniri, præmittenda sunt quæ hac de re a civili lege sunt constituta; neque sane sine damno ignorantur, siquidem lex nulli transgressori parcit.

1. Si res inventa non excedat valorem duarum libellarum monetæ pedemontanæ (*deux francs*), adjudicatur ipsi inventori; si enim statim dominus non potuit inveniri, id magis sit impossibile in decursu, cum parvæ rei non soleat institui longa inquisitio a domino, nec ita curari.

2. Si res inventa excedat valorem duarum libellarum, debet illico consignari Sindaco communitatis ubi inventa fuit; vel alteri auctoritati quæ sit ad tale objectum usu deputata, quemadmodum apud nos, in montanis maxime regionibus, est Parochus. Quod si inventor tali muneri suo non satisfaciatur, habetur uti dolosus detentor rei alienæ; et Codex pœnalis in eum ita graviter animadvertit.

¹ *Inventor saltem ex charitate* tenetur ad inquirendum dominum cum diligentia pretio rei proportionata, quia in pari occasione idem sibi fieri unusquisque censetur velle. Dixi *saltem ex charitate*, quia plurimi Theologi cum Collatore Aubianensi, ut valde suspectum injustitiæ habent eum, qui omittit hujusmodi disquisitiones; adest enim quasi-contractus, quem vocat *gestionis*, vi ejus inventor, eo ipso quod rem apprehendat, et in custodia accipiat, suscipit in se illius curam, ac proinde obligationem dominum querendi, ut ipsi eam reddere valeat. Si has disquisitiones facere nollet, tunc res non erat apprehendenda. Hoc satis rationi consentaneum est, et imo ultra omne dubium, si disquisitiones omittendo, rem inventu difficiliorem reddat, prout ordinariè accidit cum inventor rem apprehendens causa sit cur dominus communiter recordans loci, in quo eam perdidit eam frustra hoc in loco quærat, vel res amissa non inveniatur ab eo, qui dominum diligenter inquisivisset. Ita *Lyonnet*.

² Serm. CLXXIX, alias XIX, c. VIII. — ³ Hom. IV, in Lev. X.

5. Tam Sindacus, quam Parochus debet convenienti modo significare populo rerum inventarum notitiam, ut detegatur dominus. Quod si adhuc non detegatur, tunc lex civilis post lapsum biennii a die publicationis præsumit res illas derelictas, et ideo inventoris proprias, cui in se tradendæ sunt, si adhuc extant; vel in æquivalenti, si conservari non potuerint. At si dictæ præscriptiones ad dominum inveniendum omissæ fuerint, dominus apud quemcumque rem suam repetere potest cursu trium annorum ab amissione computando: quibus elapsis, res præscripta censetur. His positis:

R. Si adhibita debita diligentia, non inveniatur dominus rei inventæ, cuinam illa sit tradenda in conscientia, disputant. — Alii cum Navarro et Soto tenent, quod inventor potest tuto illam retinere; quia proprietario non invento, post omnem diligentiam, res censetur domino carere, et ideo fit primi occupantis: unde lex civilis sic resolvens etiam quoad conscientiam questionem resolvit; ideo magis, quia princeps potest, suprema qua gaudet potestate, ad bonum publicum, de bonis subditorum disponere. — Alii valde communius censent cum S. Antonino. Habert, Billuart, Cajetano, Collet, Lyonnet, Roncaglia, Sylvio, aliisque, rem perditam debere elargiri in usus pios; quia præsumitur voluntas domini esse, quod si ipse rem amissam habere non possit, saltem illa pro anima sua erogetur. Hic citari possunt et Catechismus Romanus et S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV, a quibus aperte statuitur bona inventa in pios usus distribuenda. Et talis videtur fidelium persuasio: unde inventor non potest ea sibi applicare, nisi sit vere pauper. Hoc omnes quidem admittunt, si inventor culpabiliter omiserit diligentiam ad dominum inveniendum; tunc enim habetur ut possessor malæ fidei, seu fur, qui rem pauperibus debet, si eam domino restituere non possit.

Alii tandem sic verius distinguunt cum Croix, Holzman, Elbel, Gury, Lugo et D. Thoma: si etiam post adhibitam diligentiam aliqua appareat spes inveniendi dominum, tunc ei conservanda est aut ejus pretium: et si neutrum servari potest, debet distribui pauperibus, quia dum talis spes durat, dominus habet dominium rei; ideoque illa distribuenda est

juxta ejus præsumptam voluntatem¹: hoc porro sensu possunt facile explicari objecta testimonia. Si e converso res (spectatis circumstantiis longitudinis temporis, vel distantiae loci, vel diligentiae inquisitionis, vel impossibilitatis recognitionis rei, ut accidit in nummis ordinariis) non sit amplius possibile, quod ad dominum redeat, illam potest inventor sibi retinere, cum sit nullius: et si casu postea dominus compareat, nihil ei debetur, cum amiserit omne jus (H).

CAPUT SECUNDUM

DE ACCESSIONE ET TRADITIONE

498. Accessio est ille dominium acquirendi modus, quo nostrum fit quod vel rebus jam nostris adjungitur, vel ab ipsis rebus nostris producitur sive de industria sive ipsa sui natura, sive res illæ mobiles sint, sive immobiles. Duo igitur sunt genera accessionum: res enim una vel ab altera producitur, vel alteri adjungitur².

499. Q. 1. Quomodo una res ab altera producitur?

R. Res una ab altera producitur vel realitate, uti fructus agrorum, foetus animalium, etc.; vel suppositione seu juris fictione, uti pensio fundi locati, redditus vitalitii, etc.: quæ omnia generali *fructuum* nomine appellantur. Ut cognoscatur ad quem pertineant hæ accessiones, triplex distinguenda possessorum classis: alii sunt possessores vere domini: alii bonæ fidei: alii malæ fidei. Possessores *vere domini* sunt qui plenum habent rei, v. g., fundi, dominium. Possessores *bonæ*

¹ Si post distributionem dominus compareat, dicant rem ipsi restituendam a paupere vel ab eam habente, si adhuc illa in se vel in æquivalenti existat, nec sit præscripta; quia largitio hæc videtur includere conditionem, nisi dominus innotescat. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 605. — Gousset, n. 704.

² C. Ped. 449. — C. A. 404. — C. G. 546. — C. S. 471. — C. P. 570. — C. M. 634.

fidei qui rem alienam possident tanquam ejus proprietarii vi alicujus tituli, qui idoneus est ad dominium transferendum; sed illud reapse non transfert ob vitium latens, quod a possessore ignoratur, v. g., si quis fundum ex hæreditate possideat putans eum fuisse a testatore aliquando emptum, cum non emptus fuerit, sed usurpatus. Possessores *malæ fidei* sunt qui rem possident, quam non ignorant esse alienam, quia, v. g., furto sublatam. His positis:

Dicimus: 1. omnes fructus alicujus rei pertinent ad ipsius proprietarium, cum sit vere dominus: sed cum onere compensandi aliis expensas, si quæ factæ fuerunt; 2. possessor *bonæ fidei* jus habet in omnes fructus perceptos¹, nec debet domino restituere, nisi quos percepit a die, qua judicialiter de restitutione fuit expositus. Attamen jus habet retinendi rem quousque sibi a domino sint compensatæ meliorationes a se procuratæ, si adhuc perdurent²; — 3. possessor *malæ fidei* cum sit culpandus, restituere debet non solum fructus omnes perceptos, sed quos percepisset, si ut bonus paterfamilias rem administrasset.

500. Q. 2. Quid de accessione in re quæ alteri adjungitur?

R. Accessio in re, quæ una alteri jungitur, contingit tum in rebus immobilibus, ut si accedat fundus fundo: tum in rebus mobilibus, ut si adjungatur pecunia pecuniæ. Ubi notamus, quod hic generatim est receptum, ut accessorium sequatur principale.

501. Quot modis (quæres) contingit accessio immobilium³?

R. Duobus modis: 1. plantatione et ædificatione; 2. vi cursus aquarum.

¹ Le simple possesseur ne fait les fruits siens que dans le cas où il possède de bonne foi. Cod. civ. Gall., art. 549. — Porro, *Perseverante bona fide* (non obstante axiomate illo, quod *res fructificat domino suo*), ait Bouvier, *communius dicunt auctores hanc dispositionem valere pro foro interno, quia lex dominium hujusmodi fructuum ad possessorem intuitu pacis, et securitatis familiarum transfert.* — V. etiam de Rest., disp. 1, c. 1, a. 1. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 497.

² Cod. civ. Ped. 430 et 450. — C. A. 405. — C. G. 547. — C. S. 472. — C. P. 571. — C. M. 635.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 493 et seq.

1. *Plantatione et ædificatione.* Tres factorum species supponi possunt: — a. quod dominus ipse plantet, vel ædificet in fundo quidem proprio, sed materia aliena et tunc evadit dominus plantationis et ædificii, sed tenetur solvere materiæ valorem, et potest etiam cogi ad compensationem damni et usurarum: imo proprietarius materiæ habet jus ad illam sibi resumendam, si id facere possit, quin opus confectum destruat vel facta plantatio depereat; — b. quod extraneus plantet, vel ædificet in fundo alieno, sed materia propria: et tunc si id egit *malæ fide*, dominus fundi habet jus vel sibi retinendi uti propria illa opera in fundo suo peracta, vel exigendi ut e fundo penitus evellantur. Si vult vindicare sibi opera ipsa, persolvere debet vel materiam et expensas illas, quæ vulgo dicuntur *la main-d'œuvre*; vel valorem longe majorem, quem fundus acquisivit propter opera illa. Si vero vult exigere operum illorum destructionem, operarius debet ea penitus evellere propriis expensis, et compensare damna, quæ inde fundo obvenerunt. Quid vero si adsit bona fides? in hac hypothesi dominus fundi potest vel persolvere valorem materiæ et expensas operum, vel pretium respondens augmento dato fundi valori: at neutiquam potest exigere, ut opera e fundo evellantur; — c. quod tertius plantet vel ædificet in fundo alieno et materia aliena, v. g., si Titius ædificet in fundo Sempronii domum adhibens materiam Caii: dominus materiæ non eam sibi vindicare potest, sed petere a tertio illo indemnisationem, et etiam a domino fundi valorem materiæ, si retineat ædificium⁴.

2. *Vi cursus aquarum.* Quatuor sunt species hujus accessionis, nempe alluvio, avulsio, mutatio alvei, et insula in flumine nata. — *Alluvio* contingit quando aliquid latenter et insensibiliter ita fundo meo adjicitur, ut intelligi nequeat quantum quovis temporis puncto adjiciatur; hoc incrementum pertinet ad eum, cujus est fundus, sub certis clausulis. Similiter quando aqua paulatim unam ripam deserit alteram supergrediendo, proprietarius ripæ a flumine derelictæ hujus alluvionis incrementum acquirit, quin proprietarius ripæ oppositæ possit reclamare partem proprii fundi, quam aqua supergressa est. Excepe tamen loca a mari relicta⁵. — *Avulsio* contingit, quando vi et impetu improvviso, v. g., fluminis, pars aliqua notabilis distrahitur ab uno fundo et adjungitur alteri, et hæc semper manet in dominio illius, a cujus fundo detracta est; in hac enim facile potest dominus inveniri,

⁴ C. Ped. 461. — C. A. 416. — C. G. 552. — C. S. 477. — C. P. 579. — C. M. 640.

⁵ C. Ped. 465 et 466. — C. A. 414. — C. G. 556. — C. S. 481. — C. P. 585. — C. M. 651.

quod non evenit in alluvione. Quare dominus partis *avulsæ* potest intra anni spatium illam sibi vindicare: quod si negligat, jure suo privabitur, nisi forte pars illa avulsa nondum sit ab aliquo occupata¹. — *Mutatio alvei* evenit, cum flumen, primo alveo relicto, per novum decurrit: porro alvei relicti fit dominus ille, cujus fundus fuit occupatus per novum alveum in quantitate respondentem². — Tandem quoad *insulam in flumine notam*, si flumen navigationi inservit, insula est fisci, nisi opponatur titulus aut præscriptio, vel nisi fuerit impetu avulsa ab aliquo fundo (quo in casu esset compensandus proprietarius fundi). Si vero flumen non inserviat navigationi, neque insula impetu sit avulsa, ipsa pertinet ad eos, qui utrinque prædia possident prope ripam; attamen semper juxta legis limitationes³.

502. Quot modis (quæres) contingit accessio mobilium?

R. Tripliciter contingit mobilium accessio: adjunctione, specificatione et confusione sive commixtione.

1. *Adjunctio* est, quando una res, vel multæ res mobiles, quæ ad diversos dominos pertinent, ununtur et coalescunt alteri rei tanquam principali: v. g., si plures gemmæ plurium dominorum annulo includantur, ita ut unum annulum pretiosum constituent. Jam vero vel res secundaria quæ principali adjungitur, est ipsa longe pretiosior; vel non est. Si 1, proprietarius rei adjunctæ (si id factum sit absque ejus scientia ac consensu) potest arbitrio suo vel totum inde exurgens sibi vindicare, v. g., annulum tot iis gemmis præditum, soluto pretio rei principalis; vel petere separationem ejusdem a re principali. — Si 2, tunc si res possunt separari absque earum detrimento, quilibet dominus retinet proprietatem rei suæ et valet ejus separationem a toto expostulare. Si non possunt separari, totum pertinebit ad dominum rei principalis, soluto pretio rerum adjunctarum; quia accessorium sequitur naturam principalis⁴.

2. *Specificatio* est quando *species nova* conficitur ex re aliena,

¹ C. Ped. 468. — C. A. 412. — C. G. 559. — C. S. 484. — C. P. 590. — C. M. 636.

² C. Ped. 475. — C. A. 409. — C. G. 565. — C. S. 487. — C. P. 592. — C. M. 658.

³ C. Ped. 470. — C. A. 407. — C. G. 560, 561 et seqq. — C. S. 484. — C. P. 591. — C. M. 657.

⁴ Habenda autem erit uti res principalis illa, cui res altera adjuncta est tanquam ornamentum vel usus vel complementum: sic, v. g., gemma adjungitur annulo, et purpura vesti. Si vero dubitetur, habebitur uti res principalis illa, quæ præstat valore et prætio: et si valor et pretium sint ferme æqualia, præfertur illa, quæ præstat volumine; C. Ped. 476. — C. A. 414. — C. G. 566 et seqq. — C. S. 491. — C. P. 596. — C. M. 662.

v. g., si quis ex lana Titii sibi conficiat pannum; vel ex massa auri quod Titii proprium est, sibi conficiat annulum; vel demum ex uva Titii sibi conficiat vinum: iste dicitur *specificans*. Igitur vel res ad specificationem adhibita valde superatur a labore impenso in ipsa specificatione; vel non. — Si 1, industria habebitur ut principalis, et ideo artifex poterit eam sibi retinere solvendo domino valorem materiæ, habita etiam ratione damnorum ac pœnæ, si dominus fuerit inscius. — Si 2, dominus poterit novam speciem vindicare sibi; licet res ad primum statum reduci possit, dummodo solvat pretium specificanti pro ejus labore, vulgo *main-d'œuvre*. Quod si species fuerit confecta partim ex propria, partim ex aliena materia, si separari non possit absque detrimento, neque primæ materiæ sint per integrum destructæ, tunc opus commune erit, quoad unum ratione materiæ, quoad alium ratione tum laboris in opere conficiendo, tum suæ materiæ: unde tunc erit res publica hasta vendenda⁴.

5. *Confusio* sive *commixtio* est, quando diversæ materiæ ad complures dominos pertinentes simul confunduntur seu commiscuntur. Id contingit vel in corporibus liquidis aut liquefactis, v. g., si vinum duorum simul infundatur in unum vas; vel etiam in corporibus solidis, v. g., si nummi Titii cum nummis Sempronii immisceantur, frumentum cum frumento. Porro si materiæ illæ sine præjudicio a se invicem separari possunt, quilibet dominus rem suam potest sibi vindicare, v. g., quilibet suam pecuniam. Si non possunt, tunc si constat quænam sit res principalis, sibi vindicat totum, v. g., vinum, compensando ceteris materiam propriam, v. g., uvas; si non constat, res tota pertinebit ad singulos pro rata quantitatis, qualitatis et valoris materiæ uniuscujusque eorum⁵.

503. Q. 3. Quid est rerum traditio, quotuplex et quomodo fit?

R. Traditio rerum definitur: *Translatio possessionis de manu in manum, si res mobilis sit; vel immissio in possessionem, si sit immobilis*. Traditio alia est *propria*, quæ consistit in rebus corporalibus, quæ mobiles sint sive immobiles. Alia *impropria*, quæ rebus incorporalibus convenit. Alia *ficta*

⁴ C. Ped. 482. — C. G. 572. — C. S. 494. — C. P. 599. — C. M. 665.

⁵ C. Ped. 485. — C. A. 414 et 415. — C. G. 575. — C. S. 498. — C. P. 600. — C. M. 666. Juri communi quoad nummos statutum erat, ut mixti (quin amplius discerni possint) fierent accipientis, etsi hic esset in mala fide: hoc tamen intellige si major pars pecuniæ esset miscens; secus totus cumulus communis erat. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 495

quæ triplex est, brevis manus, longæ manus atque symbolica : 1. *brevis manus* est, cum res nostra, quæ jam est penes alterum, ex nova causa jure domini ipsi relinquitur, v. g., si res nostra apud aliquem jam existens ex deposito, apud eundem relinquatur titulo venditionis ; 2. *longæ manus* est, cum res ante oculos posita sola voluntate alteri traditur, qui eandem se accipere significat oculis, quasi a longe eam apprehendens ; 3. *symbolica* est, cum intervenit aliquod signum, quod rei traditionem significet, v. g., si tradantur claves horrei ad significandam traditionem omnium, quæ in illo continentur.

Ex lege civili, si agatur de rebus incorporeis, traditio fit per consignationem documentorum, quæ rerum illarum dominium respiciunt, v. g., patronatum alicujus Beneficii ; aut per usum earundem rerum de consensu domini¹. Si vero agatur de rebus corporeis, tunc si immobilia sint, traditio fit per consignationem clavium, ubi agatur de aliquo ædificio ; vel documentorum, ubi de alia proprietate sit sermo. Si vero sint mobilia, en Codicis verba : « La délivrance des objets mobiliers s'opère ou par la tradition réelle, ou par la remise des clefs des bâtimens qui les contiennent², ou même par le seul consentement des parties, si le transport ne peut s'en faire au moment de la vente, ou si l'acheteur les avait déjà en son pouvoir à un autre titre³. »

504. Ex Codice civili expensæ ob traditionem rei factam emptori, a venditore ; expensæ vero adsporationis rei de uno in alium locum, ab emptore ferendæ sunt, nisi aliter stipulatum sit.

Tempus autem traditionis illud erit, quod fuerit constitutum ; quod si a venditore non servetur, jus erit emptori vel venditionem dissolvere vel rem sibi venditam exposcere, et insuper in utroque casu jus ei est tum ad damna, tum ad quidquid ei interest ob talem dilationem. Attamen venditor

¹ Cod. civ. Gall., art. 1607.

² « L'obligation de délivrer les immeubles est remplie de la part du vendeur lorsqu'il a remis les clefs, s'il s'agit d'un bâtiment, ou lorsqu'il a remis les titres de propriété. » — Cod. civ. Gall., art. 1605.

³ Cod. civ. Gall., art. 1606.

a re tradenda liberatur, quoties emptor pretium non solvat, nec ei ab ipso venditore concessa sit mora. Imo etiam concessa mora ad solvendum, non tenetur venditor rem tradere, si de pretio in periculum veniat, nisi emptor cautionem pro solutione, tempore definito, facienda tribuat.

Res tandem tradenda est in loco quo a partibus præstabilitum fuit : quod si nihil statutum sit, in loco quo res erat cum venundata fuit. Est vero tradenda in eo statu, quo erat tempore venditionis, una cum suis fructibus et accessionibus¹.

DISSERTATIO SECUNDA

DE HEREDITATE

505. Q. Quid est hæreditas ?

R. Hæreditas definitur : *Successio in jus, quod defunctus habebat tempore mortis*. Hæreditas in jure civili appellatur quoque *as, pondo seu libra*, cujus partes vel uncia præcipuæ enumerantur duodecim : duæ uncia dicuntur *sextans* (hæreditatis), tres *quadrans*, quatuor *triens*, sex *semis*, octo *bessis*, novem *odrans*, undecim vero *deunx*.

Hæreditas generice accepta duplex est, pro duplici modo, quo solet deferri : vel enim defertur ex hominis voluntate per testamentum declarata, et dicitur *hæreditas* vel *successio testamentaria* : huc pertinet hæreditas *fideicommissaria* et *fiduciaria*. Vel defertur ex legis auctoritate, et dicitur *hæreditas legitima* sive *successio ab intestato* (I).

Præstat ut Theologi materiam de hæreditate apprime calleant, ut rogati consilium opportunum præbeant, et ne animabus laqueum imponant.

¹ Cod. civ. Gall., art. 1609, 1610, 1611, 1612, 1613, 1614, 1615.

CAPUT PRIMUM

DE HEREDITATE TESTAMENTARIA

506. Q. *Quid est testamentum?*

R. Testamentum quasi *testatio mentis*, definitur: *Justa et natura sua revocabilis sententia propriæ voluntatis quoad illud quod aliquis post mortem suam fieri vult de rebus suis vel in toto vel in parte.*

Dicitur: 1. *Justa et natura sua revocabilis sententia*. *Sententia*, id est certum et deliberatum animi iudicium: hinc ipso jure naturæ nullum est testamentum, si testator non libere egit, quia vel non compos mentis, vel deceptus, vel coactus vi aut precibus importunissimis, aut metu gravi etiam reverentiali; hæc enim omnia tollunt consensum ad actum adeo liberum omnino necessarium¹. — *Justa*, id est legibus testamentariis accommodata. — *Et natura sua revocabilis*, id est non impedit, quominus quæ per subsequens testamentum fierent dispositiones, hæbeant effectum².

2. *Propriæ voluntatis*, ut intelligatur testamentum ex nostro, non ex alieno arbitrio pendere. *Quoad illud, quod aliquis*; nam testamentum declarat ultimam voluntatem unius personæ, non plurium simul: ideo nullum esset testamentum sive pro alterius sive pro reciproca utilitate eodem actu conditum a duabus vel pluribus personis.

3. *Post mortem suam fieri vult*; quia testamentum vim non habet, nisi post mortem testatoris: unde dicitur etiam *ultima voluntas*. Additur *de rebus suis, vel in toto vel in parte*. *De rebus suis*, quæ verba indicant materiale testamenti objectum: *vel in toto vel in parte*, quia hodie testator contra veterem juris Romani præscriptionem, potest etiam disponere de aliqua tantum parte rerum suarum, et relinquere ut ce-

¹ Secus si testator fuit inductus precibus simplicibus, vel sola suasionem, etc.

— V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 921.

² C. Ped. 908. — C. A. civ. 716. — C. G. 1055. — C. S. 990. — C. P. 744. — C. M. 795.

teræ deferantur ad hæredes *ab intestato*: item potest plura relinquere legatario, quam hæredi.

507. De iis quæ ad donationem inter vivos et testamentariam spectant, hæc inter alia habet Galliarum Codex civilis.

§ I. — Dispositions générales.

508. « On ne pourra disposer de ses biens, à titre gratuit, que par donation entre-vifs ou par testament; dans les formes ci-après établies.

« La donation entre-vifs est un acte par lequel le donateur se dépouille actuellement et irrévocablement de la chose donnée, en faveur du donataire qui l'accepte.

« Le testament est un acte par lequel le testateur dispose, pour le temps où il n'existera plus, de tout ou partie de ses biens, et qu'il peut révoquer.

« Dans toute disposition entre-vifs ou testamentaire, les conditions impossibles, celles qui seront contraires aux lois ou aux mœurs, seront réputées non écrites¹. »

§ 2. — De la capacité de disposer ou de recevoir par donation entre-vifs ou par testament.

509. « Pour faire une donation entre-vifs ou un testament, il faut être sain d'esprit.

« Toutes personnes peuvent disposer et recevoir, soit par donations entre-vifs, soit par testament, excepté celles que la loi en déclare incapables.

« Pour être incapable de recevoir entre-vifs, il suffit d'être conçu au moment de la donation.

« Pour être capable de recevoir par testament, il suffit d'être conçu à l'époque du décès du testateur.

« Néanmoins la donation ou le testament n'auront leur effet qu'autant que l'enfant sera né viable².

¹ Cod. civ., art. 895, 894, 895 et 900.

² *Ibid.*, art. 901, 902 et 906.

« Toute disposition au profit d'un incapable sera nulle, soit qu'on la déguise sous la forme d'un contrat onéreux, soit qu'on la fasse sous le nom de personnes interposées.

« Seront réputées personnes interposées, les père et mère, les enfants et descendants, et l'époux de la personne incapable ¹. »

510. Q. 1. *An Ecclesia possit institui in legatam vel hæreditatem?*

R. Affirmative: Ecclesia enim est vera atque perfecta societas, quæ ideo potest acquirere. Et pluribus indiget ad cultum divinum, quæ par est, sustinendum: quantum autem in ecclesiasticis cæremoniis pompa ad populi devotionem faciat, nemo sane ignorat. Qui vero clamat, *ut quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo et dari pauperibus*² sciat, ea verba non a divino Magistro, sed a discipulo traditore prolata fuisse. Cæterum de Ecclesiæ bonis, et pauperes et opifices non parum capiunt.

Et hic omnium populorum unus sensus est; neque enim Hebræi tantum veri Dei cultores, sed ipsi quoque gentiles Templæ et Sacerdotes ingentibus ditabant divitiis, ut Romani, Galli, Ægyptiaci, Syri, Mexicani, Sinæ, Turcæ, etc. — Et consentientes habemus vel ipsos politicos homines, ut Mirabeau³, Silhon⁴, Lopez de Sierra⁵, imo et protestantes, ut Springerum⁶, Winestadium, Wood⁷, Grotium⁸, Melanchthonem⁹, Voet¹⁰.

511. Q. 2. *An testator (quæres) possit propriam hæreditatem relinquere animæ suæ?* Affirmative, si aliis non sit ligatus obligationibus, cum sit dominus rei suæ, nec prohibeatur sic testari: idque congruenter, ut a pœnis peccatorum redimat animam suam juxta illud: *Redemptio animæ viri divitiæ ejus*¹¹.

¹ Cod. civ., art. 911.

² Matth. xxvi. — ³ L'Ami des hommes, 3, 1, c. 1. — ⁴ L. II, diss. xi.

⁵ Satisfaccion al suplemento presentado en el consejo, etc.

⁶ Discurs. Acad. de p. relig., Concl. 38. — ⁷ Hist. univ., Oxon., l. I.

⁸ Adnot. ad consult., Cassandri, art. 26. — ⁹ Scultetus, Curricul. vita.

¹⁰ Polit. ecclesiast., l. IV, tract. II, c. x.

¹¹ Prov. xii. Quamquam præstat potius ut divites in vita bona quibus

§ 3. — De la portion de biens disponible.

512. « Les libéralités, soit par actes entre-vifs, soit par testament, ne pourront excéder la moitié des biens du disposant, s'il ne laisse à son décès qu'un enfant légitime; le tiers, s'il laisse deux enfants; le quart, s'il en laisse trois ou un plus grand nombre.

« Sont compris dans l'article précédent, sous le nom d'enfants, les descendants à quelque degré que ce soit; néanmoins ils ne sont comptés que pour l'enfant qu'ils représentent dans la succession du disposant.

« Les libéralités, par actes entre-vifs ou par testament, ne pourront excéder la moitié des biens, si, à défaut d'enfant, le défunt laisse un ou plusieurs ascendants dans chacune des lignes paternelle et maternelle; et les trois quarts, s'il ne laisse d'ascendants que dans une ligne.

« Les biens ainsi réservés au profit des ascendants seront par eux recueillis dans l'ordre où la loi les appelle à succéder; ils auront seuls droit à cette réserve, dans tous les cas où un partage en concurrence avec des collatéraux ne leur donnerait pas la quotité de biens à laquelle elle est fixée.

« A défaut d'ascendants et de descendants, les libéralités par actes entre-vifs ou testamentaires pourront épuiser la totalité des biens.

« Si la disposition par acte entre-vifs ou par testament est d'un usufruit ou d'une rente viagère dont la valeur excède la quotité disponible, les héritiers au profit desquels la loi fait une réserve auront l'option, ou d'exécuter cette disposition, ou de faire l'abandon de la propriété de la quotité disponible. ®

« La valeur en pleine propriété des biens aliénés, soit à charge de rente viagère, soit à fonds perdus, ou avec réserve

abundant, largiantur in pauperes, aut alias pias causas; sæpe enim hæredes non ita fideliter pias dispositiones exequentur. Ad rem etiam aiebat S. Lucia ad matrem suam: *Non satis Deo carus est qui illi hoc dat quod secum ferre non potest; si vis Deo gratus esse, hoc illi da, dum adhuc uti potes.* Vid. Layman. ✎

d'usufruit, à l'un des successibles en ligne directe, sera imputée sur la portion disponible ; et l'excédant, s'il y en a, sera rapporté à la masse. Cette imputation et ce rapport ne pourront être demandés par ceux des autres successibles en ligne directe qui auraient consenti à ces aliénations ni, dans aucun cas, par les successibles en ligne collatérale.

« La quotité disponible pourra être donnée en tout ou en partie, soit par acte entre-vifs, soit par testament, aux enfants ou autres successibles du donateur, sans être sujette au rapport par le donataire ou le légataire venant à la succession, pourvu que la disposition ait été faite expressément à titre de préciput ou hors part.

« La déclaration que le don ou le legs est à titre de préciput ou hors part, pourra être faite, soit par l'acte qui contiendra la disposition, soit postérieurement dans la forme des dispositions entre-vifs ou testamentaires ¹. »

§ 1. — De la réduction des donations et legs.

513. « Les dispositions soit entre-vifs, soit à cause de la mort, qui excéderont la quotité disponible, seront réductibles à cette quotité lors de l'ouverture de la succession.

« La réduction des dispositions entre-vifs ne pourra être demandée que par ceux au profit desquels la loi fait la réserve, par leurs héritiers ou ayants cause : les donataires, les légataires, ni les créanciers du défunt, ne pourront demander cette réduction, ni en profiter.

« La réduction se détermine en formant une masse de tous les biens existants au décès du donateur ou testateur. On y réunit fictivement ceux dont il a été disposé par donations entre-vifs, d'après leur état à l'époque des donations et leur valeur au temps du décès du donateur. On calcule sur tous ces biens, après en avoir déduit les dettes, quelle est, eu égard à la qualité des héritiers qu'il laisse, la quotité dont il a pu disposer.

« Il n'y aura jamais lieu à réduire les donations entre-vifs,

¹ Cod. civ., art. 918, etc.

qu'après avoir épuisé la valeur de tous les biens compris dans les dispositions testamentaires ; et, lorsqu'il y aura lieu à cette réduction, elle se fera en commençant par la dernière donation, et ainsi de suite en remontant des dernières aux plus anciennes.

« Si la donation entre-vifs réductible a été faite à l'un des successibles, il pourra retenir, sur les biens donnés, la valeur de la portion qui lui appartiendrait, comme héritier, dans les biens non disponibles, s'ils sont de la même nature.

« Lorsque la valeur des donations entre-vifs excédera ou égalera la quotité disponible, toutes les dispositions testamentaires seront caduques.

« Lorsque les dispositions testamentaires excéderont, soit la quotité disponible, soit la portion de cette quotité qui resterait après avoir déduit la valeur des donations entre-vifs, la réduction sera faite au marc le franc, sans aucune distinction entre les legs universels et les legs particuliers.

« Néanmoins, dans tous les cas où le testateur aura expressément déclaré qu'il entend que tel legs soit acquitté de préférence aux autres, cette préférence aura lieu ; et le legs qui en sera l'objet ne sera réduit qu'autant que la valeur des autres ne remplirait pas la réserve légale.

« Le donataire restituera les fruits de ce qui excédera la portion disponible, à compter du jour du décès du donateur, si la demande en réduction a été faite dans l'année ; sinon, du jour de la demande.

« Les immeubles à recouvrer par l'effet de la réduction le seront sans charge de dettes ou hypothèques créées par le donataire.

« L'action en réduction ou revendication pourra être exercée par les héritiers contre les tiers détenteurs des immeubles faisant partie des donations et aliénés par les donataires, de la même manière et dans le même ordre que contre les donataires eux-mêmes, et discussion préalablement faite de leurs biens. Cette action devra être exercée suivant l'ordre des dates des aliénations, en commençant par la plus récente ¹. »

¹ Cod. civ., art. 920, etc.

§ 5. — De la forme des testaments.

514. « Toute personne pourra disposer par testament, soit sous le titre d'institution d'héritier, soit sous le titre de legs, soit sous toute autre dénomination propre à manifester sa volonté.

« Un testament ne pourra être fait dans le même acte pour deux ou plusieurs personnes, soit au profit d'un tiers, soit à titre de disposition réciproque et mutuelle.

« Un testament pourra être olographe, ou fait par acte public, ou dans la forme mystique.

« Le testament olographe ne sera point valable, s'il n'est écrit en entier, daté et signé de la main du testateur : il n'est assujéti à aucune autre forme.

« Le testament par acte public est celui qui est reçu par deux notaires, en présence de deux témoins, ou par un notaire en présence de quatre témoins.

« Si le testament est reçu par deux notaires, il leur est dicté par le testateur, et il doit être écrit par l'un de ces notaires, tel qu'il est dicté.

« S'il n'y a qu'un notaire, il doit également être dicté par le testateur, et écrit par ce notaire.

« Dans l'un et l'autre cas, il doit en être donné lecture au testateur, en présence des témoins.

« Il est fait du tout mention expresse.

« Ce testament doit être signé par le testateur : s'il déclare qu'il ne sait ou ne peut signer, il sera fait dans l'acte mention expresse de sa déclaration, ainsi que de la cause qui l'empêche de signer.

« Le testament devra être signé par les témoins; et néanmoins, dans les campagnes, il suffira qu'un des deux témoins signe, si le testament est reçu par deux notaires, et que deux des quatre témoins signent, s'il est reçu par un notaire.

« Ne pourront être pris pour témoins du testament par acte public, ni les légataires, à quelque titre qu'ils soient, ni leurs parents ou alliés jusqu'au quatrième degré inclusive-

ment, ni les clercs des notaires par lesquels les actes seront reçus.

« Lorsque le testateur voudra faire un testament mystique ou secret, il sera tenu de signer ses dispositions, soit qu'il les ait écrites lui-même, ou qu'il les ait fait écrire par un autre. Sera le papier qui contiendra ses dispositions, ou le papier qui servira d'enveloppe, s'il y en a une, clos et scellé. Le testateur le présentera ainsi clos et scellé au notaire, et à six témoins au moins, ou il le fera clore et sceller en leur présence; et il déclarera que le contenu en ce papier est son testament écrit et signé de lui, ou écrit par un autre et signé de lui : le notaire en dressera l'acte de suscription, qui sera écrit sur ce papier ou sur la feuille qui servira d'enveloppe; cet acte sera signé tant par le testateur que par le notaire; ensemble par les témoins. Tout ce que dessus sera fait de suite et sans divertir à autres actes; et, en cas que le testateur, par un empêchement survenu depuis la signature du testament, ne puisse signer l'acte de suscription, il sera fait mention de la déclaration qu'il en aura faite, sans qu'il soit besoin, en ce cas, d'augmenter le nombre des témoins.

« Si le testateur ne sait signer, ou s'il n'a pu le faire lorsqu'il a fait écrire ses dispositions, il sera appelé à l'acte de suscription un témoin, outre le nombre porté par l'article précédent, lequel signera l'acte avec les autres témoins; et il y sera fait mention de la cause pour laquelle ce témoin aura été appelé.

« Ceux qui ne savent ou ne peuvent lire ne pourront faire de dispositions dans la forme du testament mystique.

« En cas que le testateur ne puisse parler, mais qu'il puisse écrire, il pourra faire un testament mystique, à la charge que le testament sera entièrement écrit, daté et signé de sa main, qu'il le présentera au notaire et aux témoins, et qu'au haut de l'acte de suscription il écrira, en leur présence, que le papier qu'il présente est son testament : après quoi le notaire écrira l'acte de suscription dans lequel il sera fait mention que le testateur a écrit ces mots en présence du notaire et des témoins; et sera, au surplus, observé tout ce qui est prescrit par l'article 976.

« Les témoins appelés pour être présents au testament devront être mâles, majeurs, sujets du roi, jouissant des droits civils¹. »

§ 6. — Des institutions d'héritiers et des legs en général.

515. « Les dispositions testamentaires sont ou universelles, ou à titre universel, ou à titre particulier.

« Chacune de ces dispositions, soit qu'elle ait été faite sous la dénomination d'institution d'héritier, soit qu'elle ait été faite sous la dénomination de legs, produira son effet suivant les règles ci-après établies pour les legs universels, pour les legs à titre universel, et pour les legs particuliers². »

§ 7. — Du legs universel.

516. « Le legs universel est la disposition testamentaire par laquelle le testateur donne à une ou plusieurs personnes l'universalité des biens qu'il laissera à son décès.

« Lorsqu'au décès du testateur il y a des héritiers auxquels une quotité de ses biens est réservée par la loi, ces héritiers sont saisis de plein droit, par sa mort, de tous les biens de la succession; et le légataire universel est tenu de leur demander la délivrance des biens compris dans le testament.

« Néanmoins, dans les mêmes cas, le légataire universel aura la jouissance des biens compris dans le testament, à compter du jour du décès, si la demande en délivrance a été faite dans l'année, depuis cette époque; sinon, cette jouissance ne commencera que du jour de la demande formée en justice, ou du jour où la délivrance aurait été volontairement consentie.

« Lorsqu'au décès du testateur il n'y aura pas d'héritiers auxquels une quotité de ses biens soit réservée par la loi, le

¹ Cod. civ., art. 967, etc. V. etiam art. 981, etc., *De testamentis militum*, etc.

² Cod. civ., art. 102, etc.

légataire universel sera saisi de plein droit par la mort du testateur, sans être tenu de demander la délivrance.

« Tout testament olographe sera, avant d'être mis à exécution, présenté au président du tribunal de première instance de l'arrondissement dans lequel la succession est ouverte. Ce testament sera ouvert, s'il est cacheté. Le président dressera procès-verbal de la présentation, de l'ouverture et de l'état du testament, dont il ordonnera le dépôt entre les mains du notaire par lui commis.

« Si le testament est dans la forme mystique, sa présentation, son ouverture, sa description et son dépôt, seront faits de la même manière; mais l'ouverture ne pourra se faire qu'en présence de ceux des notaires et des témoins, signataires de l'acte de suscription, qui se trouveront sur les lieux, ou eux appelés.

« Dans le cas de l'article 1006, si le testament est olographe ou mystique, le légataire universel sera tenu de se faire envoyer en possession, par une ordonnance du président, mise au bas d'une requête à laquelle sera joint l'acte de dépôt.

« Le légataire universel qui sera en concours avec un héritier auquel la loi réserve une quotité des biens, sera tenu des dettes et charges de la succession du testateur, personnellement pour sa part et portion, et hypothécairement pour le tout; et il sera tenu d'acquitter tous les legs, sauf le cas de réduction, ainsi qu'il est expliqué aux articles 926 et 927¹. »

§ 8. — Du legs à titre universel.

517. « Le legs à titre universel est celui par lequel le testateur lègue une quote-part des biens dont la loi lui permet de disposer, telle qu'une moitié, un tiers, ou tous ses immeubles, ou tout son mobilier, ou une quotité fixe de tous ses immeubles ou de tout son mobilier.

¹ Cod. civ., art. 1003, etc.

« Tout autre legs ne forme qu'une disposition à titre particulier.

« Les légataires à titre universel seront tenus de demander la délivrance aux héritiers auxquels une quotité des biens est réservée par la loi ; à leur défaut, aux légataires universels ; et à défaut de ceux-ci, aux héritiers appelés dans l'ordre établi au titre des *successions*.

« Le légataire à titre universel sera tenu, comme le légataire universel, des dettes et charges de la succession du testateur, personnellement pour sa part et portion, et hypothécairement pour le tout.

« Lorsque le testateur n'aura disposé que d'une quotité de la portion disponible, et qu'il l'aura fait à titre universel, ce légataire sera tenu d'acquitter les legs particuliers par contribution avec les héritiers naturels¹. »

§ 9. — Des legs particuliers.

518. « Tout legs pur et simple donnera au légataire, du jour du décès du testateur, un droit à la chose léguée, droit transmissible à ses héritiers ou ayants cause.

« Néanmoins le légataire particulier ne pourra se mettre en possession de la chose léguée, ni en prétendre les fruits ou intérêts, qu'à compter du jour de sa demande en délivrance, formée suivant l'ordre établi par l'article 1011, ou du jour auquel cette délivrance lui aurait été volontairement consentie.

« Les intérêts ou fruits de la chose léguée courront au profit du légataire, dès le jour du décès, et sans qu'il ait formé sa demande en justice :

« 1° Lorsque le testateur aura expressément déclaré sa volonté, à cet égard, dans le testament ;

« 2° Lorsqu'une rente viagère ou une pension aura été léguée à titre d'aliments.

« Les frais de la demande en délivrance seront à la charge de la succession, sans néanmoins qu'il puisse en résulter de réduction de la réserve légale.

¹ Art. 1010, etc.

« Les droits d'enregistrement seront dus par le légataire :

« Le tout, s'il n'en a été autrement ordonné par le testament.

« Chaque legs pourra être enregistré séparément, sans que cet enregistrement puisse profiter à aucun autre qu'au légataire ou à ses ayants cause.

« Les héritiers du testateur, ou autres débiteurs d'un legs, seront personnellement tenus de l'acquitter, chacun au prorata de la part et portion dont ils profiteront dans la succession.

« Ils en seront tenus hypothécairement pour le tout, jusqu'à concurrence de la valeur des immeubles de la succession dont ils seront détenteurs.

« La chose léguée sera délivrée avec les accessoires nécessaires, et dans l'état où elle se trouvera au jour du décès du donateur.

« Lorsque celui qui a légué la propriété d'un immeuble l'a ensuite augmentée par des acquisitions, ces acquisitions, fussent-elles contiguës, ne seront pas censées, sans une nouvelle disposition, faire partie du legs.

« Il en sera autrement des embellissements, ou des constructions nouvelles faites sur le fonds légué, ou d'un enclos dont le testateur aurait augmenté l'enceinte.

« Si, avant le testament ou depuis, la chose léguée a été hypothéquée pour une dette de la succession, ou même pour la dette d'un tiers, ou si elle est grevée d'un usufruit, celui qui doit acquitter le legs n'est point tenu de la dégager, à moins qu'il n'ait été chargé de le faire par une disposition expresse du testateur.

« Lorsque le testateur aura légué la chose d'autrui, le legs sera nul, soit que le testateur ait connu ou non qu'elle ne lui appartenait pas.

« Lorsque le legs sera d'une chose indéterminée, l'héritier ne sera pas obligé de la donner de la meilleure qualité, et il ne pourra l'offrir de la plus mauvaise.

« Le legs fait au créancier ne sera pas censé en compensation de sa créance, ni le legs fait au domestique en compensation de ses gages.

« Le légataire à titre particulier ne sera point tenu des dettes de la succession, sauf la réduction du legs ainsi qu'il est dit ci-dessus, et sauf l'action hypothécaire des créanciers¹. »

§ 10. — Des exécuteurs testamentaires.

519. « Le testateur pourra nommer un ou plusieurs exécuteurs testamentaires.

« Il pourra leur donner la saisine du tout, ou seulement d'une partie de son mobilier; mais elle ne pourra durer au delà de l'an et jour à compter de son décès.

« S'il ne la leur a pas donnée, ils ne pourront l'exiger.

« L'héritier pourra faire cesser la saisine, en offrant de remettre aux exécuteurs testamentaires une somme suffisante pour le paiement des legs mobiliers, ou en justifiant de ce paiement.

« Celui qui ne peut s'obliger ne peut pas être exécuteur testamentaire². »

§ 11. — De la révocation des testaments et de leur caducité.

520. « Les testaments ne pourront être révoqués, en tout ou en partie, que par un testament postérieur, ou par un acte devant notaires, portant déclaration du changement de volonté.

« Les testaments postérieurs qui ne révoqueront pas d'une manière expresse les précédents, n'annuleront, dans ceux-ci, que celles des dispositions y contenues qui se trouveront incompatibles avec les nouvelles, ou qui seront contraires.

« La révocation faite dans un testament postérieur aura tout son effet, quoique ce nouvel acte reste sans exécution par l'incapacité de l'héritier institué ou du légataire, ou par leur refus de recueillir.

¹ Cod. civ., art. 1014, etc.

² Cod. civ., art. 1025, etc.

« Toute aliénation, celle même par vente avec faculté de rachat ou par échange, que fera le testateur de tout ou de partie de la chose léguée, emportera la révocation du legs pour tout ce qui a été aliéné, encore que l'aliénation postérieure soit nulle, et que l'objet soit rentré dans la main du testateur.

« Toute disposition testamentaire sera caduque, si celui en faveur de qui elle est faite n'a pas survécu au testateur.

« Toute disposition testamentaire faite sous une condition dépendante d'un événement incertain, et telle que, dans l'intention du testateur, cette disposition ne doive être exécutée qu'autant que l'événement arrivera ou n'arrivera pas, sera caduque, si l'héritier institué ou le légataire décède avant l'accomplissement de la condition.

« La condition qui, dans l'intention du testateur, ne fait que suspendre l'exécution de la disposition, n'empêchera pas l'héritier institué, ou le légataire, d'avoir un droit acquis et transmissible à ses héritiers.

« Le legs sera caduc, si la chose léguée a totalement péri pendant la vie du testateur.

« Il en sera de même, si elle a péri depuis sa mort, sans le fait et la faute de l'héritier, quoique celui-ci ait été mis en retard de la délivrer, lorsqu'elle eût également dû périr entre les mains du légataire.

« La disposition testamentaire sera caduque, lorsque l'héritier institué ou le légataire la répudiera, ou se trouvera incapable de la recueillir.

« Il y aura lieu à accroissement au profit des légataires, dans le cas où le legs sera fait à plusieurs conjointement.

« Le legs sera réputé fait conjointement, lorsqu'il le sera par une seule et même disposition, et que le testateur n'aura pas assigné la part de chacun des colégataires dans la chose léguée.

« Il sera encore réputé fait conjointement, quand une chose qui n'est pas susceptible d'être divisée sans détérioration aura été donnée par le même acte à plusieurs personnes, même séparément.

« Les mêmes causes qui, suivant l'article 954 et les deux

premières dispositions de l'article 955, autoriseront la demande en révocation de la donation entre-vifs, seront admises pour la demande en révocation des dispositions testamentaires.

« Si cette demande est fondée sur une injure grave faite à la mémoire du testateur, elle doit être intentée dans l'année, à compter du jour du délit¹. »

§ 12. — De testamentis cui desunt solemnitates præscriptæ.

521. Q. 1. An testamentum cui desunt tantummodo solemnitates extrinsecæ a jure civili præscriptæ, nullum sit etiam in foro conscientia?

R. Quod sit nullum in foro externo testamentum, cui desunt solemnitates a jure civili præscriptæ certum est: id enim expressè declarat Codex (Gallicus), cui sunt conformes Codices fere omnes:

« Les formalités auxquelles les divers testaments sont assujettis... doivent être observées à peine de nullité². »

Utrum autem testamentum illud valeat saltem in foro interno et conscientia, dissident inter se Theologi³. — Alii cum S. Antonino, Lessio, Molina, Roncaglia, Reginaldo, Sa, Sylvestro, etc., docent, adhuc valere testamentum in conscientia; nam a voluntate oritur obligatio, et lex est tantum in subsidium juxta illud: *Non fit locus provisioni legis, nisi quando cessat provisio hominis*. Illic porro hominis provisio libera atque firma habetur, licet erratum sit in forma. Illic dicunt hæredem ab intestato, si certus sit de voluntate testatoris, teneri eam exequi et restituere hæreditatem. — Alii cum Alasia, Bonacina, Continuatore Tournely, Covarruvia, Layman, Lugo, Suarez, etc., docent testamentum nullum esse; quia lex solemnitates præscribens, cum sit lata ob bonum publicum, ad fraudes præcavendas, in conscientia ligat. Unde hæres sic institutus aut legatarius non possunt tuta con-

¹ Cod. civ., art. 1055, etc.

² Cod. civ., art. 1001.

³ V. Liguori, *Theol. Mor.*, l. III, n. 927, et fusius 744.

scientia adire seu retinere hæreditatem vel legatum; sed tenentur eam dimittere hæredi ab intestato¹.

Verum alii plurimi cum Bannez, Beja, Billuart, Bouvier, Cabassutio, Ferraris, Gousset, Layman, Sanchez, Soto, etc., dicunt, eo in casu (cum nempe partium jura sint utrinque incerta ob tantorum Doctorum inter se discrepantiam) præferendum esse possessorem, semper ac donatio illa per testamentum sit libere facta, inter personas jure habiles, ac in parte disponibili. Hanc sententiam probabiliorem et in praxi omnino tenendam esse dicimus; quia potius omni jure est jus possessionis: sane nimis durum esset in tanta animorum conflictatione, ut quis proprio Marte sua re possessa exoliare se debeat. Quapropter hæres non tenetur solvere, et e contrario legatarii si jam bona fide legata sint consecuti, non tenentur restituere, nisi accedat judicis sententia, cui parendum est ob bonum commune, ut paci consulatur, simulque jurgiis et litibus imponatur finis (J).

Confirmatur: — 1. Eo modo leges obligant quo accipiuntur: atqui mos ubique invaluit ut legatarii tranquille possideant quod vi testamenti aliqua formalitate destituti obtinent, et nihilominus hæredes *ab intestato* nullitatem hujusmodi testamenti tuta conscientia coram judicibus expostulent, eaque obtenta, hæreditatem legitime adeant; — 2. Sola hæc sententia rationi est consentanea; durius enim esset legatarios testamento renuntiare teneri etiam ante sententiam judicis, aut hæredes *ab intestato* nullitatem testamenti formis destituti petere non posse: præsens autem sententia ab utroque rigoris excessu temperat; — 3. legislatores voluerunt simul favere libertati privatorum et securitati familiarum providere, ut patet considerando leges circa donationes inter vivos et per testamenta: porro utrumque sufficienter obtinetur, et nihil nimis grave præcipitur, si prædictæ dispositiones sint validæ ante sententiam judicis, dirimantur vero per sententiam judicis, in ipso foro conscientia, parte reclamante²;

¹ Quoad legata pia, V. infra, ubi *De Legatis*.

² Ita Bouvier, qui hæc tria addit: « Arbitramur: — 1. Testamentum inter personas habiles, portionem bonorum a lege permissam non excedens

— 4. Hæc nostra sententia, ait Billuart, obviat variis conscientiæ perplexitatibus, et peccandi periculis : quem enim reperies qui voluntarie dimittat quod titulo testamenti alteriusve contractus aliqua solemnitate destituti absque vi, vel fraude possidet, dum a nemine iudice repetitur? Dicendum ergo, concludit ille doctissimus, quod testamentum legali formalitate destitutum est in foro conscientiæ partim validum, partim invalidum : validum quatenus hæres institutus potest vi illius hæreditatem adire et retinere, donec per sententiam iudicis rescindatur; invalidum quatenus hæres ab intestato potest ex legis beneficio agere in iudicio ad illius rescissionem, et, ea rescissione obtenta, tuto hæreditatem occupare et retinere.

Sed dices : *Eodem modo lex pronuntiat, nullum esse testamentum cui requisitæ desunt formalitates, et testamentum inter personas inhabiles conditum, aut permissam bonorum portionem excedens; ergo vel in utroque casu vel neutro testamentum istud pro foro interno est validum.* — R. Nego consequens : hic genuina legislatoris intentio quærenda est : nam eadem non fuit in utroque casu legislatoris intentio. Quando enim statuitur aliquas personas esse inhabiles, aut cum certa pars bonorum reservatur, manifesta legislatoris intentio est bona ad has aut illas personas non transitura, aut liberalitatem portionem determinatam non excessuram; contra vero,

et libere conditum, creare obligationem naturalem, vi cuius legatarii bona sibi data tuto postulare, accipere et retinere possunt; — 2. in tanta animorum conflictatione, hæredes *ab intestato* communiter non inquietandos esse, si beneficio legis utentes, rescissionem testamenti exposculent; — 3. testamento per sententiam iudicis rescisso, legatarios teneri etiam in foro interno bona accepta reddere, et via compensationis nullo modo nisi posse : imo eos, certissime scientes testamentum esse nullum in foro externo, rem acceptam reddere teneri ad minus ex charitate, quando expresse postulatur, etiam ante iudicis sententiam; quia, cum eorum condemnatio futura sit certa, in causa esse non debent cur pars adversa sumptus et incommoda litis sustineat. Affirmare tamen non auderemus eum, qui etiam in hoc casu sententiam iudicis expectare vellet, contra justitiam peccaturum esse. — Si vero hæres testatori moribundo promisisset se testamentum, etiamsi nullum foret, fideliter executurum esse, promissioni suæ procul dubio stare deberet ex fidelitate et probabiliter ex justitia, ob petitionem defuncti cui assensit. »

ubi de formalitatibus requisitis tantummodo agitur, certum est legislatorem nolle impedire ne bona ad personas designatas transeant, siquidem supponuntur habiles, et aliunde portio a lege præscripta reservatur : ergo id unum intendit, scilicet determinare et adsignare instrumenta, quibus voluntas testatoris apud iudices constari valeat. Porro, in suppositione nostra, voluntas testatoris certissime constat, licet iudice probari nequeat : unde de hoc casu quæstio esse potest, non de illo.

522. Q. 2. *An etiam dato quod testamentum in conscientia revera nullum sit ob defectum legalis solemnitatis, valeat saltem quoad legata pia?*

R. Alii negant cum Collet, Carrière, etc., quia corrumpente principali, nempe testamento, corrumpit etiam accessorium, nempe legatum : et hoc ideo magis, quia testamentorum leges essentialiter ad civilem potestatem pertinent, quæ porro vult dispositionem testatoris nullius esse roboris, si desint præscriptæ solemnitates. — Verum communius affirmant cum Covarruvia, Laymano, Lessio, Roncaglia, etc. : sane specialiter ratio hic habetur in accessorio, quæ non est in principali, nempe favor religionis¹. Adde : piæ causæ cum ad Ecclesiam pertineant, ejus subjacent jurisdictioni; at Ecclesia² passim declarat talia legata firma esse debere si duo interfuerint testes³, vel si jam aliunde certo constet ipsi hæredi voluntas testatoris⁴ (K).

523. Q. 3. *An legatum relictum puellis, ut matrimonium ineant, possit in conscientia dari Religionem ingredientibus?*

¹ Sunt etiam qui censent (contra alios, qui id satis probabiliter negant) id locum etiam habere quoad alia legata profana; quia utile (inquiunt) per inutile non debet vitari. *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, nn. 922 et seqq.

² Decret., l. III, t. XXVI, c. *Relatum*, et alibi.

³ Cum tamen res non ita adhuc certa sit, monet Gury, ut omni quidem modo confessarius legatorum solutionem suadeat, vel inducat saltem hæredem ad rem cum legatariis ipsis piisve locis componendam; ast caveat ne rigidam obligationem imponat, si renuentes viderit hæredes. Quod tamen non est dicendum de Statu Pontificio; nam in C. R., art. 57, expresse cautum est, ut pro legatis piis valeat dispositio Canonici juris in cap. *Relatum*, ubi habetur duos legitimos testes sufficere pro iis constituendis.

⁴ *V. Liguori, Homo Apost.*, tr. X, n. 255.

R. Affirmative, si legatum relictum sit personæ determinata: quod autem de legato, id valet, pari causa, etiam de ipsa hæreditate. Patet ex jure ipso civili, ubi dicitur, legatum relictum certæ personæ ad nubendum, ei dari posse, si fiat religiosa¹; testator enim dominando personam censetur habere specialem affectionem ad ei subveniendum, ideoque jus præsumit ipsum voluisse ei legare etiam casu ingressus in religionem, ut argumentatur Pellizarius. Excipe nisi aliter constet *de mente testatoris*; quia præsumptio cedit veritati. — Si vero legatum sit indeterminatis relictum, videtur certe probabilius cum Barbosa, Concina, Lugo, Molina et Sanchez, illud Religionem ingredientibus dari non posse; quia esset in aliarum præjudicium. Neque militat in hoc casu ratio specialis affectionis: et alias legatum potest impleri in propria forma, si detur aliis matrimonium contrahentibus.

Quid (dices) si legatum relictum sit orphanis, darine poterit pauperibus habentibus patrem inutilem?

Si extat concursus vere orphanorum, legatum non potest dari sine justitiæ violatione; cum enim voluntas testatoris possit impleri in sensu proprio, non est attendendus sensus figuratus². Si vero talis concursus non sit, videtur receptum quod dari possit; sic enim voluntas impletur testatoris, quæ est opitulari filiis non habentibus a quo alantur, ut sunt qui habent parentes inutiles, quod idem est ac non habere; inutilis enim reputatur uti mortuus³.

Quid vero (quæres) si legatum relictum sit puellis, ut nubant et jam sine dote nupserint? Quando legatum relictum est puellis pauperibus dotandis, bene dari potest nuptis; nam tunc perseverat finis testatoris sublevandi illarum indigentiam. Excipe nisi constet, expresse testatorem voluisse subvenire nubendis ad periculum prostitutionis vitandum; tunc enim per matrimonium remoto periculo, cessat jus ad legatum. Ita communiter Concina, Diana, Roncaglia, Salmanticensis, Sanchez, etc.

Quid autem (rogabis) si legatum sit relictum virginibus ad

¹ Auth. Sanctiss. Episc., § *Sed et hoc præsentis*.

² Ex Clem. *Quia contingit, de rel. domib.*, et ex Trid., sess. xxv, c. viii.

³ Ex Glossa V *Inutilem* in c. ii, *inter corporal.*, tit. *De trans. Episc.*

nubendum, poterit dari corruptæ? Si publice constat de corruptione, non potest; quia non adimpleretur finis testantis. Secus si clam sit corrupta, quia in communi æstimatione virgo reputatur; neque tenetur femina suam prodere turpitudinem. — Attamen probabilius femina illa non potest petere legatum; quia verba testatoris sunt servanda quoad fieri potest, maxime quia id vergeret in aliarum præjudicium. Excipiunt Concina et Roncaglia, si aliæ virgines desint, quia tunc benigne videtur posse legatum interpretari tamquam de virgine communiter habita uti tali.

Sed quomodo (quæres) est distribuendum legatum relictum pauperibus? Si testator id clare reliquerit arbitrio hæredis, poterit dari cuicumque pauperi ex data facultate. Sin autem, ex præsumpta domini voluntate distributio facienda est juxta charitatis regulam. Nempe præferendi sunt: — 1. conjuncti testatoris proximiores; — 2. pauperes testatoris concives; — 3. magis indigentes, et magis prohi; — 4. in pari necessitate feminæ sunt præferendæ, cum sint majori periculo expositæ. Ita communiter⁴.

524. Q. 4. *An pontifex possit quoad legata testatoris voluntatem mutare?*

R. Affirmative: constat ex jure canonico, ubi hæc leguntur: *Ea quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alia (salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti*⁵. Hæc tamen commutationes nequeunt fieri, nisi ex justa et necessaria causa, adeo ut communicatio sine tali causa peracta in communi et veriori sententia, quam defendunt Busembaum, Layman, Salmanticensis, Sanchez, etc., nullius ponderis æstimanda sit; quia R. Pontifex non tamquam dominus agit, sed tamquam piarum causarum dispensator. Sicut igitur Princeps potest legatum profanum commutare in aliud ob necessitatem publicam, vel alia justa de causa tantum: ita et Pontifex legatum piium⁶.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 950, dub. 10.

⁵ Clement., l. III, t. XI, *De relig. domib.*; c. ii, *Quia contingit*.

⁶ An autem cum causa possint etiam Episcopi proprio jure commutare piis dispositiones, probabilius negant Layman, Molina et Sanchez. Ratio,

Non est hic omittenda lex Synodi Novariensis¹, qua præcipitur :

1. Ad legata pia alicui Ecclesiæ relicta assecuranda non omnia indistincte ipsius Ecclesiæ bona esse oppignoranda; — 2. qui ea distribuendi onus habent, non debere ea nisi in singulos annos adsignare, ut eorum dispositio libera maneat; et congruentius esse, ut cum Parocho rem habeant, cui status personarum facilius innotescit; — 3. ea solvenda citius, et qui ultra annum dolose protraxerit, cadit in reservationem, eumque Parochus tenetur Episcopo denunciare². Quod merito statutum est ob detrimentum non leve, quod evenit defuncto, non quidem quantum ad meritum eleemosynæ, quia meritum principaliter a voluntate et intentione dependet; sed quantum ad illius effectum: non quasi pro illa tarditate puniatur defunctus; sed quia ei remedium non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum juvaretur. *Ita D. Thomas*³.

quia ex *C. Tua, De test.*; et ex Tridentino, sess. xxii, c. vi, *De R.*, imponitur Episcopis exequi exacte ultimas voluntates; quod valet licet commutatio fieret in melius, ut dicunt Barbosa, Imola, Layman, Lugo, etc. — Ex Tridentino autem, sess. xxii, c. viii, *De R.*, id unum committitur Episcopis, ut quando commutationes a Sede Romana eis committuntur, ipsi eas ante executionem examinent, an sit verum expositum; Concilium enim, c. v, præcedenti de hoc tantum fuerat locutum: unde illud caput frustra ab adversariis opponitur. — Sunt tamen causæ aliquæ, ob quas communiter creditur quasi per episcopiam concessa Episcopis commutandi facultas. Esset, 1. si pecunia ad aliquem usum legata non sufficiat; 2. si res legata nequeat deservire pro usu determinato; 3. si legatum non sit ad usum illa necessarium, puta si sit relictum pro vasis sacris conficiendis, quibus Ecclesia non eget, sed potius casulis. *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 951.

¹ Hic etiam pergrave monitum sit omnibus Parochis ac Beneficiatis, qui de piorum legatorum quomodocumque solutione tenentur, ut ea statis adimpleant temporibus, atque omnino de vice in vicem in apposito libro ad implementum adnotent, cum suis omnibus circumstantiis. Videant toto celo, ne differant de die in diem, sicque oblivionem evitent et confusionem quot lites inter beneficii successores et antecessorum hæredes! quot controversiæ, quot inimicitia, et consequenter quot Dei offensæ et peccata evitabuntur, si hæc adamussim serventur!

² Pag. 250 et 527.

³ Quodl. 6, q. 8, a. 15. — Hinc merito ab Ecclesia Legatorum promotores constituti sunt, quorum quidem est invigilare, num rite impleantur piorum voluntates.

525. Q. 5. *An hæres teneatur voluntatem testatoris implere, si de ea in testamento non constat?*

R. Si hæc defuncti voluntas, de qua in testamento non constat, respicit debita ex justitia, procul dubio illa voluntas *statim ac certo constat*, implenda est; hoc enim onus est reale hæreditatis, quod transit in hæredes quoscumque. Ubi notandum est illud: *Statim ac certo constat*, id est sive verbis sive nutu sive scriptis, aut per duos testes fide dignos; nam ex juris regula omnium consensu recepta non tenebitur hæres in sui præjudicium credere uni testi, quamvis probatissimo: *Licet quædam sint causæ*, legitur in jure Canonico, *quæ plures quam duos exigant testes, nulla est tamen causa, quæ unius testimonio (quamvis legitimo) terminetur*¹. Idque sane necessarium fuit ad bonum commune, ut fraudes in civili societate evitarentur. Hinc docent Croix, Layman, Viva, etc., contra aliquos, quod hæres non tenetur credere soli Parocho vel confessario licet probo, nisi adsit testis alter; quia esto, quod dictum unius testis idonei sæpe det justam et probabilem credendi causam, non affert tamen credendi necessitatem². Quod etiam communius affirmant quoad legata pia a testatoris pietate relicta.

§ 13. — De substitutionibus.

526. Q. *Quid intelligitur nomine substitutionis in re testamentaria?*

R. Substitutio est scriptio alterius personæ in locum hæredis, qui nolit vel non possit hæreditatem adire.

Ex Codice civili Gallico: « Les substitutions sont prohibées. Toute disposition par laquelle le donataire, l'héritier institué, ou le légataire, sera chargé de conserver et de rendre à un tiers, sera nulle, même à l'égard du donataire, de l'héritier institué, ou du légataire³. »

¹ *Decret. Greg.*, l. II, t. XX, c. xxiii, *Licet universis*.

² At si testator dedisset tibi aliquid, ut tanquam pauper retineres vel ut in pias causas distribueres, tuto id faceres, etiam inscio et invito hærede; cum res certa tibi sit, prout docent Lugo, Molina, Croix, Salmanticenses, Vil., Cov., Gom., etc. *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 925.

³ Cod. civ. Gall., art. 893. — De quo sic card. Gousset: « Pour une sub-

CAPUT SECUNDUM

DE HÆREDITATE LEGITIMA SIVE AB INTESTATO

527. Q. *Quid est hæreditas ab intestato, quomodo fit, et quotuplex est?*

R. ad 1. *Hæreditas ab intestato* est cum ob defectum testamenti lex decernit quis debeat succedere in bonis defuncti. Ideo huic hæreditati non fit locus, nisi deficiente testamento, ex illo juris: *Non fit locus provisioni legis, nisi cum cessat provisio hominis*. Testamentum autem deficere dicitur, cum non est conditum, aut conditum est invalide, vel hæredes nolunt aut nequeunt illud acceptare.

De successionibus sic Galliarum Codex civilis :

§ 1. — De l'ouverture des successions.

528. « Les successions s'ouvrent par la mort naturelle et par la mort civile. La succession est ouverte par la mort civile du moment où cette mort est encourue.

stitution prohibée, il faut : 1° qu'il y ait charge de rendre; les expressions *je désire, je prie*, ne sont pas suffisantes pour caractériser une substitution prohibée; 2° qu'il y ait charge de *conserver*; la charge de *rendre*, qui ne serait pas accompagnée de la charge de *conserver*, ne forme point une substitution proprement dite; 3° qu'il y ait charge de *rendre* à un tiers. Et par la charge indéterminée de rendre, on entend la charge de rendre après la mort de l'institué, après avoir conservé toute sa vie les biens qui sont l'objet de la substitution. De là on conclut que le fidéicommiss pur et simple, c'est-à-dire la disposition par laquelle l'institué serait chargé de rendre tout de suite, ne doit point être rangée dans la classe des substitutions prohibées. On ne regarde pas non plus comme substitution la disposition par laquelle un tiers serait appelé à recueillir le don, l'hérédité ou le legs, dans le cas où le donataire, l'héritier institué ou le légataire ne le recueillerait pas. Il en est de même de la disposition entre-vifs ou testamentaire, par laquelle l'usufruit sera donné à l'un et la nue propriété à l'autre. — La loi qui défend les substitutions admet les exceptions : les biens dont il est permis de disposer peuvent être donnés, en tout ou en partie par acte entre-vifs ou testamentaire, avec la charge de les rendre à un ou plusieurs enfants du donataire, nés ou à naître, jusqu'au premier degré seulement. » *Théol. Morale*, t. I, n. 787. — Cod. civ., art. 1048.

« La loi règle l'ordre de succéder entre les héritiers légitimes : à leur défaut, les biens passent aux enfants naturels, ensuite à l'époux survivant, et, s'il n'y en a pas, à l'État.

« Les héritiers légitimes sont saisis de plein droit des biens, droits et actions du défunt, sous l'obligation d'acquiescer toutes les charges de la succession : les enfants naturels, l'époux survivant et l'État doivent se faire envoyer en possession par justice dans les formes qui sont déterminées¹. »

§ 2. — Des qualités requises pour succéder.

529. « Pour succéder, il faut nécessairement exister, il faut nécessairement exister à l'instant de l'ouverture de la succession. Ainsi, sont incapables de succéder : 1° celui qui n'est pas encore conçu; 2° l'enfant qui n'est pas né viable; 3° celui qui est mort civilement.

« Sont indignes de succéder, et, comme tels, exclus de la succession : 1° celui qui serait condamné pour avoir donné ou tenté de donner la mort au défunt; 2° celui qui a porté contre le défunt une accusation capitale jugée calomnieuse; 3° l'héritier majeur qui, instruit du meurtre du défunt, ne l'aura pas dénoncé à la justice². »

§ 3. — Des divers ordres de succession.

530. « Toute succession échue à des ascendants ou à des collatéraux se divise en deux parties égales : l'une pour les parents de la ligne paternelle, l'autre pour les parents de la ligne maternelle. Les parents utérins ou consanguins ne sont pas exclus par les germains; mais ils ne prennent part que dans leur ligne, sauf ce qui est dit à l'article 752 (*Code civil*). Les germains prennent part dans les deux lignes. Il ne se fait aucune dévolution d'une ligne à l'autre que lorsqu'il

¹ Cod. civ., art. 718, etc.

² Cod. civ., art. 725, etc.

ne se trouve aucun ascendant ni collatéral de l'une des deux lignes.

« Cette première division opérée entre les lignes paternelle et maternelle, il ne se fait plus de division entre les diverses branches; mais la moitié dévolue à chaque ligne appartient à l'héritier ou aux héritiers les plus proches en degrés, sauf le cas de la représentation.

« La proximité de parenté s'établit par le nombre de générations; chaque génération s'appelle un *degré*. La suite des degrés forme la ligne: on appelle *ligne directe* la suite des degrés entre personnes qui descendent l'une de l'autre; *ligne collatérale*, la suite des degrés entre personnes qui ne descendent pas les unes des autres, mais qui descendent d'un auteur commun. On distingue la ligne directe en ligne directe descendante et ligne directe ascendante. La première est celle qui lie le chef avec ceux qui descendent de lui; la deuxième est celle qui lie une personne avec ceux dont elle descend.

« En ligne directe, on compte autant de degrés qu'il y a de générations entre les personnes: ainsi, le fils est à l'égard du père au premier degré; le petit-fils, au second; et réciproquement du père et de l'aïeul à l'égard des fils et petits-fils. En ligne collatérale, les degrés se comptent par les générations¹, depuis l'un des parents jusques et non compris l'auteur commun, et depuis celui-ci jusqu'à l'autre parent. Ainsi deux frères sont au deuxième degré, l'oncle et le neveu sont au troisième degré, les cousins germains au quatrième, ainsi de suite². »

§ 4. — De la représentation.

531. « La représentation est une fiction de la loi dont l'effet est de faire entrer les représentants dans la place, dans le degré et dans les droits du représenté. Elle a lieu à l'infini dans la ligne directe descendante. Elle est admise dans tous

¹ Aliter in jure canonico ex quo fratres sunt in primo gradu consanguinitatis et filii eorum in secundo. Not. edit.

² Cod. civ., art. 735.

les cas, soit que les enfants du défunt concourent avec les descendants d'un enfant prédécédé, soit que, tous les enfants du défunt étant morts avant lui, les descendants desdits enfants se trouvent entre eux en degrés égaux ou inégaux. La représentation n'a pas lieu en faveur des ascendants: le plus proche, dans chacune des deux lignes, exclut toujours le plus éloigné.

« En ligne collatérale, elle est admise en faveur des enfants et descendants de frères ou sœurs du défunt, soit qu'ils viennent à sa succession concurremment avec des oncles ou tantes, soit que, tous les frères et sœurs du défunt étant prédécédés, la succession se trouve dévolue à leurs descendants en degrés égaux ou inégaux. Dans tous les cas où la représentation est admise, le travail s'opère par souche; si une même souche a produit plusieurs branches, la subdivision se fait aussi par souche dans chaque branche, et les membres de la même branche partagent entre eux par tête¹. »

§ 5. — Des successions déferées aux descendants.

532. « Les enfants ou leurs descendants succèdent à leurs père et mère, aïeuls, aïeules, ou autres ascendants, sans distinction de sexe ni de progéniture, et encore qu'ils soient issus de différents mariages. Ils succèdent par égales portions et par tête, quand ils sont tous au premier degré et appelés de leur chef; ils succèdent par souche, lorsqu'ils viennent tous ou en partie par représentation². »

§ 6. — Des successions déferées aux ascendants.

533. « Si le défunt n'a laissé ni postérité, ni frère, ni sœur, ni descendants d'eux, la succession se divise par moitié entre les ascendants de la ligne paternelle et les ascendants de la ligne maternelle. L'ascendant qui se trouve au degré le plus proche recueille la moitié affectée à sa ligne, à l'exclusion de

¹ Cod. civ., art. 759.

² Cod. civ., art. 745.

tous autres. Les ascendants au même degré succèdent par tête.

« Lorsque les père et mère d'une personne morte sans postérité lui ont survécu, si elle a laissé des frères, sœurs, ou des descendants d'eux, la succession se divise en deux portions égales, dont moitié seulement est déférée au père et à la mère, qui la partagent entre eux également. L'autre moitié appartient aux frères, sœurs ou descendants d'eux. — Dans le cas où la personne morte sans postérité laisse des frères, sœurs ou des descendants d'eux, si le père ou la mère est prédécédée, la portion qui lui aurait été dévolue se réunit à la moitié déférée aux frères, sœurs ou à leurs représentants¹. »

§ 7. — Des successions collatérales.

534. « En cas de prédécès des père et mère d'une personne morte sans postérité, ses frères, sœurs ou leurs descendants sont appelés à la succession, à l'exclusion des ascendants et des autres collatéraux. Ils succèdent ou de leur chef ou par représentation.

« Si les père et mère de la personne morte sans postérité lui ont survécu, ses frères, sœurs ou leurs représentants ne sont appelés qu'à la moitié de la succession. Si le père ou la mère seulement a survécu, ils sont appelés à recueillir les trois quarts. Le partage de la moitié ou des trois quarts dévolus aux frères ou sœurs s'opère entre eux par égales portions, s'ils sont tous du même lit : s'ils sont de lits différents, la division se fait par moitié entre les deux lignes paternelle et maternelle du défunt; les germains prennent part dans les deux lignes, et les utérins ou consanguins chacun dans leur ligne seulement : s'il n'y a des frères ou sœurs que d'un côté, ils succèdent à la totalité, à l'exclusion de tous autres parents de l'autre ligne.

« A défaut de frères ou sœurs ou de descendants d'eux, et à défaut d'ascendants dans l'une ou l'autre ligne, la succes-

¹ Cod. civ., art. 746, etc.

sion est déférée pour moitié aux ascendants, et pour l'autre moitié, aux parents les plus proches de l'autre ligne. S'il y a concours de parents collatéraux au même degré, ils partagent par tête.

« Les parents au delà du douzième degré ne succèdent pas. A défaut de parents au degré successible dans une ligne, les parents de l'autre ligne succèdent pour le tout. »

§ 8. — Des successions irrégulières.

535. « Les enfants naturels ne sont point héritiers; la loi ne leur accorde de droit sur les biens de leur père ou mère décédés, que lorsqu'ils ont été légalement reconnus. Elle ne leur accorde aucun droit sur les biens des parents de leur père ou mère.

« Le droit de l'enfant naturel sur les biens de ses père ou mère décédés est réglé ainsi qu'il suit : si le père ou la mère a laissé des descendants légitimes, ce droit est d'un tiers de la portion héréditaire que l'enfant naturel aurait eue s'il eût été légitime; il est de la moitié, lorsque le père et la mère ne laissent pas de descendants, mais bien des ascendants ou des frères ou sœurs; il est des trois quarts lorsque les père ou mère ne laissent ni descendants ni ascendants, ni frères ni sœurs. L'enfant naturel a droit à la totalité des biens lorsque ses père ou mère ne laissent pas de parents au degré successible.

« Ces dispositions ne sont pas applicables aux enfants adultérins ou incestueux. La loi ne leur accorde que des aliments, qui sont réglés, eu égard aux facultés du père ou de la mère, au nombre et à la qualité des héritiers légitimes.

« La succession de l'enfant naturel décédé sans postérité est dévolue au père ou à la mère qui l'a reconnu; ou par moitié à tous les deux, s'il a été reconnu par l'un et par l'autre. »

§ 9. — Des droits du conjoint survivant et de l'État.

536. « Lorsque le défunt ne laisse ni parents au degré

successible, ni enfants naturels, les biens de la succession appartiennent au conjoint non divorcé qui lui survit. A défaut de conjoint survivant, la succession est acquise à l'État¹. »

§ 10. — De l'acceptation et de la répudiation des successions.

537. « Une succession peut être acceptée purement et simplement ou sous bénéfice d'inventaire. L'acceptation peut être expresse ou tacite : elle est expresse, quand on prend le titre ou la qualité d'héritier dans un acte authentique ou privé ; elle est tacite, quand l'héritier fait un acte qui suppose nécessairement son intention d'accepter, et qu'il n'aurait droit de faire qu'en sa qualité d'héritier. Les actes purement conservatoires, de surveillance et d'administration provisoire, ne sont pas des actes d'adition d'hérédité, si l'on n'y a pas pris le titre ou la qualité d'héritier².

« La renonciation à une succession ne se présume pas ; elle ne peut être faite qu'au greffe du tribunal de première instance dans l'arrondissement duquel la succession est ouverte. L'héritier qui renonce est censé n'avoir jamais été héritier ; s'il est seul, la succession est dévolue au degré subséquent. Les héritiers qui auraient diverti ou recélé des effets d'une succession sont déchus de la faculté d'y renoncer³. »

§ 11. — Du bénéfice d'inventaire.

538. « La déclaration d'un héritier, qu'il n'entend ne prendre cette qualité que sous bénéfice d'inventaire, doit être faite au greffe du tribunal de première instance dans l'arrondissement duquel la succession s'est ouverte. L'héritier qui s'est rendu coupable de recel, ou qui a omis, sciemment et de mauvaise foi, de comprendre dans l'inventaire des effets de la succession, est déchu du bénéfice d'inventaire.

¹ Cod. civ., art. 767, etc.

² Cod. civ., art. 774, etc. — ³ Cod. civ., art. 784, etc.

« L'effet du bénéfice d'inventaire est de donner à l'héritier l'avantage 1^o de n'être tenu du paiement des dettes de la succession que jusqu'à concurrence de la valeur des biens qu'il a recueillis, même de pouvoir se décharger du paiement de tous les biens de la succession aux créanciers et aux légataires ; 2^o de ne pas confondre ses biens personnels avec ceux de la succession, et de conserver contre elle le droit de réclamer le paiement de ses créances.

« Tout héritier, même bénéficiaire, venant à une succession, doit rapporter à ses cohéritiers tout ce qu'il a reçu du défunt, par donation entre-vifs, directement ou indirectement ; il ne peut retenir les dons ni réclamer les legs à lui faits par le défunt, à moins que les dons et legs ne lui aient été faits expressément par préciput et hors part, ou avec dispense du rapport. Dans le cas même où les dons et legs auraient été faits par préciput ou avec dispense du rapport, l'héritier venant à partage ne peut les retenir que jusqu'à concurrence de la quotité disponible : l'excédant est sujet à rapport.

« Le rapport est dû de ce qui a été employé pour l'établissement d'un des cohéritiers ou pour le paiement de ses dettes. Mais les frais de nourriture, d'entretien, d'éducation, d'apprentissage, les frais ordinaires d'équipement, ceux de noces et présents d'usage, ne doivent pas être rapportés.

« Les cohéritiers contribuent entre eux au paiement des dettes et charges de la succession, chacun dans la proportion de ce qu'il y prend. Le légataire à titre universel contribue avec les héritiers, au prorata de son émolument : mais le légataire particulier n'est pas tenu des dettes et charges, sauf toutefois l'action hypothécaire sur l'immeuble légué. Le légataire particulier qui a acquitté les dettes, dont l'immeuble légué était grevé, demeure subrogé aux droits du créancier contre les héritiers ou successeurs à titre universel.

« Les héritiers sont tenus des dettes et charges de la succession, personnellement pour leur part et portion virile, et hypothécairement pour le tout ; sauf leur recours, soit contre leurs cohéritiers, soit contre les légataires universels, à raison de la part pour laquelle ils doivent contribuer⁴. »

⁴ Cod. civ., art. 795, etc.

DISSERTATIO TERTIA

DE PRÆSCRIPTIONE¹

539. Q. 1. Quid est præscriptio, et an legitime inducta?

R. Præscriptio (quæ hodie non distinguitur ab usucapione²) definitur: *Medium institutum ad acquirendum aliquod jus, vel ab obtinendam liberationem ab aliqua obligatione sub conditionibus a lege statutis.* Ex quo patet duplicem esse præscriptionem, unam *acquisitivam*, et *liberativam* alteram. Medium est præscriptio legitimum apud omnes populos pro acquirendo rerum dominio in utroque jure, civili nempe et Canonico expresse approbatum³; et vim proinde habens in utroque foro: externo id est judiciali, et interno id est conscientie. Imo præscriptio si non oriatur immediate e jure naturali, ei tamen valde conformis est, et in eo fundamentum habet: cum tota innitatur bono communi, quatenus boni communis summopere interfuit, ut jus loquitur: 1. *Ne scilicet quarundam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent*; 2. *ut aliquis litium finis esset*; 3. *ut possessores*

¹ « La prescription est un moyen d'acquérir ou de se libérer par un certain laps de temps, et sous les conditions déterminées par la loi. » Cod. civ. Gall., art. 2219. Not. edit. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 504 et seqq., et *Homo Apost.*, tr. X, nn. 10 et seqq.

² Usucapio est acquisitio juris; præscriptio est liberatio ab aliqua obligatione. Usucapio dicitur, quia *res capitur usu*; præscriptio sic dicitur, quasi *exceptio*, quia per eam exceptio opponitur domino rei: *Præscriptio*, ait Forellini, *in re forensi est exceptio, qua quis alterum ab agendo summovet et repellit.* Differt præscriptio a consuetudine; etenim illa est *quid facti* quia per se non constituit jus legale vel mutat; sed mutat directe dominia rerum vel æquivalentia jura. At consuetudo est *quid juris*, quia habet primario et ex se vim legis, ut notat Suarez, *De religione*, l. I, c. xii.

³ De jure civili communi patet ex variis titulis *de præscript.*; de jure Canonico patet ex causa 16, q. 3, c. ii, *Præsulum*, etc. Si tamen casu aliquo in loco ex lege civili non sit admissa præscriptio, ista neque in foro interno locum haberet quoad res mere civiles; cum ultimo ac principaliter præscriptionis vis in hac lege fundetur. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 504 et 517. — Ferraris, *Biblioth.*, v^o Usucapio, Titulus.

tranquillo animo in possessione sua servantur, neque ipsi prope immortali timore teneantur; 4. *ad vitandam dominorum segnitiam, et longi temporis errorem et confusionem*⁴.

Quare Angelicus: *Dicendum, quod si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem*⁵. Imo tanta vis est præscriptionis, ut aliquando ipsa currat etiam in delictis quoad pœnam ferendam coram hominibus.

540. Regula generalis est, ut omnes præscribere possint, qui capaces sunt acquirendi domini: sicque etiam corpora moralia, uti Ecclesia, communitas, publica instituta non secus ac privatae personæ præscribere possunt et præscriptioni subduntur⁶. At nemo contra seipsum præscribit; neque sane actus ex errore gesti nocere debent erranti: hinc si Beneficiatus jam a multo tempore ex errore quatuor celebraverit in hebdomada Missas, cum tamen ex Beneficii fundatione non obligetur nisi ad duas, non ideo tenebitur in posterum ad quatuor.

Præscriptio autem, licet ex natura sua sit una semper et eadem; potest tamen claritatis gratia in triplicem quasi speciem dividi ratione temporis, quod requiritur in jure ad eam legitime peragendam. Alia est *brevis temporis*, quam appellamus ordinariam sive particularem: et complectitur spatium sex mensium ad decennium. Alia est *longi temporis*, quam appellamus generalem: et complectitur spatium annorum triginta. Alia est *temporis longissimi*, quam appellamus generalissimam: et complectitur spatium annorum sexaginta.

541. Q. 2. *Quænam sunt conditiones ad legitime præscribendum?*

R. Conditiones a lege statutæ ad legitime præscribendum sunt, ut res ad præscribendum sit apta, ut adsit bona fides, titulus, possessio et tempus definitum. Quæ quidem condi-

⁴ *Digest.*, l. XIV, t. IV, *De usur. et usucap.*, lege 1. — T. X, *Pro suo*, l. V. — *Decr. Greg.*, l. II, t. XXVI, c. v.

⁵ Quodl. ii, art. 74.

⁶ C. Pe.l. 2562. — C. A. 1472. — C. S. 2152. — C. P. 2359. — C. M. 2268.

⁷ « L'État, les établissements et les communes sont soumis aux mêmes prescriptions que les particuliers, et peuvent également les opposer. » Cod. civ. Gall., art. 2227. Not. edit.

tiones sunt de necessitate; nam lex humana, a qua vim habet præscriptio, non nisi sub illis eam admittit. Quæ omnia hisce versiculis exprimi solent:

*Non usu capies, nisi sint tibi talia quinque:
Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.*

1. *Res apta*: præscriptionis nempe capaces non sunt res illæ, quas ut tales declarat lex ipsa civilis, a qua præscriptio inducta est. In Codice vero civili res præscriptionis incapaces sunt: — 1. res quæ aut non sunt in civili commercio, uti res sacræ, v. g., Ecclesiæ, cæmeteria; aut possideri nequeunt, uti sunt jura spiritualia (v. g., absolvendi) a laicis. Item neque ea quæ sunt juris naturalis et divini: sic subditus nequit præscribere immunitatem ab obedientia. Imo hæc omnia natura sua impræscribilia sunt; — 2. res publicis usibus deputatæ, uti forum, via publica, platea, pontes et similes, nisi tamen earum usus in populo cessaverit; — 3. bona et jura regalia, quæ ad *Regium Demanium* pertinent, utpote inalienabilia¹: item non præscribuntur servitutes prædiales aut non apparentes aut non continuæ, si excipiatur servitus transitus necessarii²: item neque immobilia dotalia, durante matrimonio, nisi forsans præscriptio ante conjugium jam incœperit³; — 4. res furtivæ, vel vi ablatae quoad possessorem malæ fidei: quod certum est pro foro interno. Attamen pro foro externo si res istæ mobiles sunt, post triennium; si immobiles, post annos triginta non amplius admittunt in dominis suis actionem pro iisdem repetendis a possessore quocumque⁴; — 5. actio ad reclamandum statum proprium relate ad filium⁵.

2. *Fides*, nempe *bona*⁶: cujus nomine intelligitur *illa animi*

¹ *Demanium, dominium, demanialia bona* ex corruptione verbi *dominium*, sunt certi reditus regni vel Principis.

² C. Ped. 649. — C. A. 480. — C. G. 690 et seqq. — C. S. 561. — C. P. 495. — C. M. 317.

³ C. Ped. 2588 et 1544. — C. A. 1495. — C. G. 2251 et seqq. — C. S. 2148. — C. P. 2545. — C. M. 2292.

⁴ C. Ped. 2597 et 2411. — C. G. 2262 et seqq. — C. S. 2185. — C. P. 2569. — C. M. 2315.

⁵ C. Ped. 169. — C. G. 528. — C. S. 250. — C. P. 360. — C. M. 594.

⁶ Et quidem bona fides *theologica* requiritur, quæ nempe excludit peccata-

affectio seu persuasio, qua quis prudenter judicat rem, quam possidet, esse suam, quamvis revera non sit, unde bona fides supponit ignorantiam invincibilem. Hinc jus: *Oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat conscientiam rei alienæ; iterum: Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*¹. Et sane *possessor malæ fidei est in continuo statu peccati mortalis, rem alienam scienter detinendo; illa autem, quæ sine peccato esse non possunt, nulla præscriptione firmantur*, ait Angelicus². Non est ergo dubitandum, quin civiles Codices bonam fidem supponant saltem initio præscriptionis; cum certe nequeat in mentem venire legislatorum, nempe transferre dominium alicujus rei in possessorem malæ fidei: quod esset approbare ipsum furtum. — Quod autem præscriptione generali annorum triginta generatim cautum sit, ut omnes actiones tam reales, quam personales extinguantur omnino illo triginta annorum spatio³, hoc sensu intelligitur, quod nulla defur actio in foro externo, ne prætextu malæ fidei turbentur possessiones, et lites in infinitum protrahantur. Certum est enim, quod neque centum annorum præscriptio et ultra potest sine bona fide valere: *Synodali judicio definimus, ita Patres Concilii Lateranensis, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civili.*

Bonæ fidei obstare possunt tum *ignorantia*, ut cum quis credit rem, quam possidet, esse suam, cum tamen non sit; tum etiam *dubium*, ut cum quis dubitat, an rem quam possidet, sua sit neene. — Ignorantia duplex est: alia facti, et ea est qua quis scit legem, sed ignorat tale factum esse legi oppositum, ut si sciat, v. g., minores contrahere non posse; ignoret tamen personam, quacum hic et nunc contrahit, esse

tum; etsi in foro externo habeatur ut sufficiens bona fides *juridica*, ea nempe quæ excludit indicia, ex quibus in foro civili mala fides probari possit.

¹ *Decret. Greg.*, l. II, t. XXVI, c. xx *Quoniam*; et *Reg. ii juris*.

² In 4, dist. 44, q. 1, a. 5; et q. 4, a. 2.

³ « Toutes les actions, tant réelles que personnelles, sont prescrites par trente ans, sans que celui qui allègue cette prescription soit obligé d'en rapporter un titre, ou qu'on puisse lui opposer l'exception déduite de la mauvaise foi. » *Cod. civ. Gall.*, art. 2262. *Not. edit.*

minorem; alia juris, et ea est qua quis cognoscit quidem factum, sed ignorat legem illud prohibentem, ut si sciat talem, quacum contrahit, esse minorem, sed ignoret legem illum prohibentem contrahere. Porro ignorantia facti invincibilis¹ ne diu impediat, imo eam inducit; cum bona fides semper ex aliqua ignorantia oriatur: hinc jus, *facti ignorantia prodesse constat*². At obest præscriptioni ignorantia juris juxta communem peritorum sententiam; hinc iterum in lege habetur: *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse*³. Excipe nisi agatur de ignorantia juris invincibili in præscriptione tricennaria; cum per hanc omnis actio extinguatur. — Quod vero pertinet ad dubium, si illud oriatur initio possessionis, utique tollitur bona fides; quia, eo stante, esse non poterat in possessore illa animi affectio, qua putaret rem esse suam. Si vero illud oriatur in decursu, tunc dubitans tenetur diligentiam adhibere ad veritatem inveniendam, ne imprudenter se periculo exponat alienum possidendi. Quod si, adhibita diligentia, dubium perseveret, ex communi et probabiliori sententia potest rem illam sibi retinere; quia in dubio melior est conditio possidentis: unde stante tali dubio speculativo, formari potest laudato principio conscientia certa seu bona fides. Ita celebriores theologi Habert, Anacletus, Billuart, Covarruvias, Croix, Gousset, Lessius, Lugo, Navarrus, Sylvester, Sylvius aliique bene multi contra Sotum et alios.

3. *Titulus justus*: titulus generatim est causa, propter quam aliquid possidemus. Hic non agitur de titulo vero; nam tunc non esset necessaria præscriptio, quia nemo rem suam præscribit; sed de titulo agitur qui suapte natura habilis ha-

¹ Quid (addes) si quis putet rem esse suam ex ignorantia culpabili? poteritne iste præscribere? Vel ignorantia hæc est graviter culpabilis, vel leviter: si 1, non potest præscribere, quia nemo ex propria culpa debet commodum reportare; si 2, videtur nobis probabilius eum Alasia præscribere posse; nam in concilio Lateranensi IV non damnatur, nisi sola fides cum peccato mortali. Adde si ignorantia leviter mala impediret præscriptionem, res esset innumeris scrupulis obnoxia; nam posset quilibet illius suspicionem agitari quotidie. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 511.

² L. IV, ff., *De juris et facti ignor.* — ³ Loc. cit.

beatur ad transferendam proprietatem, ut esset venditio, donatio. Claritatis gratia quadruplex hoc in loco distinguitur titulus: coloratus, existimatus, præsumptus et vitiosus. *Coloratus* sive apparens est qui occulta laborat nullitate: esset, v. g., si a Titio rem emerim, quam putabam esse Titii, cum tamen esset Sempronii. *Existimatus* est qui prudenter creditur interfuisse, licet non interfuerit: v. g., si filius ex hæreditate possideat aliquam rem, quæ a patre putetur empta; cum tamen empta non sit. *Præsumptus* est quando allegari non potest certus titulus, sed ob temporis diuturnitatem præsumitur interfuisse. *Vitiosus* tandem est qui caret aliqua conditione a lege statuta. Jam vero ad legitimam præscriptionem titulus vitiosus allegari non potest; quia dispositiones legis nunquam reputantur ignotæ: unde axioma: *Melius est non habere titulum, quam titulum vitiosum*. Titulus vero vel coloratus vel existimatus requiritur et sufficit, cum tunc satis salvetur bona fides. Attamen ad præscriptionem generalem seu longi temporis, nempe annorum triginta (multo magis vero ad præscriptionem generalissimam, seu temporis longissimi) titulus præsumitur ex ipsa temporis diuturnitate. Et ideo qui in sui favorem producit præscriptionem hanc, non tenetur probare ejusdem titulum.

4. *Possessio*, quæ quidem solet definiri: *Detentio rei vel fruitio juris per se, aut per alium, qui nostro nomine rem illam detinet, vel jus illud exercet*. Hæc porro est fundamentum præscriptionis; unde in jure: *Sine possessione præscriptio non procedit*¹. Ut tamen valeat possessio, ex civili lege debet esse *continua*, proinde sine interruptione toto tempore præfixo. *Pacifica*, unde actus violentiæ eam nequeunt constituere. *Publica*, id est talis ut is, contra quem currit præscriptio, eam cognoscere possit et reclamare, si vellet accurate attendere: sic qui furtim aquam haurit ex alieno puteo, licet per longum tempus, jus non acquirit illo clandestino usu aquam ab illo fundo hauriendi. *Non æquivoca* seu dubia, sed certa, id est demonstrata per actus attestativos veræ possessionis, ita ut qui possidet, moraliter certus sit se proprio

¹ Reg. juris in 6.

nomine possidere : alioquin deesset bona fides. Demum *titulo proprietarii* : hinc qui detinet rem nomine alterius, ut colonus, depositarius vel tutor, nequit præscribere. Item præscriptio non currit in facultativis vel in actibus simplicis tolerantiae ; sed hoc in praxi admodum difficile est judicare ¹.

5. *Tempus a lege definitum* : nova lex civilis nullum tribuere videtur privilegium bonis Ecclesiae, quæ inde coram ea lege præscribuntur uti cetera bona ². Tempus autem ad immobilia præscribendum computatur in dies, non in horas ; quando vero præscriptio computatur in menses, hi sunt triginta dierum, et si ultima dies sit feriata (id est si ex legis

¹ « La prescription se compte par jours et non par heures. Elle est acquise lorsque le dernier jour du terme est accompli. » Cod. civ. Gall., art. 2260 et 2261. Not. edit. — « Pour prescrire, il faut une possession continue et non interrompue, paisible, publique, non équivoque, et à titre de propriétaire. Une possession qui s'introduit par la violence, ou qui est clandestine, ou qui n'est fondée sur aucun titre translatif de propriété réel ou présumé, ne peut servir pour la prescription. Les actes de pure faculté et ceux de simple tolérance ne peuvent non plus fonder ni possession ni prescription. Exemple : Pendant trente ans, je me suis abstenu de bâtir sur mon terrain ; mon voisin n'a pas acquis le droit de m'empêcher de bâtir après ce laps de temps ; car bâtir ou ne bâtir pas sont des actes de pure faculté. De même, si je laisse paître, pendant trente ou quarante ans, les bestiaux de mon voisin sur une de mes terres en friche, c'est un acte de tolérance dont il ne peut se prévaloir pour la prescription. » Gousset, *Theol. Mor.*, t. I, n. 715.

² Quoad res Ecclesiae præscribendas ex legibus Romanis confirmatis ab ipso jure canonico hæc notantur : 1. Pro bonis immobilibus Ecclesiae requiruntur 40 anni. Et pro immobilibus Ecclesiae Romanae 100. An autem pro mobilibus Ecclesiae requiritur idem tempus 40 annorum, affirmant Anacletus, Hostiensis, Panormitanus, etc., dicentes quod in textu non fit distinctio ; alii negant æque probabiliter. Sede autem vacante, contra Ecclesiam non currit præscriptio. — 2. Possidens beneficium aut illius fructus per tres annos, juxta regulam Cancellariae, etiamsi titulus fuisset nullus, præscribit ; modo non intercesserit intrusio, aut simoniacus ingressus. — V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. X, n. 10. — 3. Dicunt Layman, Navarrus, Gobat, etc., posse præscribi numerum Missarum, ac circumstantias appositas in fundatione 20, aut 30, aut saltem 40 annis. Sed verius id non admittitur ; quia Tridentinum interdicat posse derogari illis oneribus, et Pius IV confirmans Concilium, declaravit irritum quidquid in posterum contra factum fuisset. Dicit autem Croix cum aliis communissime clausulam Decreti irritantem ligare etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficere titulum et possessionem. V. Liguori, *Homo Apost.*, tr. XV, n. 75.

præscripto judicii januæ non pateant litigantibus) præscriptio completur, completa die immediate succedente non feriata.

542. Q. 3. *Quod temporis spatium requiritur ad præscribendum?*

R. Ad præscriptionem : « Toutes les actions, tant réelles que personnelles, se prescrivent par trente ans, sans que celui qui allègue cette prescription soit obligé d'en rapporter un titre. Par conséquent, celui qui, de bonne foi, a possédé comme *sien* un immeuble pendant trente ans, peut le conserver, lors même qu'il découvrirait, le lendemain du jour où la prescription s'est accomplie, qu'il avait possédé cet immeuble au préjudice d'un tiers. Il en est de même pour toute autre prescription ¹.

« Celui qui acquiert de bonne foi et avec titre un immeuble en prescrit la propriété par dix ans, si le véritable propriétaire habite dans le ressort de la cour d'appel dans l'étendue de laquelle l'immeuble est situé ; par vingt ans, s'il est domicilié hors dudit ressort. Si le véritable propriétaire a eu son domicile, en différents temps, dans le ressort et hors du ressort, il faut ajouter à ce qui manque aux dix ans de présence un nombre d'années d'absence double de celui qui manque pour compléter la prescription de dix ans.

« Les meubles se prescrivent par trois ans ; mais il est nécessaire, pour cette prescription, comme pour celle des immeubles, que la possession soit fondée sur la bonne foi. Quant aux prescriptions à l'effet de se libérer, qui s'opèrent par six mois, un an, deux ans, cinq ans, elles n'ont lieu, généralement, que pour le for extérieur : le débiteur qui n'a pas réel-

¹ « En fait de meubles, la possession vaut titre ; néanmoins, celui qui a perdu ou auquel il a été volé une chose peut la revendiquer pendant trois ans, à compter du jour de la perte ou vol, contre celui dans les mains duquel il l'a trouvée, sauf à celui-ci son recours contre celui duquel il la tient. Mais, si le possesseur de la chose volée ou perdue l'a achetée dans une foire, ou dans un marché, ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles, le propriétaire originaire ne peut se la faire rendre qu'en remboursant au possesseur le prix qu'elle lui a coûté. » Cod. civ. Gall., art. 2279 et 2280. — Quæ singularis dispositio, addit D. Scavini, pro mobilibus probabilibus obtinet etiam in conscientia mente legislatoris ut communius docent Gury, Gousset, Bouvier, aliique moderni auctores.

lement satisfait à une obligation, ne peut, en conscience, opposer la prescription. Nous avons dit *généralement*, car il y a quelques cas d'exception. Ces cas sont : 1° ceux où l'action est dirigée contre l'héritier du débiteur, quand on a lieu de croire que la dette a été acquittée par le défunt, et on la présume acquittée jusqu'à preuve contraire; 2° quand il se trouve que, par le fait du créancier, le débiteur ne tire aucun avantage du non-paiement de la dette. Exemple : Une femme qui avait des dettes s'est mariée sous le régime de la communauté légale. Un des créanciers, qui aurait pu se faire payer pendant le mariage, a laissé prescrire sa créance. La communauté se dissout et la femme y renonce : elle peut en toute sûreté de conscience opposer la prescription au créancier, en lui objectant que, s'il eût fait valoir son action pendant la communauté, il eût pu être payé; qu'elle ne tire aucun avantage de ce qu'il ne l'a pas été, puisqu'elle est obligée de renoncer à la communauté; qu'elle souffrirait, au contraire, du préjudice de ce qu'il a tardé si longtemps à poursuivre; de sorte que l'indemnité qu'il lui doit, à raison de ce préjudice, se compense par le montant de la dette dont il réclame le paiement.

« Pour compléter le temps nécessaire pour la prescription, on peut joindre à sa possession celle de son auteur, de quelque manière qu'on lui ait succédé, soit à titre universel ou particulier, soit à titre lucratif ou onéreux. Si donc, par exemple, je suis héritier d'une personne qui a possédé pendant vingt ans, il me suffit de continuer cette possession pendant dix ans, pour arriver à une prescription trentenaire. Il en serait de même dans le cas où je posséderais la chose à titre d'achat, de legs ou de donation, etc. Celui duquel je tiens la chose, à titre lucratif ou onéreux, me l'a livrée avec tous les droits qu'il avait à l'égard de cette chose, avec le droit par conséquent de la prescrire.

« On ne peut invoquer la possession de son auteur qu'autant qu'elle est légitime : une possession vicieuse, violente, clandestine, de mauvaise foi, ne peut servir ni à celui qui possède, ni à celui qui lui succède, s'il connaît les vices de cette possession; mais elle n'empêchera pas de prescrire le

tiers acquéreur qui est de bonne foi : seulement, la prescription ne commencera qu'à partir du moment où ce tiers entre en possession, en vertu d'un titre translatif de propriété, dans l'ignorance des vices qui accompagnaient la possession de son auteur. Dans ce cas, si le tiers acquéreur tient la chose à titre particulier, onéreux ou lucratif, il peut prescrire par trois, dix ou vingt ans. En est-il de même de l'héritier d'un homme de mauvaise foi? Il en est certainement de même de celui qui hérite ou succède à titre particulier : il a une possession qui lui est propre, une possession qui ne peut être regardée comme une continuation de celle du défunt, car il ne le représente pas : il pourra donc prescrire, comme tout autre acquéreur, à titre particulier. Mais il en est autrement pour le successeur universel ou à titre universel. Si l'auteur était possesseur de mauvaise foi, si sa possession était une possession violente, clandestine, frauduleuse; si, par exemple, la chose qu'il possède était une chose volée, le successeur universel, fût-il de bonne foi, ne pourrait la prescrire : « *suc- cedit enim in vitia defuncti.* » Ce qui toutefois doit s'entendre de la prescription de trois, dix ou vingt ans, et non de la prescription trentenaire. Ainsi l'héritier d'une personne qui était de mauvaise foi peut prescrire par le laps de trente ans; et nous pensons que cette prescription a lieu, même au for intérieur, dans le cas où cet héritier est de bonne foi pendant les trente années¹.

543. Q. 4. *Quando præscriptio dicitur interrumpi, et dormire?*

R. Ad 1. Tunc dicitur præscriptio interrumpi quando aliquod impedimentum intervenit, quod illam jam inchoatam extinguat : idque contingere potest naturaliter et civiliter. *Naturaliter*, cum quis a possessione dejicitur, et rei fructione privatus ultra anni spatium fuit vel ab anteriori ejusdem proprietario, vel a tertio ; tunc de novo incipienda est. *Civiliter* quando intervenit litis contestatio vel injunctio, aut cum quis sequestrum indicit. Item interrumpitur per citationem coram iudice licet incompetenti : aliter est si citatio nulla sit defectu

¹ *Théol. Mor.*, par le card. Gousset, n. 718.

formæ, si actor a petitione recedat; si perimi sinat instantiam, vel ipsa petitio rejiciatur¹.

R. Ad 2. Præscriptio dicitur dormire seu suspendi, cum tale eidem impedimentum opponitur, ut eo remoto, tempus præcedens queat cum tempore subsequenti computari atque conjungi²...

544. Q. 5. *Quid si possessio transeat in diversos possessores?*

R. En Codicis civilis determinatio: « Pour compléter la prescription, on peut joindre à sa possession celle de son auteur, de quelque manière qu'on lui ait succédé, soit à titre universel ou particulier, soit à titre lucratif ou onéreux³. »

Quid (dices) si quis dubitet, vel certus sit de mala fide sui antecessoris? Si dubitet tantum, post adhibitam diligentiam ad veritatem dignoscendam, potest præscribere etiam in conscientia; quia mala fides præsumi non debet: et nemo habendus malus, nisi probetur. Si vero certus sit de fide mala sui antecessoris, nullimode potest præscribere; et si rem non restituat, reus est furti. An vero ipse a præscriptione impeditur, si ignoret malam fidem sui antecessoris, distinguendum est: non impeditur, si ei succedat titulo particulari, v. g., legato, vel contractu; quia ipse tunc non repræsentat personam defuncti. Impeditur autem si succedat titulo universali⁴;

¹ V. Cod. civ. Gall., art. 2242 et seqq.

² « La prescription court contre toutes les personnes, à moins qu'elles ne soient dans quelque exception établie par une loi. » Cod. civ. Gall., art. 2251. — « Généralement elle ne court pas contre les mineurs et les interdits; elle ne court pas non plus entre les époux. Quant aux calamités publiques, elles ne suspendent pas la prescription; ni la guerre, ni la peste, ni toute autre calamité, ne peuvent, en France, suspendre la prescription; car elles ne sont point mises par la loi au nombre des causes qui en suspendent le cours. » *Théol. morale*, par le cardinal Gousset, t. I, n. 725. Not. edit.

³ Cod. civ. Gall., art. 2255.

⁴ Imo Gousset cum aliis docet, quod in præscriptione 50 annorum neque successorii universali mala fides antecessoris nocet; quia tunc omnes actiones præscribuntur: unde qui bona titulo universali ab auctore male fidei accepit, eaque per 50 annos bona fide possidet credens esse sua, eorum dominium acquirit in conscientia. Hoc tamen alii negant cum Lugo, Ferraris, Billuart, Lessio, etc.

quia tunc sicuti succedit in onera, ita et in vitia defuncti, cujus personam sustinet (L).

545. Q. 6. *Quandonam præscriptio cessat?*

R. Præscriptio cessat per renuntiationem non solum expressam, sed etiam tacitam, quæ ex aliquo facto deducitur. Ut tamen quis huic beneficio renuntiare possit, requiritur: 1. ut illud jam acquisierit; — 2. ut potestate fruatur alienandi. Imo non obstante renuntiatione, si sint quorum interest, præscriptio adhuc opponi potest; cum hæc sit jus reale: hinc Codex civilis: « Les créanciers, ou toute autre personne, ayant intérêt à ce que la prescription soit acquise, peuvent l'opposer, encore que le débiteur ou le propriétaire y renonce¹. »

DISSERTATIO QUARTA

DE CONTRACTIBUS²

CAPUT PRIMUM

DE CONTRACTIBUS IN GENERE

546. Q. *Quid est contractus, et quomodo dividitur?*

R. Ad 1: Contractus sic dictus, quia duorum vel plurium voluntates in unum veluti trahit, sumitur late vel stricte. Late idem est ac pactum, seu pactio, ac definitur: *Duorum pluriumve in idem placitum consensus*, obligationem videlicet pariens in una saltem parte, uti subintelligunt³. Stricte vero acceptus definitur: *Ultero citroque obligatio*⁴; seu *duorum pluriumve in idem consensus obligationem pariens in utraque*

¹ Cod. civ. Gall., art. 2225.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 707 et seqq.

³ *Digest.*, l. II, t. XIV, *De pactis*, lege 1, § 2.

⁴ *Digest.*, l. I, t. XVI, *De verb. sign.*, l. 19. — Ferraris, *Bibliotheca*, v^{is} Contractus, Factum.

parte. Sæpe tamen hæc duo promiscue usurpantur, uti in Codice civili, ubi contractus definitur: *Conventio, qua unus vel plures erga unum vel plures se obligant ad aliquid dandum aut faciendum aut omittendum*¹. Contractus saltem duos supponit, cum nemo secum contrahere possit: hinc simplex promissio unius, si nondum ab alio acceptata, nullam parit obligationem.

R. Ad 2: Contractus dividitur præcipue:

1. In *nominatum* et in *innominatum*. Contractus nominati sunt qui habent speciale nomen, uti emptio, venditio, locatio: innominati qui carent nomine speciali; sed retinent genericum pacti vel contractus vocabulum. Istorum autem classes sunt quatuor², nempe: 1° *do ut des*, v. g., do tibi frumentum, ut tu des mihi vinum; 2° *do ut facias*, v. g., do tibi frumentum, ut nepotem meum edoceas; 3° *facio ut des*, v. g., servus meus vestimenta tibi poliet vel sarciet, ut des mercedem postea constituendam; 4° *facio ut facias*, v. g., facio pro te iter usque Romam, ut tu amicum meum infirmum cures³.

2. In *purum* et *non purum*. Purus, qui absolute fit: v. g., vendo tibi equum. Non purus, cui adjungitur aliquid, puta aliqua conditio, ut promitto tibi 100 aureos, si lauream consequeris.

3. In *formalem* et *virtualem*. Ille adnexum habet expressum contrahentium consensum: ut si expresse duo contrahant de aliqua re. Iste nonnisi tacitum consensum habet adnexum; seu est contractus in quo implicite suscipitur obligatio justitiæ ex susceptione alicujus munus diligenter obeundi.

¹ C. Ped. 1189. — C. A. 871. — C. G. 1101. — C. S. 1055. — C. P. 1068. — C. M. 114.

² Hanc divisionem a Romana lege inductam adhuc supponunt Codex noster et Codex Gallicus ubi statuitur, contractus proprium habentes nomen subijci regulis tum generalibus tum sibi specialibus; ceteros vero contractus nonnisi regulis specialibus subijci. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 707.

³ Attamen si illud quod datur, pretium est, tunc habetur contractus nominatus, nempe emptionis-venditionis, uti si des Petro vinum, ut tibi pecuniam tribuat.

4. In *bilateralem* et *unilateralem*. Bilateralis¹ est, in quo uterque contrahentium obligatur, ut in venditione; unilateralis, in quo unus tantum obstringitur, ut in donatione. Primus vocatur etiam *oneratus* (*à titre onéreux*); quia onus importat ex parte utriusque. Alter *gratuitus*, *beneficus* seu *lucratus* (*à titre gratuit*); quia vergit in utilitatem unius tantum, quin hic erga alterum ad aliquid obligetur.

5. In *vestitum* et *nudum*. Vestitus est quando fundamentum habet ad pariendam obligationem etiam in foro externo, uti sunt conventiones per instrumentum, per sufficientes testes initæ. Nudus vero est qui tali fundamento caret, ideo in conscientia tantum obligat.

6. In *realem* et *consensualem*: realis est qui in sua specie non perficitur nisi per rei, de qua convenitur, traditionem: uti est pignus, commodatum, mutuum, depositum, etc. Consensualis est qui solo contrahentium consensu rite exhibitio completur, uti est locatio².

547. Contractus considerari potest in genere et in specie. Quædam nempe conveniunt contractibus omnibus et sunt iisdem communia nempe *personæ* quæ contrahunt, *res* in contractum deductæ, *consensus* contrahentium, *forma* contractus ipsius, et inde exurgens *obligatio*. Quædam autem sunt quorundam tantummodo propria et specialia; alia enim conveniunt *contractibus onerosis*, uti est venditio, locatio, emphyteusis, census, pignus, hypotheca; alia *contractibus gratuitis*, ut est mutuum, donatio, promissio, depositum, sequestrium, fidejussio, commodatum, precarium, mandatum; alia tandem *contractibus aleatoriis*, uti est assecuratio, sponsio et ludus.

Contractus hodie sic perficiuntur: alii *solo consensu*, ut fit in locatione et si nihilominus convenitur de scriptura, ista magis ad proba-

¹ Bilateralis dicitur etiam *synallagmaticus*, a græco nempe σύν, una simul; et ἀλλήλων, contrahere. Item bilateralis alius est *commutatorius*, in quo uterque contrahens censetur dare aut accipere aliquid æquivalens et certum, ut in venditione; alter *aleatorius*, si quod datur vel promittitur, ab eventu accidentali pendeat, ut in ludis.

² In *contractum bonæ fidei*, et *stricti juris* solet etiam dividi contractus. Hic bona fides sumitur pro bono et æquo; unde contractus bonæ fidei est qui non ex rigore verborum accipitur, sed ex benigna æquitate et interpretatione: ut venit in deposito, in commodato. Contractus vero stricti juris est, in quo id unum spectandum est, de quo nempe expresse fuit conventum, puta in donatione scripta, in mutuo, etc.

tionem, quam ad constitutionem contractus deserviet: excipe nisi alia sit mens contrahentium; alii *scriptura*, ut in censu; alii *traditione*, ut in donatione, mutuo: atque deposito: qui contractus non nisi ipsa tradita re, perficiuntur (*M*).

Art. I. — Personæ quæ contrahunt, res in contractum deductæ et consensus contrahentium.

548. Q. 1. Quænam personæ contractum inire possunt?

R. Quilibet contractum inire potest, qui sufficiens animi iudicium habet, neque a lege prohibetur; nam ubi nulla lex obstat, facultatibus naturalibus pro libito uti possumus. Porro ratione vel nondum maturi vel non satis expediti consensus, alii sunt quibus fere omnes; alii quibus certi contractus aut in quibusdam casibus prohibentur a civili lege.

Primo: fere omnes contractus prohibentur¹. — 1. *minoribus*, nisi agatur de iis rebus, de quibus liberam habent administrationem²; — 2. *interdictis*, qui nempe ætate maiores vel habituali detinentur imbecillitate, dementia aut furore, licet aliquando potiantur lucidis intervallis, vel prodigi sunt sua bona dilapidantes³; — 3. *uxoribus*, pro quibus ad contrahendum in iis, quæ simplicem rerum domesticarum administrationem excedunt, requiritur consensus mariti verbis vel scriptis. Imo in aliquibus casibus etiam auctoritas tribunalis, ut si agatur de mutuanda pecunia, de distrahendis immobilibus, casu quo uxor sit ætate minor; aut si agatur de iis actibus judicialibus, in quibus viri et uxoris utilitates secum pugnare possint, licet uxor sit ætate major, etc. Uxor

¹ Huc revocantur tum qui amiserunt jura civilia vel eorum usum, quibus plurima interdicta ex lege civili; tum Religiosi qui ob votum paupertatis ex canonica lege nequeunt sine dispensatione legitima acquirere.

² C. Ped. 1211. — C. A. civ. 865. — C. G. 1124. — C. S. 1079. — C. P. 1071. — C. R. 53. — C. H. 19.

³ Porro primi debent, secundi possunt interdici; ipsi autem vel a parentibus, vel ab advocato fiscali est postulandum. Et si causa probetur, illi minoribus æquiparantur ac eis tutor assignatur; si causa non ita probari possit, sed adhuc tamen expedit, illis deputatur consiliarius judicialis. C. Ped. 368 et seqq. — C. A. civ. §§ 260 et seqq. — C. G. 489. — C. S. 412. — C. P. 178. — C. M. 216. — C. H. 21.

tamen sine consensu mariti poterit: 1. se obligare, si mercaturam exerceat in iis quæ ad hanc referuntur; 2. condere testamentum; 3. libere disponere de suis bonis (modo non dotalibus, nec immobilibus), si perpetuo sit a viro per divortium separata⁴.

Secundo: certi contractus, vel in quibusdam casibus prohibentur: — 1. *filiisfamilias*, qui etsi majores, nequeunt absque consensu ascendentis cui subjiciuntur vel iudicis distrahere aut hypothecæ subijcere immobilia, quorum ususfructus aut administratio dicto ascendenti competit⁵, nisi de mercatura sermo sit; — 2. *mulieribus* quæ (nisi mercaturam exerceant) nequeunt se fidejussores in contractu constituere absque auctoritate Tribunalis Præfecturæ; item *conjugibus*, qui matrimonio perdurante, nequeunt secum invicem⁶ absque Præfecti Tribunalis auctoritate contrahere: item

⁴ C. Ped. 150 et seq., et 145. — C. A. civ. § 91. — C. S. 204. — C. M. 55. — C. R. 54. — C. H. lege 20 nov. 1838. — « Toute personne peut contracter, si elle n'est pas déclarée incapable par la loi. Les incapables de contracter sont les mineurs, les interdits, les femmes mariées dans les cas exprimés par la loi, et généralement tous ceux à qui la loi interdit certains contrats. Le mineur, l'interdit et la femme mariée ne peuvent attaquer, pour cause d'incapacité, leurs engagements que dans les cas prévus par la loi. — Les personnes capables de s'engager ne peuvent opposer l'incapacité du mineur, de l'interdit ou de la femme mariée, avec qui elles ont contracté (Cod. civ. Gall., art. 1125). Not. edit.

⁵ Le mineur, même émancipé, ne pourra intenter une action immobilière, ni y défendre, même recevoir et donner décharge d'un capital mobilier, sans l'assistance de son curateur, qui, au dernier cas, surveillera l'emploi du capital reçu. — Il ne pourra faire d'emprunt, sous aucun prétexte, sans une délibération du conseil de famille, homologuée par le tribunal de première instance, après avoir entendu le procureur impérial. — Il ne pourra non plus vendre ni aliéner ses immeubles, ni faire aucun acte autre que ceux de pure administration, sans observer les formes prescrites au mineur (Cod. civ. Gall., art. 482).

⁶ « La femme, même non commune ou séparée de biens, ne peut donner, aliéner, hypothéquer, acquérir, à titre gratuit ou onéreux, sans le concours du mari dans l'acte, ou sans son consentement par écrit. Si le mari refuse d'autoriser sa femme à passer un acte, la femme peut le faire citer directement devant le tribunal de première instance de l'arrondissement du domicile commun, qui peut donner ou refuser son autorisation, après que le mari aura été entendu ou dûment appelé en la chambre du conseil. — Lorsque le mari est frappé d'une condamnation emportant peine afflictive

sponsis, qui societatem specialem absque eadem auctorizatione inire prohibentur¹; — 5. *tutoribus*, quibus non licet contrahere cum suis administratis; item *advocatis et procuratoribus*, quibus pacta interdiciuntur circa res, de quibus agunt patrocinium².

549. *NOTA.* Contractus, ad quos prædictæ personæ inhabiles declantur, non omnes videntur esse ipso facto nulli; nam variæ adsignantur regulæ pro eorum rescissione: quod probat, æquitate naturali servata, valere quoadusque rescindantur. Imo ex lege civili qui cum dictis personis contraxerunt, opponere non possunt talem capacitatis defectum; cum in ipsorum beneficium hæc rescissio inducta non sit³.

550. Q. 2. *Quid requiritur, ut res in contractum deducatur?*

R. Requiritur, ut res sit possibilis, honesta, determinata, pretio æstimabilis, in civili commercio posita, et propria tradentis.

1. *Possibilis*; nam impossibile nulla obligatio; quod si res ex parte tantum sit possibilis, valet contractus pro hac parte (nisi ex natura rei vel mente contrahentis dividi nequeat); quia utile non debet per inutile vitiari; — 2. *honestata*, ut nempe neque legibus neque bonis moribus adversetur: nam quæ legibus, aut bonis moribus adversantur, ea nec nos facere posse, credendum est; — 3. *determinata* saltem in

ou infamante, la femme, même majeure, ne peut, pendant la durée de la peine, ester en jugement, ni contracter qu'après s'être fait autoriser par le juge. — Si le mari est interdit ou absent, le juge peut, en connaissance de cause, autoriser la femme, soit pour ester en jugement, soit pour contracter. — Si le mari est mineur, l'autorisation du juge est nécessaire à la femme, soit pour ester en jugement, soit pour contracter (Cod. civ. Gall., art. 217, etc.). — Dans aucun cas, ni à la faveur d'aucune stipulation, la femme ne peut aliéner ses immeubles sans le consentement spécial de son mari, ou, à son refus, sans être autorisée par la justice. Toute autorisation générale d'aliéner les immeubles donnés à la femme, soit par contrat de mariage, soit depuis, est nulle (*Ibid.*, art. 1538). Not. edit.

¹ C. Ped. 1186, 1602, 1865 et 2054. — C. G. 1096, 1596 et 1581. — C. S. 1078. — C. P. 1072. — C. R. 52. — C. M. 1162. — C. H. loc. cit.

² C. Ped. 1605. — C. G. 1596 et 1597. — C. S. 1441. — C. P. 1402. — C. M. 1482.

³ C. Ped. 1215. — C. A. 865. — C. G. 1125. — C. S. 1079. — C. P. 1801. — C. M. 1165.

specie, secus contractus esset incertus ac illusorius: hinc si non constat, an in contractum deducatur vinum vel frumentum, contractus est nullus. Attamen non officit quod ignoretur quantitas, modo ex adjunctis determinari possit¹; — 4. *pretio æstimabilis*, cum ideo tantum res constituat objectum contractus; — 5. *in civili commercio posita*, secus non esset alienationi apta; — 6. *propria tradentis*; quia quæ nostra non sunt, nequeunt a nobis in obligationem deduci.

551. *An (quæres) res futuræ constituant objectum contractus?* Affirmative: res futuræ constituunt objectum contractus, ut si quis venderet uvas anni advenientis; et sane spes rerum futurarum apud omnes habetur prætio æstimabilis. Excipitur successio hæreditaria personæ viventis circa quam omnis stipulatio, seu pactum habetur nullius roboris: idque merito, ne locum præbeat voto captandæ mortis alienæ².

552. Q. 3. *An et quinam consensus ad contractus valorem necessario requiritur?*

R. Consensus est veluti anima contractus; contractus enim est duorum vel plurium in unum conventio: at nulla conventio sine consensu; consensus namque est concursus duarum voluntatum vel plurium in idem. Qui consensus debet esse:

1. *Internus et verus*. Requiritur nempe, ut contrahens veram habeat voluntatem explicitam vel implicitam sese obligandi³. Hinc in jure: *stipulatio quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est*. Et sane: ideo contrahens dicitur obligari, quia vere et ex animo vult talem in se obligationem suscipere; ergo si talis in eo voluntas desit, contractus nullius roboris est⁴.

¹ C. Ped. 1216. — C. A. 878. — C. G. 1129. — C. S. 1080. — C. P. 1096. — C. M. 1175.

² Les choses futures peuvent être l'objet d'une obligation; on ne peut cependant renoncer à une succession non ouverte, ni faire aucune stipulation sur une pareille succession, même avec le consentement de celui de la succession duquel il s'agit. — V. Cod. civ. Gall., art. 1150.

³ Dixi *explicitam vel implicitam*; quia sufficit, ut quis velit aliquid, cui obligatio ex natura sua inhæreat. Sic qui iudicis officium suscipit, censetur *implicite*, velle se obligare ad justas edendas sententias, quia hæc obligatio officio illi inhæret.

⁴ *Digest.*, l. II, t. XIV, *De pact. V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 709. —

2. *Liber ac plene deliberatus*, ita ut contrahens non solum sit compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quæ ad peccatum grave requiritur. Secus non esset nisi voluntas imperfecta, ac proinde actus imperfectus, qui perfectam obligationem parere non posset: hinc nullus esset contractus initus a perfecte ebrio.

3. *Exterius manifestatus*, talis nempe esse debet, ut consensus unius possit ab alio cognosci et acceptari: est enim actus humani commercii; atqui talis esse non potest, nisi exterius manifestetur.

4. *Mutuus*, quia contractus est conventio saltem duorum: hinc necesse est, ut ambo consentiant, id est ut consensus unius ab altero acceptetur. Attamen non requiritur, ut etiam notificetur ista acceptatio, nam ad contractum perficiendum satis est, quod adsit duorum consensus in idem: porro ille consensus existit statim ac intentio unius fuit alteri intimata et ab isto acceptata. Excipe nisi aliud lex decernat, ut patet de donatione, quæ ex lege civili suum non habet effectum nisi ab illo tempore, quo acceptatio donationis ipsi donanti fuerit expresse notificata¹.

553. *Quid (quæres) si contractui juramentum accedat? Si*

« Non est attendenda, notat Alasia, illorum paucorum doctrina, qui docent ad validitatem contractus sufficere, ut quis consentiat in verba externa, etsi interius nolit contrahere; contractus enim est conventio voluntatis, at conventio voluntatis sine ejus actu et assensu esse non potest: et certe consensus fictus non magis est consensus, quam homo pictus reapse sit homo. Neque inde sequitur omnes contractus dubios esse; nam libere contrahentes interius consentire solent et hoc sufficit ad securitatem. Adde: nemo credere tenetur ei qui affirmat se interius non consensisse. Adde: qui fide consentit, tenetur partem deceptam indemnem facere, et etiam vere consentire, si opus. — Huic questioni alia videtur affinis, *an valeat contractus interno consensu initus, sed sine animo se obligandi?* Alii cum Lessio affirmant, qui enim verè vult contrahere, vult omnia consecraria ejus, ut est obligatio. Alii cum Croix dicunt valere prout prævalet vel non prævalet volitio contractus. Verum qui sic contrahit in probabiliori sententia ab omni obligatione immunis est, uti dicunt Sanchez, Salmanticenses, etc.; apposita enim conditio quæ contractus substantiæ adversatur, contractum ipsum invalidat: uti conditio, quæ adversatur substantiæ matrimonii, ipsum facit invalidum, licet adsit intentio contrahendi. » — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 709 et seqq.

¹ C. Ped. 1127. — C. G. 932. — C. S. 856. — C. P. 1888. — C. M. 1859.

contractus sit jure naturæ irritus, juramento non firmatur: quia juramentum sequitur naturam actus; sed actus invalidus est, ergo et juramentum. Idem communius dicunt cum Billuart, si contractus sit ipso facto irritus de jure positivo; ratio quia lex irritans agit ex motivo boni communis: at repugnat quod hoc motivo constitutum est, jurandi facilitate subverti. Quod extendunt etiam ad contractus rescindibiles, si rescindibilitas inducta sit ob bonum publicum: hinc non valent juramenta uxorum, minorum, etc. ad firmandos contractus, quos ex lege ipsi possunt rescindere; secus mali homines eos de facili ad illa inducerent.

Sed quid si lex civilis ideo invalidet contractus, quia juramento firmati sunt? Alii contendunt id obtinere etiam in conscientia, quia lex civilis lata est ob commune bonum; cum provideat et sanctitati juramenti, ne temere illud usurpetur; et majori contrahentium libertati, ne semper ob juramenti religionem prohibeantur a contractus rescissione. Alii vero docent tales contractus, si aliud non obstat, vim semper habere in conscientia; quia juramentum per se nedum infirmet, imo robur addit.

554. *Quid si contractus vel nullam vel falsam vel illicitam causam determinantem præ se ferat?* Conventio subsistit, si causa non fuit expressa; ea enim semper legitime præsumitur, donec non probet contrarium qui se obligavit. At si causa sit quidem expressa, sed sit nulla, falsa, illicita, tunc invalida conventio; quia deficit in substantiali. Causa autem nulla est quando ratio, ob quam quis se obligavit, non subsistit, ut si donaveris 100 Titio intuitu illius iniri matrimonii, et matrimonium non fuerit initum. Causa vero est falsa, si ea non sit nisi apparens, ut si Titio debeas 100 ex testamento patris tui, et tribuas; sed postea invenias aliud posterius testamentum, in quo a tali solutione liber es. Tandem causa est illicita, si opponatur vel legi civili, uti est obligatio imposita non nubendi; vel bonis moribus, ut si aliquid tribuas judici ideo ut male judicet; vel bono publico, uti esset omnis conventio circa statum personarum, v. g., ut quis habeatur uti legitimus cum non sit, uti major cum adhuc sit minor¹.

¹ C. Ped. 1221. — C. S. 1075. — C. P. 1092. — C. M. 1180. — « L'obli-

555. Q. 4. *Quænam adversantur consensui in contractibus?*

R. Consensui in contractibus adversantur: error, dolus ac metus¹: — 1. *error* est æstimatio unius pro alio; *errare enim*, ex Augustino, *est aliud pro alio putare*²; — 2. *dolus* est astutia, seu calliditas: et duplex distinguitur, bonus et malus. Primus est *solertia in agendo*: de qua habet Apostolus, *cum essem astutus, dolo vos cepi*³; et hoc sensu legitur in jure civili: *Pomponius ait, in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire, nempe intra limites justii pretii. Secundum definiunt esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*⁴ (calliditas porro sita est in tacendo, fallacia in mentiendo, machinatio in faciendo); — 3. *metus* est trepidatio mentis ob malum imminens: duo igitur importat metus, nempe et periculum mali et trepidationem mentis⁵.

An error (quæres), dolus malus, ac metus contractum invalident?

R. Ad 1: Error versatur vel circa contractus substantiam⁶; vel circa ejusdem accidentia; vel circa personam, quacum contrahitur. Si 1, ut si quis, v. g., emat vitrum credens esse gemmam, contractus invalidus est; quia error circa contractus substantiam impedit consensum, cum tollat ipsam substantiæ cognitionem. — Si 2, v. g., si emerim equum decennem putans esse quinquennem, valet in opinione communi et probabiliori contractus, sive accidentia illa dent

gation sans cause, ou sur une fausse cause, ou sur une cause illicite, ne peut avoir aucun effet. — La cause est illicite quand elle est prohibée par les lois, quand elle est contraire aux bonnes mœurs ou à l'ordre public (Cod. civ. Gall., art. 1151-1155).

¹ C. Ped. 1196. — C. A. 869. — C. G. 1109. — C. S. 1062. — C. P. 1069. — C. M. 1148.

² Causa 22, q. 2, c. 6. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 714.

³ II Corinth. xii. — ⁴ *Digest.*, l. IV, t. III, l. 1, § 5.

⁵ De metu vide plura, t. I.

⁶ Illud est habendum ut substantiale, vel cui stricte alligatus est consensus, vel cujus defectus rem facit ad intentum inutilem, aut tollit omne motivum consentiendi.

causam contractui sive non¹. Error enim circa accidentia non tollit consensum circa contractus substantiam, nisi ipsa qualitas in contractum sit expresse deducta; quia tunc transit in rei substantiam². — Si 3, contractus est nullus, quando qualitas personæ fuit principalis contrahendi causa, ut si nummum aureum præcise dare intendas Petro, et dones Paulo: tunc enim error rei substantiam ingrederetur³.

R. Ad 2: Dolus malus ex jure civili invalidat contractum, quando potest evidenter colligi ipsum totam illius causam fuisse, adeo ut una minime contraxisset, si pars altera dolum non fecisset; non enim tunc liber consensus haberetur. Dolus tamen non præsumitur, sed probandus est: quod debita proportione valet etiam de errore et vi, cum actus semper supponatur positus juxta regulas præscriptas. Diximus *si pars altera dolum non fecisset*; si enim dolus a tertio inferatur, hic quidem tenetur de damno, sed contrahens non tenetur consentire rescissioni, modo servet æqualitatem, quia per ipsum non stetit⁴.

R. Ad 3: Quod ad vim sive metum pertinet, si ille sit levis, contractum non invalidat, neque rescindibilem facit; quia talis metus non impedit, quominus in contractum vere et libere consentiatur: hinc ex regula juris, *vani timoris justa excusatio non est*. Si vero metus sit gravis et juste incussus, contractus est validus, quia nulla intercedit injuria. Si injuste, sententia communissima et probabilior cum D. Thoma docet ordinarie loquendo, talem contractum esse quidem validum, sed rescindibilem ex parte illius, qui passus est metum. *Va-*

¹ Nec refert, quod eo remoto, contractus non fuisset initus; nam in contractibus non attenditur quod factum fuisset, sed quod factum fuit. Alioquin non sine maxima societatis perturbatione contractus pauci subsisterent. At tenetur deceptor damna omnia compensare ex ipsa deceptione orta.

² Excipiunt etiam plures contractus gratuitos, quia isti natura sua plenam, voluntariam et omnimodam spontaneitatem requirunt. Sed alii omnino negant, cum adhuc hi contractus sint vere liberi et voluntarii. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 715.

³ C. Ped. 1197. — C. A. 874. — C. G. 1110. — C. S. 1064. — C. P. 1085. — C. M. 1149.

⁴ C. Ped. 1205. — C. A. 874, 1295 et 1524. — C. G. 1116. — C. S. 1070. — C. P. 1291. — C. M. 1155.

lidus, quia non invalidatur neque jure naturæ, cum metus hic non tollat voluntarium simpliciter; neque jure positivo, quia jus civile præcipit iudicibus ut tales contractus rescindant, quod supponit eos esse validos. *Rescindibilis*, ex parte nempe illius qui passus est metum, ratione injuriæ illi irrogatæ¹.

Diximus *ordinarie loquendo*, talem contractum esse validum; quia excipiuntur præcipue sequentes contractus, qui celebrati ex metu gravi injuste incusso sunt prorsus invalidi ex jure Canonico: 1. matrimonium, et probabilius etiam sponsalia; nam connexorum idem debet esse iudicium; 2. professio religiosa; 3. electio Papæ; 4. traditio rerum ecclesiasticarum; 5. jurisdictio ecclesiastica per metum acquisita; 6. absolutio a censuris; 7. renuntiatio Beneficiorum². — Insuper ex civili Codice quoad metum notandum est³: 1. ad illius gravitatem rationem habendam esse ætatis, sexus, etc.; 2. nihil referre sive ille a contrahente sive ab alio incutiatur. Item est si incutiatur ipsi contrahenti, vel ejus uxori aut marito, aut illius ascendentibus vel descendentibus; 3. non dari locum rescissioni, si expresse vel implicite metum passus ratum habuerit contractum, vel labi sinat tempus ad illum impugnandum, quod est regulariter decemium a die illius metus cessationis⁴.

556. *Quid (dices) de metu reverentiali in contractu? Metus tan-*

¹ *Digest.*, l. IV, t. II, lege 21. — Qui tamen metum gravem passus est, potest in conscientia pro suo arbitrio etiam sine auctoritate iudicis contractum rescindere: quod si alter renuat, potest occulte sibi compensare; ita communiter, et ratio est: qui metum injuste incussit, injuriam intulit, unde tenetur istum in priorem statum restituere, et alter jus habet id exigendi. Quod autem hic uti debeat opera iudicis, est tantum modus a lege præstabilitus ad facilius jus suum consequendum, a quo quidem modo sæpe adesse potest causa excusans, v. g., impense, difficultas probandi in foro externo, etc. Quod valet etiam de metu reverentiae, si ei adiciantur verbera aut minæ, aut diuturna indignatio sive torvus aspectus, dura verba, etc., quæ vere mali gravem timorem immittant. — *V. Liguori, Op. Mor.*, l. III, n. 717.

² *V. Liguori, Op. Mor.*, l. VI, n. 844; et l. III, n. 716.

³ *C. Ped.* 1198. — *C. A.* 870. — *C. G.* 1114. — *C. S.* 1065. — *C. P.* 1086. — *C. M.* 1150.

⁴ *C. Ped.* 1395. — *C. G.* 887 et 1504. — *C. S.* 1258. — *C. P.* 1089. — *C. M.* 1365.

tum reverentialis, qui concipitur erga personas reverentia dignas, qualis esse solet, v. g., metus filii erga parentes, subditi erga Principem, uxoris erga maritum, Clerici erga Episcopum, contractum non invalidat ex Codice civili¹. Ceterum pro foro interno merito distinguunt: si subditus operatur ex sola reverentia superiori debita, subsistit contractus. At si hæc ejus reverentia induat timorem alicujus gravis damni imminenti ex inobedientia, v. g., diuturnæ indignationis, potest in conscientia irritari. Quod verius dicendum etiam est de precibus importunis, si minas includant, adeo ut videatur intercedere moralis coactio.

*An (quæres) contractus, si nullus pronuntietur a lege, quando intervenit metus, dolus aut vis, ipso jure nullus sit? Negative: jus enim civile ad hoc semper requirit auctoritatem iudicis: «La convention contractée par erreur, violence ou dol n'est pas nulle de plein droit: elle donne seulement lieu à une action en nullité ou en rescission dans les cas déterminés par la loi²,» etc. Quod si res ista ad tertium possessorem transierit, qui sit etiam in bona fide, poterit adhuc metum injuste passus eam sibi vindicare; quia ex legis adagio: *Res semper transit cum vitio suo*.*

Nota. Etiam læsio, quæ in eo consistit, quod in contractibus onerosis æqualitas non servetur, vitiat aliquando contractum³.

Art. II. — Contractuum forma externa, et illorum effectus.

557. Q. 1. *Quid de externa contractuum forma?*

R. Nomine externæ formæ hic intelliguntur illæ solemnitates, actus seu conditiones, quæ ex legum humanarum præscripto in contractu adhibendæ sunt. Aliæ sunt accidentales, quæ pertinent tantum ad majus complementum, quæque proinde omissæ actum non invalidant: talis est, v. g., conditio conficiendi testamentum charta obsignata. Aliæ vero sunt substantiales, quæ nempe ex legum vi sic pertinent ad substantiam contractus, ut omissæ illam invalident: hinc natum est illud axioma: *Forma dat esse rei, ex forma non servata resultat nullitas actus*. Talis est conditio, ut contra-

¹ *C. Ped.* 1201. — *C. G.* 1114. — *C. S.* 1068. — *C. P.* 1089. — *C. M.* 1155.

² *V. Cod. civ. Gall.*, art. 1417.

³ *V. dicenda art. seq.*

ctus fiat coram tot testibus, coram notario vel alia persona legaliter ad id deputata : et tunc dicitur actus publicus¹.

558. Q. 2. *An contractus initus sine solemnitatibus substantialibus a civili lege tantum præscriptis nullus sit etiam in foro conscientiarum?*

R. Triplex est Theologorum sententia². — *Prima* cum S. Antonino, Molina, Sa, etc., docet contractum nullum in foro civili, quia legali forma destitutum, adhuc obligare in foro conscientiarum; nam lex humana quamvis neget actionem civilem, non tollit tamen obligationem naturalem, ad quam solus consensus sufficit. — *Secunda* cum Lugo, Salmanticensibus et aliis docet nullam e contractu sic inito oriri obligationem; quia leges contractus hujusmodi irritantes fundantur in præsumptione non solum doli, sed etiam periculi. Et ideo potest lex humana funditus tollere obligationem naturalem, quemadmodum Ecclesia nullum declarat et invalidum matrimonium contractum sine Parocho et sine testibus. *Tertia* vero opinio cum Billuart, Cabassutio, Henriquez, Lopez, Sanchez aliisque docet quod dubium est, an lex civilis in hac re etiam conscientiam attingat, vel possit eam attingere ratione publici boni; cum tot maximi nominis auctores hinc inde disputent. At in dubio, semper est præferendus rei possessor, donec per judicis decretum ad restitutionem non condemnentur. Hæc ultima sententia est probabilior et in praxi omnino tenenda; nam cum possessio jus certum tribuat possessori, nequit ipse expoliari, nisi certo constet de jure alterius³ (N).

¹ On doit, dans les conventions, rechercher quelle a été la commune intention des parties contractantes, plutôt que de s'arrêter au sens littéral des termes. — V. Cod. civ. Gall., art. 1156. Not. edit.

² V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 126; et *Op. Mor.*, l. III, nn. 711 et 927.

³ Possessio videlicet jus tribuit insistendi in re possessa, quousque non certo probetur clausulam civilem irritantem bene obtinere etiam in conscientia: quod certo probari non potest, cum in diversa abeant Doctores hac de re. Quod autem teneamur obtemperare judici, si postea judicet ad normam legis civilis, ideo est quia ejus sententia fundatur in periculo generali fraudum; et etiam quia quisque tenetur parere judici præcipienti, semper ac ejus sententia non est evidenter injusta, ob bonum commune pacis, ac ut litibus et jurgii finis imponatur. — V. *De testamentis*, § 1, n. 1.

559. Q. 3. *Quinam est effectus e contractu prosiliens?*

R. Effectus e contractu valido prosiliens est perfecta obligatio, quæ in contractu bilaterali utrumque contrahentem afficit; in contractu unilaterali non afficit, nisi alterutrum¹. Quæ obligatio definitur *juris vinculum, quo ad aliquid adstringimur vel dandum vel faciendum vel omittendum*. Postulat autem ratio, ut præstetur non solum quod in contractu expressum est; sed etiam omnia quæ æquitas, consuetudo patens, ac certa lex cuique conventioni adscribunt².

Ceterum si quid inveniatur obscuri, istæ interpretationis regulæ a civili jure adsignantur: — 1. attendenda est potius communis contrahentium voluntas, quam litteralis verborum sensus: et clausula ambigua in eo sensu potius exponenda, qui effectum producit, quam in eo qui effectum caret: item verba ambigua in sensu contractui magis consono, vel juxta regionis usum sunt accipienda; — 2. contractui semper inesse censentur clausulæ, quæ ex usu exprimi debent: et una per alias explicantur; — 3. verba etsi generalia non complectuntur nisi res, de quibus partes constat voluisse contrahere: et dubio manente, quisque censetur, se minus quam potuit voluisse obligare; — 4. specialis casus in contractu indicatus ad clarius explicandam obligationem, non excludit alios, ad quos obligatio extendi potest.

560. Q. 4. *Quotuplex distinguitur obligatio in contractu?*

R. Triplex distinguitur obligatio in contractu: *mere naturalis*, quæ obligat conscientiam, sed nullam dat actionem in foro externo: ut est obligatio certum debitum solvendi, quod juridice nequit probari. *Mere civilis*, quæ actionem parit in

Quoad matrimonium autem est specialis ratio ob Sacramentum ex dicendis de matrimonio.

¹ Duplex obligatio: *Imperfecta*, quæ solo charitatis titulo fundatur, gratitudinis, aut religionis, quæ proinde non supponit jus strictum: *perfecta*, quæ in justitia commutativa fundatur, et jus strictum inducit, quæque obtinet in contractu. Quod si hoc strictum jus in omni contractu obtinet etiam privatorum, quanto magis in contractibus publicis et solemnibus inter principes initis! — V. *Civiltà Catt.*, ser. IV, vol. VI: la fede dei trattati. — Ferraris, *Bibliotheca*, vº Pactum, art. 3.

² *Cod. civ. Ped.* art. 1247. — C. A. 915. — C. G. 1156. — C. S. 1019. — C. P. 1150. — C. M. 1210.

foro externo ob aliquam facti præsumptionem, quæ cum non subsistat, non obligat conscientiam: ut si quis ex falsis depositionibus damnetur a iudice ad mulctam, et nulla ei suppetat via ad innocentiam probandam. *Mixta*, quæ obligat in utroque foro: et sic generatim se habet obligatio, cum generatim contractus et honestati naturali et legi civili imitantur.

Item conventionalis obligatio solet distingui in simplicem et qualificatam; *simplex* est quæ nullam habet adjunctam conditionem, quæ proinde statim vim exerit suam; *qualificata*, quæ aliquam secum affert conditionem. Qualificata multiplex distinguitur:

1. *Ad diem*, quæ nempe statuit diem executionis, ut si dicas: *Promitto tibi centum scuta sequenti anno solvenda*. Hæc non obligationem ipsam, sed illius tantum executionem suspendit¹. Dies præsumitur appositus in favorem debitoris, nisi aliud constet.

2. *Ad modum*, quo continet aliquod onus, v. g., *do tibi hoc prædium cum obligatione dotandi tot puellas annuatim*. Porro hic contractus statim valet, manente in comparte onere implendi obligationem: quam si compars non impleat, peccat contra justitiam; at non ideo corrumpitur contractus, ut communius dicunt. Nam modus non se habet, uti conditio cui adnectitur consensus; sed tantum ut onus eidem adjectum, quod quidem ex justitia præstandum est, non tamen sub contractus nullitate, nisi contrahens id expresserit.

3. *Alternativa*, quando duæ res (vel etiam plures) obligatæ sunt: sed debitor liberatur alterutram solvendo, ut si ex contractu tenearis dare vel fundum vel domum. Electio est debitoris, nisi aliter conventum sit. Quando una res nequit esse materia contractus vel perierit, puta si illa domus in contractum deducta non sit tua, vel tua quidem sit, sed perierit, v. g., in incendio, res superstes debetur: et creditor eam tenetur acceptare, nec rei perditæ pretium exigere po-

¹ C. Ped. 1276. — C. A. 902. — C. G. 1185. — C. S. 1158. — C. P. 1160. — C. M. 1258.

test, etiamsi culpa debitoris periisset, si tamen electio sit ipsius debitoris⁴.

4. *Solidaria*, est quando vel totum creditum potest exigi a singulis creditoribus, ideoque solutio facta uni creditori liberat debitorem ab aliorum creditorum molestia; vel ad totum debitum solvendum singuli debitores adigi possunt ita, ut solutio facta ab uno debitore ceteros liberet quoad ipsos creditores. Debitor potest solvere cui voluerit ex creditoribus, nisi horum quispiam solutionem postulet apud iudicem. Ceterum solidaria obligatio non præsumitur; unde est in pactum deducenda, nisi jam sit inducta vi legis².

5. *Divisibilis*, vel *indivisibilis*; si nempe coalescat ex aliqua re, quæ dum traditur, aut ex aliquo facto, quod dum executioni mandatur, dividi potest, vel non. *Ex re*: sic qui Titio debet equum, contraxit obligationem indivisibilem, neque enim equus potest dividi; qui vero debet centum libellas, habet obligationem divisibilem. *Ex facto*: sic esset indivisibilis servitus transitus, etsi a multis sit debita, dominus enim ea uti non potest, nisi in sua totalitate³.

6. *Sub clausula pœnali*: est cum quis ad firmandam obligationem se adstringit ad aliquid, si eam non servet: v. g., *si pretium domus intra sex menses non solvam, duo alia addam scuta sex jam statutis*. Invalida obligatio, est invalida pœna; non vicissim. Pœna a iudice moderari potest, si debitor obligationem suam exequi cœperit in parte⁴.

7. *Conditionalis*⁵: conditio est *accidens quoddam, quod contractum suspendit, vel resolvit ad incertum aut futurum eventum*. Suspendit contractum, donec eventus ille eveniat; contractum vero resolvit, casu quo talis eventus contingat

⁴ C. Ped. 1280. — C. A. 906. — C. G. 1189 et seqq. — C. S. 1142. — C. P. 1168. — C. M. 1214.

² C. Ped. 1287. — C. A. 888. — C. G. 1197 et seqq. — C. S. 1150. — C. P. 1174. — C. M. 1250.

³ C. Ped. art. 1507. — C. A. 888. — C. G. 1217 et seqq. — C. S. 1170. — C. P. 1194. — C. M. 1270.

⁴ C. Ped. 1516. — C. A. 909 et 1356. — C. G. 1226. — C. S. 1179. — C. P. 1205. — C. M. 1279.

⁵ C. Ped. 1259. — C. A. 696. — C. G. 1168 et seqq. — C. S. 1121. — C. P. 1159. — C. M. 1219.

vel non contingat. — *Conditio alia est casualis*, quæ scilicet non pendet a voluntate contrahentium, sed respectu eorum est fortuita, v. g., si gratiam a Rege obtinero, tibi dabo 100. *Alia potestativa*, quæ pendet ab eventu, qui est in potestate alterutrius contrahentis, v. g., dabo tibi 100, si lauream consequaris. *Alia mixta*, quæ pendet tum a tertio tum ab una contrahentium parte, v. g., dabo tibi 100, si emerim domum Titii. Item *alia suspensiva*, quæ pendet ab aliquo futuro vel ignoto, v. g., dabo tibi 100, si talis opera suum habuerit complementum. *Alia resolutive*, quæ ubi non impleatur, contractum qui illico effectum suum produxerat, solvit: v. g., tibi vendo domum meam: hæc tamen venditio nulla erit, si non potuero emere domum Titii, de qua tractatum habeo. Tandem *alia est positiva*, *alia negativa*, prout contrahitur in hypothese, quod contingat vel non contingat eventus, v. g., dabo tibi 100, si tamen hoc feceris, aut non feceris.

Porro istæ conditiones vel sunt de re possibili, vel de re impossibili. Si 1, tenent; quilibet enim potest se obligare modo quo vult: imo effectus contractus obligationis incipit ab ipso die, quo fuit verificata conditio¹. Si 2, generatim contractus inchoatus sub conditione impossibili, v. g., si cælum manu tetigero, nulli sunt et invalidi; nam ut fert vulgare adagium, *de re impossibili nulla est obligatio*². Quod etiam valet de conditione turpi contractui apposita, ut do tibi 100, si homicidium perpetraveris; certum est enim ante patrationem peccati nullam esse conventionem et nullam parere obligationem, quoniam justitia nullo modo potest obligare ad illicitum. — Dicimus tamen *generatim*; nam: 1. ex jure Canonico si contractui matrimonii apponatur conditio turpis vel impossibilis, habetur pro non adjecta, nisi sit contra substantiam matrimonii, quia tunc vitiat contractum³; 2. ex

¹ Tamen nota discrimen: *conditio suspensiva* nunquam supponitur, sed ad stipulanda est; non item *resolutive*, quando pars altera deficit in suis obligationibus. Insuper res obligata sub conditione suspensiva stat periculo debitoris, qui se non obligavit ad eam tradendam, nisi casu quo conditio adimpleretur. C. Ped. 1275. — C. A. 1407. — C. G. 1181 et seqq. — C. S. 1154. — C. P. 1140. — C. M. 1252.

² C. Ped. 1265. — C. A. 898. — C. G. 1172. — C. S. 1125. — C. P. 1146. — C. M. 1225.

³ *Decret. Greg.*, l. IV, c. vii, si condit.

jure civili omnes turpes et impossibiles conditiones appositæ in testamentis reputantur pro non adjectis¹; nemo enim præsumitur in morte nugari. Quæ dispositio probabilius valet etiam in foro conscientiæ, nisi constet testatorem revera voluisse suam voluntatem illi conditioni necessario alligare.

561. *Sed quid (quæres) si opus turpe et illicitum pars una præstiterit; debetne altera pars solvere pretium promissum, et solutum poteritne illud ab acceptante in conscientia retineri?* — R. Quoad meretrices certum est eas posse sibi meretricii pretium petere et retinere, dicente S. Thoma: *Cum quis dat meretrici propter fornicationem, mulier potest sibi retinere quod ei datum est; sed si superflue aliquid per fraudem vel dolum extorsisset, teneretur eidem restituere*². Dat enim meretrix usum sui corporis, qui pretio æstimabilis est: unde jus civile ait, *meretricem turpiter facere, quod sit meretrix; non turpiter accipere, cum sit meretrix*³. Et S. Pœnitentiaria sequentem decisionem dedit 25 apr. 1822: *Mulier penitens non cogenda est, sed hortanda ut pretium meretricii, juxta prudentis Confessarii judicium, eroget in usus pios*.

Agendo autem de aliis peccatis, v. g., pro patrato homicidio, pro injusta sententia lata vel propugnata, pro fornicatione, etc., duplex opinio. Prima cum Adriano, Concina, Continuatore Tournely, Gousset et aliis, negat esse obligationem solvendi pretium, quia peccatum non est vendibile: et si esset, non præstaret mala promissa servari. Secunda vero probabilior et communis sententia cum Alasia, Antoine, Billuart, Cajetano, Covarruvia, Croix, Lessio, Lugo, Vasquez, Viva, etc., docet teneri etiam in hoc casu promittentem ad solvendum, et recipientem e contrario non teneri ad restitutionem. Et sane: in quocumque contractu oneroso lex nature dicit, quod cum quis partem suam præstiterit, teneatur et alter implere suam: unde juris regula quod *in malis promissis fidem non expedit observari*, vera est ante patrationem

¹ C. Ped. 821. — C. G. 900. — C. M. 748.

² 2, q. 50, a. 7; et q. 62, a. 5.

³ *Digest.*, l. XII, t. V, *De condit. ob turpem vel injustam caus.*, lege 4, § 5.

criminis; non, posito contractu, et ab uno præstita parte sua¹.

562. Q. 5. *Quomodo sustinetur ac probatur obligatio conventionalis?*

R. In foro civili ad fraudes præcavendas qui petit executionem alienius obligationis a tertio susceptæ, eam probare debet aliquo ex argumentis a lege præscriptis. Sunt autem:

1. *Scriptura publica*, vel *privata* juxta diversitatem contractus. Ad scripturam privatam revocantur etiam libri negotiatorum ac tessera; — 2. *testium depositio*, quæ tamen non admittitur quoad conventionem 150 libellas excedentem, nisi quibusdam in casibus; — 3. *præsumptio*, quæ nihil aliud est quam consecrarium quoddam, quod lex ipsa vel iudex deducit a facto notorio ad ignotum; — 4. *partis confessio*, quæ quidem judicialis est vel extrajudicialis, prout extra vel in ipso iudicio ipsa emittitur; — 5. *juramentum*, et duplex distinguitur: *decisorium*, quod ab una parte alteri defertur, ut inde lis finiatur (deferri autem potest in qualibet specie controversiæ civilis), et *delatum a iudice* vi officii sui, qui tamen non potest illud deferre, si petitio et exceptio² sint vel plene probatæ vel omnimoda probatione destitutæ³.

Diximus in foro civili; qui enim certus est, se valide con-

¹ V. *Examen raisonné*, vol. I. Alii tertiam addunt sententiam, quæ distinguit inter actionem, quæ abstrahendo a peccato vere pretio digna est, ut est subministratio carnis die prohibito, et inter eam quæ hanc abstractionem non patitur: cum peccatum sit ipsa actio substantialis, a qua nullummodo potest separari, ut esset occisio hominis. Pretium tribuunt in primo casu, non in secundo. Nos porro, nulla distinctione facta, id semper tuemur licitum. Neque dicas, actionem peccaminosam nullo pretio dignam esse; nullo quidem pretio est digna *ut talis*; sed digna est, si consideretur *ut temporaliter* laboriosa vel ignominiosa vel periculosa præstanti illam; pretium enim et actio tunc secum una conveniunt saltem in genere rei temporalis. Et quamvis ignominia illa sive periculum nullo pretio compensari possit, et ante pactum nihil compensare tenearis, cum sint res diversi ordinis; posito tamen contractu et præstita ab altero actione peccaminosa, teneris tu promissum solvere, non jam ad compensandum damnum alterius; sed ad implendam obligationem naturalem. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 712.

² *Petitio* dicitur, cum actor ad juramentum provocat reum; *exceptio* vero, cum reus opponit, nec iudex actoris provocationi cedat.

³ Cod. civ. Gall., art. 1315-1368.

traxisse, neque suam adimplevisse obligationem, tenetur in conscientia ad satisfaciendum, etsi legaliter altera pars probare non possit sibi nondum fuisse satisfactum; quæ enim hic requiruntur probationis argumenta, necessaria non sunt ad contractus valide perficiendos, sed ad probandos contractus jam perfectos: uno verbo solemnitates hic præscriptæ non faciunt conventiones, sed probant; si igitur probatio jam aliunde certo habeatur, frustra de ipsa quæstio instituitur. Hinc, v. g., si tu scriptura contractum legitime iniisti, etsi compars id nequeat probare, quia scriptura in incendio perit, adhuc in conscientia illa conventionem ligaris.

563. Q. 6. *Quomodo contracta obligatio solvitur?*

R. Ex Codice civili contracta obligatio solvitur:

1. *Solutione* ipsius debiti, uti patet; impensæ ad hanc occurrentes pertinent ad debitorem⁴. Ad solutionem revocatur *cessio bonorum*, et est cum quis solvendo impar omnia sua cedit creditoribus.

2. *Novatione*: evenit quando nova constituitur obligatio veteri extincta: esset si quod tu mihi debes exempto, paciscamur ut illud ex tunc mutuuum habeas. Novatio non præsumitur, sed probari debet⁵.

3. *Remissione libere facta a creditore*⁶: etiam tacita sufficit; attamen ea non præsumitur ex pignoris tantummodo restitutione. Item *legali compensatione*, et est cum creditor fit ipse debitor erga suum debitorem in eodem genere et quantitate, v. g., 100 tibi debeo provino, et pro 100 pannum tibi vendo⁷. Item *confusione*, nempe debiti et crediti in eadem personam reunionem, uti esset si creditor fiat hæres sui debitoris.

4. *Rei debiti interitu*, si nempe agatur de re certa et de-

⁴ C. Ped. 1338. — C. G. 1248. — C. S. 1188. — C. P. 1212. — C. M. 1289.

⁵ C. Ped. 1364. — C. A. 1375. — C. G. 1271 et seqq. — C. S. 1225. — C. P. 1254. — C. M. 133.

⁶ C. Ped. 1375. — C. A. 1444. — C. G. 1282 et seqq. — C. S. 1236. — C. P. 1264. — C. M. 1543.

⁷ Hæc est legalis seu proprie dicta compensatio; de compensatione enim improprie dicta erit in Tractatu sequenti.

terminata¹, quæ absque culpa debitoris interierit, ut est, v. g., talis equus: tunc cessat obligatio debitoris, si equus ille pereat, nisi ipse se obligaverit etiam ad casus fortuitos. Aliud dicendum si agatur de debito rei incertæ et indeterminatæ; nam genus non perit. Unde si tibi promiserim non unum ex meis equis, sed equum in genere, manet obligatio, etiamsi omnes equi mei perierint, et teneor emere alium equum, quem tibi tradam.

5. *Conditione actum resolvente*, quæ cum verificatur, rem in pristinum statum ita remittit, ac si nulla esset inita conventio. Item valet de *præscriptione*.

6. Tandem *actione nullitatis vel rescissionis*. Nulla declaratur obligatio, si defecerit in substantialibus, ut si interverit dolus, vis, error in re substantiali. Rescinditur autem, si intervenerit læsio; gravis tamen (nisi de minoribus agatur): alioquin vix ullus contractus firmus esset. Unde licet in conscientia semper adsit obligatio corrigendi excessum, ne quis ex alieno locupletetur; attamen si læsio non sit gravis, rescissio in iudicio non admittitur. Ipsa autem nullitatis atque rescissionis actio per decem annos durat, nisi aliter cautum sit².

564. Est insuper quoad læsionem notandum: si agatur de minore non habilitato, ei quoad omnes conventiones rescissio conceditur: nisi vel læsio sit casui fortuito adjudicanda; vel ipse factus major ratum habuerit contractum; vel agatur de illius delicto aut quasi delicto; vel ipse sit negotiator, trapezita aut artifex pro hisce contractibus; vel nisi sermo sit de conventionibus matrimonialibus. Si autem res sit de immobilium alienatione aut hæreditatis divisione, cum observatæ fuerint præscriptæ formulæ, et minores et interdicti quoad hosce actus considerantur, ac si illos iniissent ætate majores et ante interdictionem.

Si vero agatur de majoribus, hi non restituantur in inte-

¹ De cessione, remissione et compensatione erit in Tractatu sequenti.

² Erit gravis læsio sive dimidium justî pretii excedat, et dicitur enormis; sive excedat duas tertias partes aut eas æquet tantum, et dicitur læsio enormissima. C. Ped. 1109. — C. G. 1504. — C. S. 1258. — C. P. 1285. — C. M. 1363.

grum causa læsionis, nisi in casibus expressis. Hoc eveniret in venditione immobilium et hæreditatis acceptatione si læsio sit ultra dimidium; in ipsius vero hæreditatis divisione, si læsio sit ultra quartum¹.

SCHOLIUM. — *De obligationibus, nulla præcedente conventionione.*

565. Aliquæ sunt obligationes, quæ nulla præcedente partium conventionione enascuntur, et vim habent suam vel a lege sola vel a facto hominis: « Certains engagements se forment sans qu'il intervienne aucune convention, ni de la part de celui qui s'oblige, ni de la part de celui envers lequel il est obligé. Les uns résultent de l'autorité seule de la loi, les autres naissent d'un fait personnel à celui qui se trouve obligé. Les premiers sont des engagements formés involontairement, tels que ceux entre propriétaires voisins, ou ceux des tuteurs et des autres administrateurs qui ne peuvent refuser la fonction qui leur est déférée. Les engagements qui naissent d'un fait personnel à celui qui se trouve obligé résultent ou des quasi-contracts, ou des délits ou quasi-délits². » Ita Codex civilis.

566. Q. 1. *Quid est quasi-contractus?*

R. Quasi-contractus ad sensum jurisperitorum definitur: *Factum hominis voluntarium, ex quo enascitur aliqua obligatio erga tertium, aut etiam mutua partium inter se obligatio*. Duæ sunt illius species:

1. *Negotiorum gestio*, et evenit quando quis alterius negotium suscipit, sive in seio sive sciente proprietario³: qui tenetur negotium prosequi ut bonus paterfamilias, et subire

¹ C. Ped. 1109, 1679, 1595 et seqq. — C. G. 887, 1674 et 1504. — C. S. 807, 1520 et 1258. — C. P. 1042, 1490 et 1287. — C. M. 1118, 1564 et 1576.

² C. Ped. 1488 et seqq. — C. G. 1570 et seqq. — C. S. 1324. — C. P. 2073. — C. M. 1381.

³ *Ibid.* — Exemple: Paul est absent de ses propriétés; le moment de la vendange est arrivé. Pierre, un de ses amis, qui est sur les lieux, fait couper les raisins; il contracte ainsi l'engagement tacite de les faire presser, d'apporter les soins nécessaires à la fabrication du vin et de le mettre en sûreté quand il sera fait. — Gousset, *Théol. morale*, n. 919.

omnes negotii consequentias. At ipse proprietarius debet implere obligationes ab illo contractas, et eum indemnem facere; — 2. *solutio rei sibi indebitæ*, idque contingit quando quis aliquid non suum accipit. Hic tenetur rem domino restituere, cum clamet ad illum; quod si sit in mala fide, debet etiam fructus reddere licet consumptos, et tenetur etiam de deterioratione et casu fortuito. Si sit in bona fide, non tenetur, nisi ad id in quo factus est ditior, si rem distraxit; ad nihil vero, si res ex toto perierit etiam ejus culpa: nam qui *quasi suam rem neglexit, nulli querelæ subjectus est*¹.

Diximus *ad sensum jurisperitorum*: juxta Theologos enim quasi-contractus solet communiter definiri: *Assumptio alicujus officii*, ut sic omnia omnino comprehendantur munera, quæ quis quoquo modo suscipit, qualia sunt iudicis, tutoris, advocati, parochi, famuli, opificis, etc., in quibus tacita censetur existere conventio inter eos, qui hæc exercent, et eos qui opus illorum requirant.

567. Q. 2. *Quid delictum et quasi-delictum?*

R. Factum hominis voluntarium et culpabile, ex quo alter damnificatur, si cum directa damnificandi intentione ponatur, erit *delictum*. Si vero ponatur quidem cum culpa, sed absque directa nocendi intentione, ut si adsit peccaminosa ignorantia vel inadvertentia, habetur *quasi-delictum*². Damna, quæ ex hisce factis eveniunt, resarcienda sunt; qui enim est in culpa, tenetur de damnis.

Qua obligatione quisque tenetur ex facto tum *personarum*, quæ sunt suæ custodiæ, uti est filius respectu patris, discipulus respectu magistri; tum *animalium*, quæ proprio servitio sunt, uti si alicui noceant; tum *rerum*, quibus nostrum est providere, ut si tuum ædificium ruens, quia illud instaurare culpabiliter neglexisti, damnum intulerit³.

¹ Lib. II, de pet. hæred.

² C. Ped. 1500. — C. G. 1582 et seqq. — C. S. 1356. — C. P. 2083. — C. M. 1595.

³ Sed fusius de restitut.

CAPUT SECUNDUM

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE

Art. I. — De emptione et venditione¹.

568. Q. *Undenam emptio-venditio dicitur et quomodo definitur?*

R. Res primum inter homines permutabantur; sed magna, quæ passim occurbat difficultas permutationis, in causa fuit cur nummus inventus fuerit, qui res omnes repræsenteret. Inde orta *emptio-venditio*, quæ solet definiri: *Contractus quo merx determinata datur vel danda convenitur pro pretio determinato*. Ex Codice autem civili est *conventio, qua quis se obligat ad rem aliquam tradendam, alter vero ad ejus pretium solvendum*.

Ad validitatem contractus venditionis et emptionis olim requirebatur etiam traditio rei ex parte venditoris, et traditio pretii ex parte emptoris ex veteri illo axiomate: *Traditionibus, non nudis pactis, dominia rerum transferuntur*. Verum hodie ex civili lege emptio-venditio perficitur, etsi desit illa traditio: « La vente est parfaite entre les parties, et la propriété est acquise de droit à l'acheteur à l'égard du vendeur, dès qu'on est convenu de la chose et du prix, quoique la chose n'ait pas encore été livrée ni le prix payé². » Quibus verbis indicantur substantialia contractus, quæ sunt consensus, legales solemnitates, merx determinata ac determinatum pretium.

§ I. — De consensu.

569. Q. 1. *An consensus in venditione sit de necessitate?*

R. Cum tota vis obligationis in contractu a voluntate profi-

¹ F. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 795; et *Homo Apost.*, tract. X, n. 165. — Ferraris, *vº Contractus emptionis*.

² C. Ped. 1589 et 1595. — C. A. civ., §§ 996 et 1055. — C. G. 1582 et seqq. — C. S. 1427. — C. P. 1587. — C. M. 1467 et seqq.

ciscatur, patet necessitas consensus ad venditionis valorem. Unde si quando quis ad rem suam alienandam cogitur causa publicæ utilitatis, adhuc supponitur consensus, rationabilis videlicet; nam quisque tenetur pro viribus publico bono concurrere, uti etiam præscribit lex¹. Expensæ autem necessariæ pro scriptura, et ceteris actibus ad hunc contractum ineundum nisi aliter conventum sit, pertinent ad emptorem; sane emptoris interesse debet habere documenta suæ acquisitionis².

570. *Quid (quæres) si non sit facta venditio, sed tantummodo data promissio vendendi?* Si promissio venditionis facta est absque arrhæ traditione, æquiparatur ipsi venditioni, ubi tam de re quam de pretio adsit reciprocos consensus; et eidem subjacet formæ extrinsecæ, cui subicitur ipsa venditio: unde si promissio venditionis respiciat immobilia, fieri debet actu publico. — Si vero promissio venditionis est cum arrhæ traditione, quælibet pars poterit resilire a contractu etiam in conscientia tum ex consuetudine vigenti, tum ex jure dummodo quæ dedit arrham, si resiliat, eam amittat; si autem resiliat quæ arrham recepit, eandem restituat in duplum³.

571. Q. 2. *Quinam possunt inire contractum emptionis-venditionis?*

R. Possunt ii omnes inire contractum emptionis-venditionis, qui non vetantur a lege neque generatim, neque speciatim. Generatim ii vetantur qui a lege habentur incapaces et inhabiles ad contractum in genere.

Vetantur vero speciatim in hoc contractu: — 1. ex parte venditorum, qui bonis suis cesserunt (vulgo *les faillits*): isti a judicii die, quo declarata est cessio, amittunt pleno jure administrationem bonorum, ideoque ea valide vendere nequeunt. Hoc tamen respicit tantum commercium exercentes; quoad alios irritæ tantum possunt declarari venditiones, si

¹ C. Ped., art. 441. — C. A. 565. — C. G. 545. — C. S. 470. — C. P. 408. — C. M. 458.

² C. Ped. 1600. — C. G. 1595. — C. S. 1438. — C. P. 1599. — C. M. 1479.

³ C. Ped. 1595. — C. A. 956 et 908. — C. G. 1590. — C. S. 1455. — C. P. 1395. — C. M. 1474.

fraudentæ probentur⁴; — 2. ex parte emptorum vetantur tutores, curatores, ascendens emancipator emere bona minoris emancipati. Item administratores communitatum, officiales publici, magistratus, judices, janitores, notarii, advocati, et procuratores ab illis emere, quibuscum actionem vel relationem habent, sub pœna nullitatis⁵; — 3. ex parte venditoris simul et emptoris prohibentur conjuges contrahere inter se, paucis exceptis. Quod statutum est ad præcavendum, ne conjuges eludere possint legis dispositionem, qua prohibentur sibi invicem donare, nisi per testamentum et juxta præscriptam formam⁶.

§ II. — De merce.

572. Tres sunt præcipuæ venditoris obligationes in mercis suæ venditione: 1^a ut nitide exponat quod intendit; pactum enim obscurum contra ipsum explicatur; 2^a ut rem tradat tempore ac loco convento, et in eo statu, quo res se habuit in ipsa venditione una cum omnibus suis accessionibus; nam statim emptoris facta fuit; — 3^a ut emptorem servet indemnem (vulgo *garantir*), tum ab evictione, si nempe a tertio res ipsa vendita vindicetur; tum a servitutibus, si iisdem deberet subijci; tum a vitiiis occultis, si inde illius valor notabiliter minuatur: id enim vel ipsa ratio postulat, ut æqualitas servetur⁷.

573. Q. 1. *Quænam res cadunt sub emptione et venditione?*

R. Cadere possunt sub emptione et venditione res omnes, quæ sunt in humano commercio, nisi lex vetet. Sic vetatur:

1. Emptio-venditio rei alienæ, quæ ipso jure nulla est,

⁴ C. Ped. 1258. — C. G. 1594 et seqq.

⁵ C. Ped. 1695 et seqq. — C. G. 1594 et seqq. — C. S. 1459. — C. P. 1400. — C. M. 1490.

⁶ C. Ped. 727, 149 et 1186. — C. G. 1595.

⁷ Evictio est *deturbatio juridica emptoris à possessione rei, quam emit*: v. g. Titius vendit vineam Caio: Sempronius probat vineam esse suam; et ideo iudex decernit illam esse Sempronio reddendam, cum res clamet ad dominum. Quando autem ex jure vitia dant facultatem rescindendi venditionem, ea dicuntur tribuere actionem redhibitoriam: *Redhibere est facere, ut rursus habeat venditor quoad habuerat, et quia reddendo id ferebat, ideo redhibitio est appellata quasi redditio*: ita l. XXI, ff. de ædit. — C. Ped., art. 1609. — C. A. 922. — C. G. 1602. — C. S. 1448. — C. P. 1417. — C. M. 1496.

etiãsi facta sit bona fide. Quod si facta mala fide a venditore, tunc emptor bonæ fidei potest ab illo repetere non solum pretium solutum, sed etiam damnorum compensationem atque usuras.

2. Emptio-venditio jurium successionis alicujus personæ adhuc viventis, etiãsi ista consentiat. Item alienatio bonorum dotialium, perdurante matrimonio, si nonnulli casus excipiantur.

3. Emptio-venditio rei, quæ jam perierit: si pars tantum perierit, in arbitrium erit emptoris vel resilire a contractu, vel sibi expostulare partem superstitem, æstimato ejusdem pretio¹.

4. Emptio-venditio rerum, quæ noxiæ esse possunt, unde illicita est per se loquendo venditio rei, qua emptor prævideatur certe abusurus; nam lex charitatis est, ut nemini occasio præbeatur peccandi. Hinc in Codice pœnali sub pœna vel mulctæ, vel carceris, vel reclusionis juxta circumstantias prohibetur venena conficere, retinere aut vendere iis, quibus a lege permissum non est².

Diximus: 1. *illicita est*: valide enim vendi potest, cum etiam res nociva ratione substantiæ sit pretio æstimabilis; 2. *per se loquendo*: juxta enim extante causa, etiam licite venditur; nam ex una parte hæc traditio est tantum occasio, ex altera cooperatio materialis non est prohibita, si gravis ac legitima causa sit; 3. *certo abusurus*: in dubio enim nemo præsumitur velle rebus male uti, secus nulla ferme res vendi posset; cum nulla sit, qua homo non possit abuti. Ceterum si res non tantum sint indifferentes ad bonum et malum, ut arma, chartæ lusoriæ; sed ex natura sua vel forma ita ad prævum usum sint determinatæ, ut nunquam aut fere nunquam ad bonum adhibeantur, v. g., libri obsceni, libelli famosi, idola, tunc moraliter constare debet de bono usu ut vendi licite possint, habita ratione qualitatis emptoris (O).

574. Q. 2. *An mercis venditio debeat fieri in pondere, numero et mensura, ut perfecta sit?*

¹ C. Ped. 1220 et 1706 et seqq. — C. G. 1601. — C. S. 1084 et 1445. — C. P. 1102 et 1410. — C. M. 1179 et 1484.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 795.

R. Si venditio habeat pro objecto res, quæ juxta pondus, numerum aut mensuram venduntur, non est perfecta, quin pondere, numero vel mensura reipsa quantitas determinata fuerit: hinc si quis vendat alicui totum frumentum, quod habet in arca, decem libellis pro singulo modio, usquedum mensuratum non sit, venditio perfecta non est; et si perit, stat periculo venditoris.

Si vero rei venditio fiat in corpore (vulgo *en bloc*), quod evenit quando merx pro uno ac certo pretio venditur, quin ponderis, numeri aut mensuræ ratio habeatur, ut si quis 100 libellis vendat totum frumentum quod habet in arca, tunc venditio ab ipsa conventionione statim perficitur, et ideo ex tunc in conscientia stat periculo emptoris. Attamen si vendantur res, quæ antequam emantur, soleant prælibari, ut sunt vinum, oleum, etc., venditio non est perfecta, quoad usque res gustatæ et approbatæ non sint: quod valet etiam casu, quo aliqua alia res sit vendita sub pacto præviæ degustationis¹.

575. Q. 3. *Quid si res una duobus sit vendita?*

R. Si res duobus vendita neutro sit tradita, ei tradi debet, qui prius emit; nam qui *prior est tempore, potior est jure*. Alteri tamen remanet actio contra venditorem ratione damni, quod sibi venit.

Si vero res duobus vendita, jam est uni tradita, en Codicis civilis verba: « Si la chose que, par actes successifs, on s'est obligé de donner ou de livrer à deux personnes, est purement mobilière (id est ex natura sua, non ex destinatione legis), celle des deux qui en a été mise en possession réelle est préférée et en demeure propriétaire, encore que son titre soit postérieur en date, pourvu toutefois que la possession soit de bonne foi². » Ubi vides quoad hæc mobilia aliquam fieri exceptionem (casu, quo ea sint a tertio revindicanda) a regula generali, qua statuitur contractum venditionis perfectum esse solo partium consensu sine ipsius rei translatione.

¹ C. Ped. 1591. — C. G. 1585. — C. S. 1465. — C. P. 1455. — C. M. 1511.

² C. Ped. 1252. — C. A. 450. — C. G. 1141. — C. S. 1095. — C. P. 1114. — C. M. 1191

576. Q. 4. *Quid de vitio, quod contingit in merce?*

R. Vitium in merce vel est circa substantiam, ut si vendatur stannum pro argento, vitrum pro gemma, et eo in casu venditio nulla est, etsi fiat ex ignorantia et sine malitia; cum tota deficiat contractus materia. Vel est circa quantitatem, ut si dentur quinque pro octo: vel circa qualitatem, ut si vendatur vinum aqua commixtum pro vino puro, et tunc venditio valida est, modo tale vitium non impediat, quominus adhuc res emptori sit conveniens, et de pretio subtrahatur quantum oportet: quod quidem merito statutum est; secus vix ulla negotiatio subsisteret¹. *Cum aliqui sophisticant*, ait S. Antoninus, *ea quæ vendunt, ut se servant indemnes et cum aliquo lucro congruo, quia si venderent puras res, emptores non vellent dare justum pretium, quia alii vendunt alia sic mixta minori pretio, videntur posse excusari, dummodo non fiant mixturæ quæ noceant corporibus in his quæ venduntur in cibum et potum et præcipue in medicinalibus*. Attamen ex jure civili emptor potest vel rescindere contractum vel petere compensationem, si vitium tale sit, ut eo cognito, non contraxisset. Venditor vero si vitia non ignora-

¹ Hinc patet eos ad restitutionem teneri, qui guttam hydrargyri in aures equi infundant, ut generosus appareat. Qui in sacci summitate melius triticum, in dolii extremitate majores pisces reponunt, ut sic emptores decipiant. Qui angulum et tenebras querunt, ne mercium suarum detegatur vitium. Qui lanam aut avenam aspergunt aqua, ut majoris sit ponderis. Qui pannum adustum pro bono, domum ruinosam pro firma vendunt, etc. — E contrario qui vinum minus exquisitum eis præbent, qui vinum magis exquisitum vellent, contra justitiam non peccant, si illis non noceat, nec inutile sit ad finem, propter quem illud querunt, modo pretium sufficienter imminuant; secus si vinum istud ad medicinam peteretur, vel ut diu conservaretur. Qui vino aquam miscent, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur, si vinum aqua sic admixtum emptori noceat, vel notabiliter illi minus sit utile: aut quamvis non minus utile, si pretium non minuant; non licet enim aquam pro vino vendere. Denique peccant contra charitatem, et etiam contra justitiam, si efficiant, ut emptor nimio pretio gravatus alios gravet, et deceptus alios decipiat. Fieri potest, ut res vitiatâ minoris sit valoris respectu quorundam hominum; non vero respectu aliorum; tunc his secundum totum valorem vendi potest absque revelatione vitii. Sic bos, qui propter aliquem defectum ad arandum est inhabilis, vendi potest, sine revelatione vitii et absque imminutione pretii, lanio aut mercatori, qui ad lanium eum præparabit.

verit, tenetur de damnis: imo eidem in illo casu pœna constituta est tum carceris, tum mulctæ pecuniariæ⁴.

577. *Teneturne (inquires) venditor rei venditæ vitium aperire?*

R. 1. Si vitium sit circa substantiam, utique tenetur venditor in conscientia illud aperire; cum tunc afficiat ipsam venditionis naturam: item est, si vitium sit circa quantitatem; esset enim damnosa deceptio. Si tamen ob injustam taxam vel injustum monopolium quis non possit consequi justum pretium dando totam quantitatem, tunc non est improbabile, uti dicunt Lugo, Lessius, Palaus, Salas, Salmanticenses et Sporer, vendentem posse uti mensura tantum manca quantum ad pretium justum consequendum sufficiat; hoc enim est vexationem redimere: videlicet est injustam pretii diminutionem sibi juste compensare, detrahendo tantundem de mensura⁵.

R. 2. Si vitium sit circa qualitatem, distinguendum est: vel vitium illud patens est et manifestum; vel occultum et latens. — Si vitium illud est patens et manifestum, venditor non tenetur vitium aperire ex communi sententia; tunc enim emptor illud sibi imputet: neque venditor tenetur manifestare quod omnibus manifestum est; consonat ipsa lex civilis⁵. Sed excipe in foro saltem interno: 1. si venditori constet de emptoris ignorantia, si v. g. esset puer, vel fœmina rerum prorsus ignara; tunc enim tenetur in conscientia vitium aperire vel damnum compensare; 2. si qualitas transierit in substantiam, uti si emptor expresse declaret, se velle rem talis qualitatis, et non talis, vinum, v. g., vetus, non recens.

Si vero vitium circa qualitatem est occultum et latens, tunc tenetur venditor vitium aperire casu, quo illud ita noxium emptori futurum esset, ut usus rei non amplius sit ei conveniens; alioquin illum deciperet, et injustitiam patraret. At si

⁴ C. Ped. 1648. — C. A. 922. — C. G. 1642 et seqq. — C. S. 1488. — C. P. 1458. — C. M. 1555.

² V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 186.

⁵ C. G., art. 1642.

vitium non ita noxium futurum est, tunc si rogetur ab emptore de illo vitio occulto in specie, v. g., de aetate equi vendendi, tenetur utique responsum dare pro veritate rei; tum quia mendacium semper est illicitum; tum quia emptor jus habet, ut sibi de quaesita rei qualitate recte respondeatur. Verum si non rogetur ab emptore, non tenetur vitium illud aperire, alioquin fere nulli fierent contractus; oportet tamen ut venditor tantum subtrahat quantum oportet de pretio, ut loquitur Angelicus¹.

578. *Quid (dices) si venditor protestetur, se nolle rationem dare de quocumque rei suae defectu?* Videtur tunc ad nihil teneri venditorem; quia per hujusmodi protestationem emptori factam videtur omnem a se labem injustitiae repellere; et emptor satis apparet admonitus ut sibi consulat. Hinc merito Tamburini approbat consuetudinem, quae alicubi viget praesertim in nundinis magnis, ita vendendi (ad saccum ossium fractorum, uti aiunt) animalia, etiamsi vitia sint occultissima; ad tollendas enim lites, ad bonum commune promovendum hoc satis cohonestatur a consuetudine: dummodo (quod caute praeculis habendum) res ultra pretium justum saltem supremum non vendatur, habita ratione illius vitii occulti. Haec conventio probatur etiam a Codice civili, quoad ea tamen vitia, quae ignota fuerunt ipsi venditori².

579. Q. 5. *Cuinam perit res vendita ante illius traditionem?*

R. Statim ac venditio perfecta est, etsi nondum res tradita emptori, ea emptori perit: sane res perit domino suo. Excipe: nisi aliter conventum sit; nam contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur: vel si venditor sit in mora culpabili; nam mora sua cuilibet est nociva³. Potest autem venditor mercem retinere, donec sibi fuerit solutum pretium, si non concesserit moram ad solvendum: nam tuetur suam indemnitate. Imo licet moram concesserit, ex civili lege adhuc potest rem retinere, si emptor evaserit oberatus aut decoctus, et pretium periclitetur, nisi cautio tribuatur⁴.

¹ 2, 2, q. 77, a. 2. — ² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 825.

³ C. Ped. 1591 et seqq. — C. G. 1585. — C. S. 1465. — C. P. 1435. — C. M. 1511.

⁴ C. Ped. 1619 et 1620. — C. A. civ. §§ 1052 et 1062. — C. G. 1612. — C. S. 1458. — C. P. 1426. — C. M. 1505.

580. *Cuinam (quaeres) fructus faciat res vendita, sed nondum praestita cautione pro pretio suo tempore solvendo, vel nondum secuta rei traditione?* — Cum defectus cautionis vel realis traditionis non impediatur, quominus perfectus sit venditionis contractus, hinc tenemus rem fructiferam emptori fructus facere, cujus quoque periculo ipsa perit; res enim quaelibet suo domino fructificat, nisi extet contraria conventio. Haec responsio congruit cum jure civili¹, quod nulla facta distinctione, utrum res tradita vel non tradita fuerit, praestita vel non praestita cautio, solutum vel non solutum pretium, idipsum absolute decernit a die venditionis. « La chose doit être livrée dans l'état où elle se trouve au moment de la vente. Depuis ce jour tous les fruits appartiennent à l'acquéreur². »

Diximus nisi extet contraria conventio; quia commune est et probabilius, quod venditor juste potest dominium directum transferre in emptorem et reservare sibi dominium utile, ut fructus percipere valeat quoad pretium sibi solvatur, ut docent Bonacina, Fillucius, Molina, Sanchez, aliique; nam tunc non exigit fructus ratione dilatae solutionis, sed ratione ipsius venditionis hoc pacto initae.

§ III. — De pretio.

581. Tres sunt praecipuae emptoris obligationes in pretio solvendo: — 1^o est ut pretium solvat eo loco ac tempore, quo res est ipsi tradenda, nisi aliud pactum sit; vel nisi a possessione rei molestari timeat, et venditor cautionem non praestiterit; — 2^o ut solvat pretii usuram, si haec fuerit conventio, vel si res vendita et tradita fructus producat, vel si pretii solutio jam indicta sit; — 3^o ut solvat etiam omnes venditionis expensas, nisi aliter conventum sit³.

582. Q. 1. *Quid est pretium justum et quotuplex?*

¹ C. Ped. 1621. — C. A. civ. § 1050. — C. G. 1614. — C. S. 1460. — C. P. 1428. — C. M. 1517. — V. Liguori, *Op. Mor.*, n. 798.

² Cod. civ. Gall., art. 1550.

³ V. Pavone, *Spicilegio*, §§ 1, ecc., ubi plurima ad praxim resolvit. — Cod. civ. Ped. 1657. — C. A. 1052 et 1062. — C. G. 1650. — C. S. 1496. — C. P. 1467. — C. M. 1554.

R. Pretium justum dicitur quod rei venalis valorem adæquat : est aliud legitimum vel legale, quod taxatur a lege vel a Magistratu : aliud vulgare seu naturale, quod spectatis circumstantiis, peritorum judicio determinatur. *Legitimum* situm est in indivisibili, ita ut non liceat plus accipere, quam per legem fuerit statutum, et restitutionis urgeat obligatio, si quid ultra pretium illud exigatur : talis est venditio salis¹. *Vulgare* vero patitur latitudinem, cum communiter in unum peritorum judicium convenire non solet. Triplex iccirco distinguitur : *Summum*, supra quod a prudentibus æstimari non solet; *infimum*, infra quod intelligentes non solent judicare; *medium* stat inter summum et infimum. Hæc autem regula communiter adsignari solet in determinatione pretii vulgaris : ut res vilior minorem, pretiosior vero majorem habeat latitudinem. Unde vinum, v. g., quod valet 5, potest vendi 6, vel 4; res autem pretiosa, quæ valet 100, potest vendi 95 vel 105. Imo si res rarius solet comparari, admittit latitudinem maximam : v. g., domus, quæ elapso anno vendita fuit 1500, hoc anno vendi potest 2500².

583. Est contra justitiam rem vendere supra pretium legitimum, vel vulgare summum, nisi speciales interveniant circumstantiæ id honestantes. Ratio quia si pretium excedat valorem rei, vel e converso si res excedat pretium a lege aut a prudentibus hic et nunc præfixum, tollitur profecto justitiæ æqualitas. Hinc Apostolus : *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus*³. Hinc quamvis in foro externo non invalidetur venditio, nisi deceptio sit ultra dimidium justipretii; in foro tamen interno etiam deceptio infra dimidium obligat ad restitutionem; injustitia enim tam in parvis quam in magnis locum habet.

584. *Sed quid (dices) si venditio supra pretium legitimum*

¹ Excipe 1. si a majori parte non servetur, Principe sciente et tacente; 2. si mutatis circumstantiis, taxa evadat injusta; 3. si merces sint notabiliter pretiosiores solito vel deteriores. *Cury.*

² Pretium non tam æstimatur secundum rei dignitatem, quam secundum illius usum in commercio; alioquin musca, quæ est animal sensibile, majoris esset pretii, quam gemma, quæ est inanimata. — ³I Thess. iv, 6.

vel vulgare bona fide contigerit. Vel si utrique contrahentes valorem rei prorsus ignorent; et ideo sese mutuo commiserint sorti in contrahendo?

In primo casu, si hoc contigerit bona fide, decipiens tenetur id saltem restituere, in quo factus est ditior, id est in quo suis ideo pepercit, ne ditiescat de alienis. In secundo autem casu, nempe si mutuo consenserint contrahentes expresse se sorti committentes, utpote de verò valore dubitantes, valet contractus, etsi postea detegatur deceptio; quia censetur uterque sibi invicem voluisse excessum concedere. Item si venditor infimo pretio vendat rem suam, verum ejusdem valorum ignorans, licet eandem emere; quia contractus iste est vera venditio: nam ex una parte emptor juste emit solvendo infimum pretium, quod adhuc justum est; ex alia autem non videmus in eo obligationem monendi venditorem de ignorato valore, cum nullo modo eum positive decipiat, aut cogat ad vendendum.

585. Q. 2. *Quandonam licite potest pretium ordinarium seu vulgare augeri, sine læsione justitiæ?*

R. Pretium vulgare augeri potest, seu venditor sine justitiæ læsione potest quid amplius exigere :

1. Ratione damni emergentis vel lucri cessantis, quod ideo ipsi evenit (modo tamen emptor admoneatur, ut possit, si velit, rem illam sibi diversimode comparare); nulla enim ratione tenetur incommodum illud in re sua venditor sustinere. Aliunde alter acceptando contractum, satis consentit: et valet, etsi res sit a Principe taxata; nam taxa respicit rem tantum secundum se.

2. Ratione singularis bonitatis aut raritatis mercium: quæ quidem etsi probabilius vendi nequeant quanti plurimi, utique tamen aliquo pretio majori; cum raritas ac bonitas peculiaris augeant communem æstimationem¹. Item ratione penuriae seu caritatis mercium et pluralitatis emptorum; quia tunc plures solent merces communiter æstimari.

3. Ratione specialis molestiæ obventuræ ipsi venditori ob

¹ V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. X, n. 174; et *Op. Mor.*, l. III, nn. 808, etc.

peculiarem affectum erga rem suam, ut tradunt communiter ac verius; quia privatio rei, erga quam dominus est specialiter affectus, v. g., si eam accepisset a Principe vel a maioribus suis, pretio aestimabilis est¹. Diximus *ipsi venditori*; si enim iste affectus sit tantum in emptore, rem illam ideo carioris vendere non licet, ut docent communiter cum Angelico: nemo videlicet vendere potest quod suum non est; atqui in hypothesi affectio illa peculiaris est in emptore, non in venditore: ergo iste non potest eam vendere².

4. Ratione modi, quo merces venduntur, si pretium non sit taxatum. Sic qui res minutim et in parva quantitate vendunt, ideo possunt aliquando carioris vendere; quia majores debent labores et expensas effundere ad merces eas conservandas. Sic excusant caupones et stabularios, qui fœnum, avenam, paleas carioris vendunt, quam alii.

5. Ratione temporis, quo pretium tradendum est: sic certum est rem posse carioris vendi, si pretium tradendum sit tempore, quo res ipsa pluris est valitura, modo a venditore ad illud usque tempus servanda fuisset: alioquin damnum emerget venditori.

6. Ratione periculi in pretio exigendo. Hoc satis communiter ac probabiliter defendunt plures³; nam tali periculo se exponere, si revera adest, est pretio aestimabile: sane quod in periculo est, minoris aestimatur a prudentibus. Cum porro tale onus, scilicet mercem suam periculo exponendi in se suscipiat venditor, jus habet, ut aliquid de pretio sibi augetur.

An (quæres) *pretium vulgare possit etiam minui sine injustitia*? R. Pretium vulgare potest minui, seu emptor potest

¹ Neque dicas, affectum hujusmodi non ferre emptori peculiare commodum; si hoc valeret, neque ob damnum emergens et lucrum cessans posses res pluris vendi; nihil enim utilitatis emptori venit ex venditoris damno emergenti et lucro cessante. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 806.

² 2, 2, q. 77, a. 1. — Sunt tamen plures moderni, qui etiam hoc secundum licere affirmant; ex eo quod venditor emptori illud commodum procuret, et consequenter justum sit, ut idem cum ipso dividat pretium rei adaugendo. Ita nunc in praxi admitti tradit card. Gousset, n. 480, ubi exposita priori sententia olim communissima, posteriorem amplectitur.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 765 et 810.

quid minoris tuta conscientia solvere: 1. ratione copiae mercium et paucitatis emptorum; quia merces eo minoris aestimantur, quo communiore et a paucioribus appetuntur; 2. ratione modi, quo res venditur: sic emptor potest minoris emere, eo quod multa simul emat (vulgo *en gros*); quia tunc venditorem liberat a multis curis, et expeditum reddit ad nova sibi comparanda; 3. ratione temporis, quo res tradenda est: sic poterit vilioris emi, si tradenda tempore, quo minoris valebit; nam tunc tantum res incipit esse utilis emptori. — Hæc continet versus:

Merx, modus, et tempus, comminuunt pretium.

586. Q. 3. An liceat minoris emere merces ultroneas?

R. In communi et veriori sententia licet minoris emere merces, quas ultro quisquam offert, emptorem quæritando et quasi compellendo ad eas emendas; quia cum merces sic offerantur, ut plurimum adest parvus emptorum numerus, ut merito docent Concina et Roncaglia cum aliis: hinc ex D. Hieronymo tritum proverbium est: *Ultroneas putere merces*¹. Probabiliter autem Cajetanus, Fillucius, Mazzota et Sporer censent rem istam vilescere pro tertia parte ordinarii valoris.

Quid (dices) *si merces fiant ultroneæ ob solam paupertatem vendentis*? Busembaum, Vasquez et alii tradunt, illas adhuc minoris emi licite posse; quia res ultronea natura sua pretio decrescit in communi hominum aestimatione; inopia autem vendentis non potest efficere, ut pretium immutetur. Verum Salmanticenses et Tournely cum aliis negant; quia charitati et justitiæ adversari videtur rem vilioris emere a paupere, qui vendit necessitate coactus, nisi ematur in solam gratiam venditoris ipsius, ita ut alias non emeretur. Hæc sententia est æquior et omnino suadenda; sed prima non videtur carere probabilitate, spectata ratione, et si de iis agatur quæ venduntur difficiliter.

587. Q. 4. Quid dicendum de illis, qui mendaciis atque perjuriis alios inducunt ad merces carioris emendas?

¹ In quæst. hebraic.

R. Qui mendaciis et perjuriis pretium exaggerant, ut emptores inducant ad merces carioris emendas, peccat non solum peccato mendacii et perjuri, sed et peccato injustitiæ; quilibet nempe jus habet, ne fraude inducatur ad carioris emendum¹. Quod multo magis dicendum, si despiciant aliorum mercatorum merces, ut suas attollant; tunc enim tenentur de damno erga mercatores illos. Attamen hic notandum est:

1. Regulariter fidem non haberi venditorum mendaciis ac perjuriis, cum hæc communiter habeantur ut quædam tantum stratagemata ad emptores facilius alliciendos. Unde nisi certo constet, emptorem mendaciis venditoris revera credidisse, et ideo majoris emisse, et alios mercatores deseruisse, venditor qui illis utitur, peccat quidem saltem venialiter mentiendo et graviter perjurando: sed non tenetur ideo restituere; — 2. esse contra justitiam pacisci cum emptore de pretio infimo, ac postea pretium summum recipere occulte minuendo pondus, vel mensuram: quia esto quod illud non excedat latitudinem justitiam; at celebrato contractu, pondus, mensura ac pretium ita remanent determinata, ut nullam amplius patiantur variationem. Pactum enim ita finitum fuit, ut commune ac certum est cum Laymano, Lugo, Medina, Navarro, Soto, Sporer², etc.

588. Q. 5. *An pretio currenti vendi possint merces, quas ex notitia peculiari dominus certo scit mox valituras esse multo minoris?*

R. Affirmant communiter Antoine, Billuart, Collet, Lessius, Sylvius cum D. Thoma, qui habet: *Venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est non exponat*³. Ratio est, quod non est inspiciendus valor mercis futurus; sed præsens qui non pendet a notitia particulari, bene vero ab hominum æstimatione communi. — Eadem de causa fas erit cuilibet emere merces pretio currenti, etiamsi certo sciat contra omnem dominorum expectationem brevi pretium augendum fore, uti

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 805.

² V. Pavone, *Spicilegio canonico, morale, ecc.*, §§ 6 et seqq.

³ 2, 2, q. 77, a. 3.

patet exemplo Josephi in Ægypto¹. Imo in justitiæ rigore potest etiam quis in emendo adhibere illas pecuniæ species, quas privatim scit brevi esse prohibendas, modo absint (quod semper intelligendum) mendacia, vis et fraudes.

Neque ideo saltem contra charitatem peccabitur; nam quilibet consulere potest rebus suis, etsi per accidens alteri damnum obveniat. Excipe: — 1. si ideo emptor reduceretur ad gravem necessitatem; sicut enim charitas præcipit, ut subveniamus graviter indigenti, sic vetat ne in paupertatem per nos redigatur, ut nobis divitias comparemus; — 2. si venditor posset mercem vendere pluribus et vendat uni: vel cum posset vendere alicui, qui statim iterum venderet rem consumpturis, venderet alteri rem servaturo usque ad tempus diminutionis pretii. An autem in his quoque casibus peccatum contra charitatem sit semper grave, merito dubitatur; quia charitas non vetat, ne quis consulat sibi utendo jure suo, etsi alteri damnum inde per accidens obveniat.

§ IV. — *De quibusdam venditionis speciebus, de permutatione et venditionis rescissione.*

589. Q. 1. *An licet merces carioris vendere ad creditum (vulgo à crédit), quam numerata pecunia?*

R. Non licet merces carioris vendere præcise ob dilatam solutionem; esset enim pluris facere pecuniam numeratam numeranda, quod damnavit Innocentius XI sub n. 41; cum ratione hujus causæ per se nulla fiat diversa rerum æstimatione². — Sed quæstio est, an id licitum sit titulo communis æstimationis, sive spectata consuetudine; alii negant cum Garcia, Medina et Navarro, quia consuetudo non potest efficere, ut numerata pecunia pluris sit numeranda. Verum alii probabiliter affirmant cum Lessio, Lugo, Salmanticensibus, Sanchez, Soto, Palao et Victoria, quia communis hominum æstimatio auget pretium rerum, quæ ad creditum venduntur, cum tunc plures soleant emptores concurrere: at communis

¹ Gen. xli. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 824.

² Ita Angelicus, 2, 2, q. 78, a. 2. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 811.

æstimatio taxat pretium. Eadem de causa dicunt licere rem minoris emere, numerata pecunia, non quia anticipatur solutio, sed ex communi existimatione; nam tunc pauci sunt emptores, multi venditores. Et apud mercatores nunc passim obtinet¹.

590. Q. 2. *An credita vel chirographa vendi possint?*

R. Credita, quæ dicuntur *jura incorporea*, vendi utique possunt, quamvis non adsit consensus debitoris; nam quilibet potest pacisci de eo, quod suum est, et est pretio æstimabile. Jure tamen civili hæc speciatim notantur: — 1. possessio crediti transfertur traditione documenti illud comprobantis²; ut tamen debitor erga emptorem obligetur, debet sibi venditio denunciari, vel ab ipso per actum authenticum acceptari³; — 2. venditor crediti fidejussorem pro debitore se constituere non censetur: quod si constituit, nec tempus determinavit, talis fidejussio durat annos decem, si agatur de censu perpetuo: uno tantum, si de aliis creditis; — 3. qui vendit hæreditatem sibi jam delatam, non censetur nisi jus ad illam vendere: ac proinde tenetur tantum assecurare, quod ipse verus sit hæres⁴ (P).

591. Q. 3. *An ille, cui res a domino traditur vendenda pretio designato, possit sibi retinere excessum, quem forte traxerit?*

R. Res vendenda a domino tradita est vel suo famulo vel proxenetæ (vulgo *courtier, commissionnaire*), qui a Republica deputatur ad aliorum negotia gerenda stipendio ipsi a partibus tribuendo. Si 1, certum est eundem minime posse excessum illum sibimet retinere; quia famulus jam tenetur domini sui negotia utiliter agere, et bonum procurare. Si 2, sententia vera iterum negat: ratio, quia assignatio pretii facta a domino communiter intelligitur, ne infra pretium il-

¹ Quidquid sit, concludamus cum Bouvier: « Mercatores sic agentes inquietandos non esse arbitror, propter rationes superius expositas, et quia in dubio prudentia non sinit conscientias sic turbari. »

² C. G., art. 1689.

³ C. G. 1690.

⁴ C. Ped. 1694. — C. G. 1696. — C. S. 1535. — C. P. 1505. — C. M. 1580.

lud venditio sequatur, non autem ne supra; ideoque excessus pertinet semper ad rei dominum.

Excipe tamen communiter: — 1. cum res per proxenetæ industriam non debitam melioris conditionis evaserit, et ob id plures vendi queat; — 2. cum expressum vel tacitum pactum cum domino intercesserit: hoc præsumitur, quando dominus nullum venditoris stipendium adsignaverit pro ejus labore; — 3. cum, adhibita communi diligentia, et pretio majori non invento, rem sibi emat et postea suo tempore vendat pluri; quia tunc venderet rem propriam. Caveatur tamen fraus et illusio; — 4. si lucrum sit parvi momenti, quia tunc dominus facile præsumitur consentire. Quod si te gratis ei obtuleris ad vendendum vel emendum, adhuc dicunt quod probabilius potes aliquid retinere, modo tertius non fuisset qui id gratis faceret; sic enim (inquiunt Sporer et Roncaglia contra Lessium) fuisti quidem mendax, sed non injustus; nam tuus labor jam pretio dignus erat¹.

592. *Quid (dices) de sartoribus, qui pannum pro aliis emunt?*

Si sartor fideliter negotium domini gerat minoris mercem emendo, et ex alia parte mercator aliquid ei donaverit vere gratis, quia officinam suam frequentat, vel ut eum alliciat ad ipsam frequentandam, licite potest sibi retinere donatum; nam tunc diminutio pretii vere fieret in ejus gratiam. Ita Filliucius, Tournely et alii. Sed caute hic procedendum, ne justitia lædatur; nam mercatores potius simulant se sartoribus quidpiam donare, cum tamen si dominus ipse officinam adiret, pro eodem pretio rem certo obtineret².

593. Q. 4. *An liceat rem vendere cum pacto, ut emptor teneatur iterum venditori eam cedere, si hic eam repetat?*

R. Venditio cum pacto redimendi ea est, qua venditor facultatem sibi reservat rem suam repetendi sub conditione, quod pretium ejus restituat, sumptus solvat, aliaque damna resarciat. Hæc per se venditori licita est, si rationem habeat gravaminis, quod imponit; cum tunc servetur æqualitas: imo in ipsa veteri lege hæc præcipiebatur³. Neque tantum

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 825.

² V. Liguori, *Homo Apost.*, tract. ult., n. 34.

³ Lev. xxv. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 812.

venditori. sed ipsi etiam emptori probabilius jure naturæ spectato permittitur, si habeatur ratio hujus conditionis. Sane solo consensu pacta per se firmanantur; et hæc conditio in se nil continet inhonesti.

Diximus *jure naturæ spectato*; nam ne diu incerta maneat dominia, Codex civilis retractum conventionalem pro solo venditore admittit, et quidem tantum ad quinquennium. Quod tempus adhuc ad annum potest prorogari a tribunali: quo elapso, emptor fit irrevocabilis proprietarius rei. Hic tamen notandum: 1. venditor non poterit rem venditam denuo possidere, nisi prius restituerit pretium venditionis, et omnes expensas peractas pro ipsa venditione: et compensaverit tum instaurationes necessarias, tum meliorationes, quibus res pretiosior evasit; 2. venditor recipit rem a quovis onere per emptorem imposito liberam: excipe locationem, quam sustinere debet, si neque in venditoris fraudem, neque ultra triennium inita fuerit ab emptore; 3. hodie pro immobilibus non amplius admittitur pactum commissorium seu conventio, vi cujus si emptor intra certum tempus pretium non solvat, res sit commissa seu inempta.

594. Q. 5. *Quid est contractus mohatra et an licitus?*

R. Contractus *mohatra* ille est, quo quis mercem a te emit majori pretio ad creditum cum pacto explicito, vel implicito, ut tibi eandem statim retrovendat pretio minori, et numerata pecunia¹. Uti si Titius indigens nonaginta nummis, petat illos mutuo a Sempronio mercatore: hic quia lucrari cupit, denegat mutuum; sed offert Titio tot frumenti mensuras, quas ipsi vendit summo pretio credito convento, nempe 100 nummis: addito pacto, ut Titius emptor ipsi Sempronio venditori, numerata pecunia, illico revendat infimo vel medio pretio, v. g., nonaginta nummis, quibus de facto indiget Titius. Talem contractum dicimus esse prorsus illicitum, quia usuram palliatam includit; venditor enim dat 90, ut statim recipiat 100 sine ullo vero titulo, sicque imponitur emptori onus vendendi vili pretio absque ulla compensatione.

¹ Est a voce hispana, *mohatrar*, italico *scroccare*, *truffare* (tromper): unde ab Italis dicitur *scrocco*, a Pedemontanis tamen *carrozzino*.

Porro quando sine compensatione aliquot onus alicui imponitur sustinendum; sive quando nullus est titulus, nullaque ratio aliquid exigendi, et exigitur, injustitia est, latrocinium est, usura est a Deo gravissime prohibita¹. Hinc Innocentius XI damnavit hanc sub n. 40 propositionem: *Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævio inito, cum intentione lucri.*

Attamen si res sine prævio pacto retrovendatur etiam minoris et eidem venditori, modo absit omnis usurarius animus, contractus de se licitus erit; quia tunc nulla conventio extat, quæ lædat æquitatem.

595. Q. 6. *An liceat sine justitiæ læsione merces sub hasta quolibet pretio vendere et emere?*

R. Venditio sub hasta (vulgo à l'encan) est quæ fit voce præconis, et in qua uniuscujusque licitatio sub datis regulis admittitur, ac ultimo licitanti res adscribitur. Hæc venditio licita est, si absit fraus; nam tam ementes, quam vendentes in pari conditione constituuntur lucri et damni: eamque lex civilis aliquando præscribit². Res autem, quæ sic exponuntur, possunt quanti carius vendi et quanti vilius emi; quia tunc potestas publica vel communis æstimatio approbat pro justo pretium illud, quod publico emptorum concursu probatur.

Diximus *si absit fraus*, quæ esse potest tam ex parte venditoris, si immittat fictos licitantes, quam ex parte emptoris, si alios dolo impediatur a licitatione; læderetur enim libertas. Quod valet etiam de proxenetis, si ex industria mercem exponant, cum pauci sunt emptores, ut sic amicis faveant: hæc de re fraudes lex punit³. Verum inspecto modo, quo hodie licitationes fieri solent, non tam facile est damnandus venditor, qui per se vel alios licitaretur; tum quia emptores jam de hoc suspicantur, ideoque possunt sibi providere; tum quia adhuc libertas remanet licitandi. Sicut neque illico damnandus

¹ Ps. xiv; Ezech. xviii; Luc. vi, etc. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 815.

² C. Ped. 1691. — C. G. 1686. — C. S. 1552. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 808.

³ Cod. poen. Galliæ, art. 412.

duus est emptor, qui alios rogat ne licentur; sic enim non aufertur libertas.

Imo non immerito (ait Bouvier) aliqui docent, neque duos vel plures amicos damnandos, qui conveniunt, ut unus eorum tantum licitetur, modo cum aliis tale quoque non ineant pactum; hæc enim habenda esset uti quædam commercii societates, cujus membra utique contra se non licitantur. Imo aliqui addunt non tam facile damnandum emptorem, si pactum faciat cum aliis, ne licentur aut ne plus offerant, casu quo alicubi sit usus, ut venditor rem suam retrahat, quando pretium nimis decrescat, æquitas etiam postulat, ne conquerratur, quod emptores conveniant, ad hoc nempe, ne pretium nimis augeatur.

596. Q. 7. *Quid est monopolium, et an liceat?*

R. Ad 1: Monopolium (nempe *venditio unius*) duplex est: aliud *publicum*, quod privilegium est a Principe concessum uni vel pluribus, ut soli quasdam merces vendant. Aliud *privatum*, quod privata auctoritate inducitur quodque ordinariè monopolii nomine solet intelligi, et definitur: *Machinatio, qua unus vel plures ex industria efficiunt, ut soli quasdam merces vendant vel emant, statuto ab iisdem pretio.*

R. Ad 2: Monopolium publicum jure admittitur; cum illud sit a legitima auctoritate ad commercii prosperitatem, ad industriæ incrementum atque in laboris præmium constitutum. Monopolium vero privatum certum est, illicitum esse atque injustum: — 1. si mercator impediatur fraude vel mendacio, ne aliæ merces advehantur, ut ipse merces suas carius vendat cum Reipublicæ damno; — 2. si unus vel pauci emant merces omnes, ut illas solito carius vendant: item est si emptores conveniant de non emenda merce, nisi infra pretium infimum: item si venditores conspirent inter se, ut supra pretium summum vendant; neque enim privatorum est mutare communem ac legitimam pretii taxationem. Item est si ad hoc falsam notitiam spargant, v. g., naves esse submersas,

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 814. — *Homo Apost.*, tract. X, n. 183. — Pavone, *Spicilegio*, § 16. Monopolium est a *monos* solus, et *póleos* vendere.

gelu periisse oliveta, res publicas tali in loco esse turbatas et similia mendacia, ut sic publici census descendant (vulgo *fonds publics*), eos emant minoris et postea vendant supra justum pretium; — 3. si opifices vel artifices conveniant, ut non doceant artem suam, nisi pretio injusto; vel ut nullus perficiat opus ab aliis inceptum, ut sic injuste compellantur domini ad augendum pretium. Item si officinarum magistri inter se injuste conveniant de minuendo ipsorum opificum salario.

597. *An (quæres) peccet contra justitiam et charitatem mercator, qui tempore messis aut vindemiæ omne triticum aut vinum regionis pretio vili tunc currenti emit, ut postea carius vendat?* — Communis et vera sententia tenet hoc utique esse contra justitiam et charitatem; nam talis emptor in causa est, cur pretium injuste augeatur; cum non sit privati illud mutare: quare tenetur ceteris emptoribus ac Reipublicæ restituere. Excipe: 1. nisi res emerit, quæ non sint ad sustentationem necessariæ, uti gemmæ pretiosæ, equi generosi, ornatus mulierum, etc.; nullus enim tunc damnificatur; 2. nisi emerit triticum, vinum, etc., ut postea vendat Reipublicæ justo pretio, quo venderet antè, ou de répéter portantes: vel ut vendat civibus, cause de lésion n'a pas lieu dans ipsi jam emerint sibi necessesse. — s. 1. — De locatione et conductione.

Me^{is} 50. Q. 1. *Quid de contractu locationis-conductionis?*

R. Locatio-conductio est contractus, quo quis, constituto pretio, se obligat vel ad concedendum alteri ad certum tem-

¹ C. Ped. 4679. — C. A. 1060 et 934. — C. G. 1681 et seqq. — C. S. 1487. — C. P. 1490. — C. M. 1576.

² C. Ped. 1617. — C. A. 902. — C. S. 1487. — C. P. 1441. — C. M. 1520. — L'action résultant des vices rédhibitoires doit être intentée par l'acquéreur dans un bref délai, suivant la nature des vices rédhibitoires et l'usage du lieu où la vente a été faite. Elle n'a pas lieu dans les ventes faites par autorité de justice. — Cod. civ. Gall., art. 1648 et 1649. — Not. edit.

³ Cod. civ. Gall., art. 1704, 1705 et 1706.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 857 et seqq.

bitandum, quod ipsi peccent contra charitatem; hæc enim, etiamsi non te obliget ad vendendum infra pretium summum, utique videtur obligare ad non dissuadendum aliis, ut non vendant pretio mitiori¹.

Sed (dices) factio semel monopolio ab aliquibus mercatoribus pretio injusto vendendi, licetne aliis merces eodem pretio vendere? Aliqui affirmant, quia tunc pretium illud jam commune est et currens: et est per accidens quod de injustitia natum sit. Sed sententia, quæ omnino nobis melior videtur, negat; nam pretium illud sic adauctum semper et per se injustum est, ideoque ad justitiam reducendum.

598. Q. 8. Quomodo solvitur emptio-venditio?

R. Emptio-venditio generatim iis solvitur modis, quibus ceteræ conventiones. Speciatim vero solvitur vel mutuo contrahentium consensu vel ipso jure vel sententia judicis: 1. mutuo consensu: sive contrahentes de novo conveniant, sive antea de rescissione pactum posuerint, juxta leges tamen: *Per quas enim causas res nascitur, per easdem dissolvitur*; 2. ipso jure; quod tunc locum habet (et quidem in utilitatem solius venditoris, ac circa res venales, vulgo *denariatio, qua unus vel pauci recipiendam: vel si obtulit se, quasdam merces vendant vel* judicis sententia: quam cum

R. Ad 2: Monopolium publicum sit a legitima auctoritate ad commercii² beneficio remun-
industriæ incrementum atque in laboris præ-
tum. Monopolium vero privatum certum est, illud agatur de
atque injustum: — 1. si mercator impediatur fraude venditio, ne aliæ merces advehantur, ut ipse merces suas ca-
vendat cum Reipublicæ damno; — 2. si unus vel pauci em-
merces omnes, ut illas solito carius vendant: item est
emptores conveniant de non emenda merce, nisi infra pretium
infimum: item si venditores conspirent inter se, ut supra
pretium summum vendant; neque enim privatorum est mu-
tare communem ac legitimam pretii taxationem. Item est si
ad hoc falsam notitiam spargant, v. g., naves esse submersas,

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 814. — *Homo Apost.*, tract. X, n. 185. — Pavone, *Spicilegio*, § 16. Monopolium est a *monos* solus, et *póleos* vendere.

quinquennium scissionem petat. Emptor tamen poterit rem sic emptam sibi retinere, soluto pretio justo¹.

Secundo emptor poterit rescissionem contractus urgere: a. si venditor mercem non tradat tempore debito; b. si immobile excedat vigesimam partem quantitatis in contractum deductæ, et intra annum rescissio petatur (rescissio tamen causa læsionis in pretio non admittitur in favorem emptoris); c. in casu evictionis, licet una tantum rei pars evicta sit; d. si agatur de fundo servitutibus onusto, quæ declaratæ non fuerint, neque sint apparentes².

599. Q. 9. Quid est permutatio?

R. Permutatio est contractus, quo contrahentes rem aliquam sibi vicissim dant ad aliam habendam. Hæc ex civili Codice iisdem legibus regitur, quibus venditio, his exceptis:

« 1° Si l'un des copermutants a déjà reçu la chose à lui donnée en échange, et qu'il prouve ensuite que l'autre contractant n'est pas propriétaire de cette chose, il ne peut pas être forcé à livrer celle qu'il a promise en contre-échange, mais seulement à rendre celle qu'il a reçue. 2° Le copermutant qui est évincé de la chose qu'il a reçue en échange a le choix de conclure à des dommages et intérêts, ou de répéter la chose. 3° La rescission pour cause de lésion n'a pas lieu dans le contrat d'échange³. »

Art. II. — De locatione et conductione.

600. Q. 1. Quid de contractu locationis-conductionis?

R. Locatio-conductio est contractus, quo quis, constituto pretio, se obligat vel ad concedendum alteri ad certum tem-

¹ C. Ped. 1679. — C. A. 1060 et 954. — C. G. 1681 et seqq. — C. S. 1487. — C. P. 1490. — C. M. 1576.

² C. Ped. 1617. — C. A. 902. — C. S. 1487. — C. P. 1441. — C. M. 1520. — L'action résultant des vices rédhibitoires doit être intentée par l'acquéreur dans un bref délai, suivant la nature des vices rédhibitoires et l'usage du lieu où la vente a été faite. Elle n'a pas lieu dans les ventes faites par autorité de justice. — Cod. civ. Gall., art. 1648 et 1649. — Not. edit.

³ Cod. civ. Gall., art. 1704, 1705 et 1706.

⁴ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 857 et seqq.

pus alicujus rei usum, vel ad aliquam operam illiberalem pro ipso præstandam, pacta mercede. Diximus *illiberalem*; opera enim liberalia artis, scientiæque a mercedis ac locationis nomine abhorrent, et pro iis quod tribuitur, *stipendii* et *honorarii* nomine appellari amat: attamen ex Codice nulla inter operas distinctio. — Qui rem confert vel mandat operam perficiendam, *locator*; qui vero re fruitur, vel operam perficiendam suscipit, generatim *conductor* vocatur. Substantialia locationis consistunt in re usu non consumptibili, ac in mercede. Non est autem de necessitate, ut ea fiat publica scriptura¹.

Il y a deux sortes de contrats de louage : celui des choses et celui d'ouvrage. Le louage des choses est un contrat par lequel l'une des parties s'oblige à faire jouir l'autre d'une chose pendant un certain temps, et moyennant un certain prix que celle-ci s'oblige de lui payer. Le louage d'ouvrage est un contrat par lequel l'une des parties s'engage à faire quelque chose pour l'autre, moyennant un prix convenu entre elles. Ces deux genres de louages se subdivisent encore en plusieurs espèces particulières. On appelle *bail à loyer* le louage des maisons et celui des meubles; *bail à ferme*, celui des héritages ruraux; *loyer*, le louage du travail ou du service; *bail à cheptel*, celui des animaux dont le profit se partage entre le propriétaire et celui à qui il les confie. Les *devis*, *marché* ou *prix fait*, pour l'entreprise d'un ouvrage, moyennant un prix déterminé, sont aussi un louage lorsque la matière est fournie par celui pour qui l'ouvrage se fait. Ces trois dernières espèces ont des règles particulières².

601. Q. 2. *Quænam sunt regulæ communes pro locatione tum domorum, tum fundorum rusticorum*?

R. Regulæ communes ac generales hac de re a civili lege statutæ aliæ respiciunt locatorem, aliæ vero respiciunt conductorem.

¹ Cod. civ. Gall., art. 1412.

² On peut louer ou par écrit ou verbalement. — Cod. civ. Gall., art. 1714. — Not. edit.

³ C. Ped. 1714. — C. A. 1090. — C. G. 1708 et seqq. — C. S. 1554. — C. P. 1626. — C. M. 1644.

a. Quod ad *locatorem* attinet, ipse vi contractus, alia conventionem seclusa, præcipue tenetur : 1. rem locatam tradere aperiendo vitium, si quod sit, v. g., si domus sit ruinosæ; 2. solvere expensas extraordinarias ad rei locatæ conservationem necessarias, v. g., servare tectum domus locatæ, publica tributa persolvere, nisi aliter sit consuetudo; 3. rei locatæ formam non immutare. Quod si, urgente causa, reparari contingat, conductor id pati debet, quin pretium conductionis imminuatur, si non ultra 20 dies labor producat; 4. conductorem tueri, ut re pacifice fruatur.

b. Quod *conductorem* spectat, hæc debet præcipue : 1. ut re locata fruatur tanquam bonus paterfamilias ad eum usum, ad quem locatio facta est, vel facta præsumitur. Poterit autem rem a se conductam tertio locare, nisi expresse id fuerit interdictum; 2. ut locationis pretium suo tempore solvat; et si nullum statutum tempus, solvat juxta regionis consuetudinem : quod si fuerit in mora culpabili, tenetur etiam ad usuras solvendas a die judicialis petitionis; 3. ut rem restituat, finito locationis tempore, eo statu quo recepta fuit, exceptis iis rebus, quæ vetustate vel vi majori corruerint aut detritæ sint; 4. ut teneatur de detrimentis et jacturis, quæ culpabiliter in re locata contingunt, etiam ob factum personarum suæ familiæ, aut tertii sui conductoris. Item de incendio tenetur, nisi probet illud non contigisse sua culpa¹.

602. Q. 3. *Quodnam tempus pro locatione rerum determinatum est?*

R. Res Ecclesiæ ut locentur ultra triennium, requiritur sanctæ Sedis auctoritas ex Canonico jure². Quod autem pertinet ab bona profana, si agatur de bonis minorum, ea ex lege civili non nisi ad novennium possunt locari³. Si vero sermo est de ceterorum bonis, quoad mobilia nullum tempus constitutum est, ideoque id contrahentium arbitrio relinquitur. Quoad immobilia autem, si agatur de bonis prorsus incultis

¹ C. Ped. 1727. — C. A. 1096. — C. G. 1722 et seqq. — C. S. 1565. — C. P. 1632. — C. M. 1646.

² Ita Paulus II, Const. *Ambitiosæ*, anno 1468. — V. fusius dicenda *De Beneficiis*.

³ C. G., art. 1728 et 1429.

atque silvestribus, quæ locantur cum pacto, ut ad debitam culturam redigantur, locatio fieri potest etiam ad annos centum, non ultra. Si de bonis immobilibus jam cultis, locatio fieri non potest ultra annos 50; nisi agatur de domo quæ potest locari, ad vitam inquilini, et etiam ad biennium post ejus mortem favore hæredum.

Sed (quæres) an qui succedit locatori in re locata, possit ante completum terminum conductorem expellere? — Qui in re locata succedit, quia eam emit, poterit conductorem expellere, si locatio absque authentica aut certa scriptura (vulgo *de date certaine*) facta fuit, et quoad diem expulsionis satis est quod observet consuetudinem locorum; neque tenetur ad ullam indemnitate[m] erga conductorem, qui quoad eam habet regressum contra ipsum locatorem. Si autem conductor authenticam aut certam scripturam habet locationis, tunc ante tempus in ea definitum nequit a successore expelli: excipe nisi in ipso locationis contractu aliter pactum sit. Quo in casu (ubi nulla sit inita conventio quoad damna resarcienda) locator tenebitur ad indemnitate[m] conductori ut inquilino præstandam hoc modo: 1. pro domo vel apotheca locator solvat pecuniæ summam respondentem tempori quod conceditur inter datam missionem et exitum¹; 2. pro fundo rustico solvat tertiam partem pretii locationis pro tempore, quo hæc adhuc esset duratura²; 3. pro officina et opificio standum erit iudicio peritorum³. Notandum autem, quod conductor nequit expelli antequam laudata indemnitas ei fuerit soluta, et missio juxta consuetudinem ei fuerit indicta⁴.

Qui in re locata succedit alio titulo, quam emptionis (uti legatarius, hæres, creditor) tenetur stare locationi sui auctoris; nam in jure civili generatim decernitur, quod quisque contractum iniisse præsumatur pro se et suis hæredibus, aut a se jus habentibus, nisi contrarium convenerit, aut ex conventionis natura clare eruatur. Lex autem expresse statuit locationem non solvi morte conductoris vel locatoris⁵.

¹ Cod. civ. Gall., art. 1745.

² C. A. 4093. — C. G. 1746. — C. S. 1588. — C. P. 1658. — C. M. 1672.

³ Cod. civ. Gall., art. 1747. — ⁴ Cod. civ. Gall., art. 1748, 1749.

⁵ C. Ped. 1209. — C. G. 1122. — C. S. 1076. — C. P. 1095. — C. M. 1160.

603. Locatio-conductio rerum solvitur: 1. si res totaliter perit: perit autem locatori: cum ipse dominus sit, modo conductor non sit in culpa: 2. elapso tempore præfinito; si vero contractus scriptura sit initus, nec elapso tempore conductor rejiciatur, habetur repetita locatio, sed usque ad tempus, quo ea perduraret, si absque scriptura fuisset inita; 3. partium tum instantia, si nempe compars in suis deficiat obligationibus, aut res fiat inutilis; tum voluntate, nam *unum quodque eodem modo dissolvitur, quo colligatum fuit*¹ (Q).

604. Quæres: *An qui promisit seu locavit operam suam Titio pro itinere aliquo suscipiendo, possit mercedem integram accipere etiam a Sempronio, si etiam ab hoc secundo ad eundem locum mittatur?* Non est difficultas, ait Concina, quoad aurigas, quod hi etiam a secundo integram mercedem accipere possint, ob receptam consuetudinem. De nuntiis vero, qui a duobus mittuntur, opinatur æquum esse, ut ipsi dimidiam tantum mercedem exigant a secundo mittente: quod videtur satis probabile. Ceterum adhuc satis probabile est (uti docet Lessius cum communi) ipsis quoque licere integram mercedem a duobus petere, cum se obligent ex justitia erga duos. Sicut ergo si deficerent, duobus obligarentur restituere, ita æquitas postulat, ut si non deficiant, etiam a duobus mercedem accipiant².

§ Unicus. — De locatione animalium.

« Le bail à cheptel est un contrat par lequel l'une des parties donne à l'autre un fonds de bétail pour le garder, le nourrir et le soigner sous les conditions convenues entre elles. Il y a plusieurs sortes de cheptel: le cheptel simple ou ordinaire, le cheptel à moitié, le cheptel donné au fermier ou au colon partiaire. Il y a encore une quatrième espèce de contrat improprement appelé cheptel. On peut donner à cheptel toute espèce d'animaux susceptibles de croit ou de profit pour l'agriculture et le commerce. A défaut de conventions particulières, ces contrats se règlent par les principes qui suivent³. »

¹ C. Ped. 1750 et 1744. — C. A. 1112. — C. G. 1745 et seqq. — C. S. 1582. — C. P. 1651. — C. M. 1671. — ² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 862. — Non tamen ipsi per se possent integram mercedem exigere et a mittente et ab eo, ad quem ipsi mittuntur, ut patet. — ³ Cod. civ. Gall., art. 1800 et seqq.

SECTION 1. — *Du cheptel simple.*

« Le bail à cheptel simple est un contrat par lequel on donne à un autre des bestiaux à garder, nourrir et soigner, à condition que le preneur profitera de la moitié du croit et qu'il supportera aussi la moitié de la perte. L'estimation donnée au cheptel dans le bail n'en transporte pas la propriété au preneur; elle n'a d'autre objet que de fixer la perte ou le profit qui pourra se trouver à l'expiration du bail. Le preneur doit les soins d'un bon père de famille à la conservation du cheptel. Il n'est tenu du cas fortuit que lorsqu'il a été pré-cédé de quelque faute de sa part, sans laquelle la perte ne serait pas arrivée. En cas de contestation, le preneur est tenu de prouver le cas fortuit, et le bailleur est tenu de prouver la faute qu'il impute au preneur. Le preneur qui est déchargé par le cas fortuit est toujours tenu de rendre compte des peaux de bêtes. Si le cheptel périt en entier sans la faute du preneur, la perte en est pour le bailleur; s'il n'en périt qu'une partie, la perte est supportée en commun, d'après le prix de l'estimation originaire et celui de l'estimation à l'expiration du cheptel. On ne peut stipuler que le preneur supportera la perte totale du cheptel, quoique arrivée par cas fortuit et sans sa faute, ou qu'il supportera dans la perte une part plus grande que dans le profit, ou que le bailleur prélèvera, à la fin du bail, quelque chose de plus que le cheptel qu'il a fourni. Toute convention semblable est nulle. Le preneur profite seul des laitages, du fumier et du travail des animaux donnés à cheptel. La laine et le croit se partagent. Le preneur ne peut disposer d'aucune bête du troupeau, soit du fonds, soit du croit, sans le consentement du bailleur, qui ne peut lui-même en disposer sans le consentement du preneur. Lorsque le cheptel est donné au fermier d'autrui, il doit être notifié au propriétaire de qui ce fermier tient, sans quoi il peut le saisir et le faire vendre pour ce que son fermier lui doit. Le preneur ne pourra tondre sans en prévenir le bailleur. S'il n'y a pas de temps fixé par la convention pour la durée du

cheptel, il est censé fait pour trois ans. Le bailleur peut en demander plus tôt la résolution si le preneur ne remplit pas ses obligations. A la fin du bail, ou lors de sa résolution, il se fait une nouvelle estimation du cheptel. Le bailleur peut prélever des bêtes de chaque espèce jusqu'à concurrence de la première estimation; l'excédant se partage. S'il n'existe pas assez de bêtes pour remplir la première estimation, le bailleur prend ce qui reste, et les parties se font raison de la perte¹. »

SECTION 2. — *Du cheptel à moitié.*

« Le cheptel à moitié est une société dans laquelle chacun des contractants fournit la moitié des bestiaux, qui demeurent communs pour le profit ou pour la perte. Le preneur profite seul, comme dans le cheptel simple, des laitages, du fumier et des travaux des bêtes. Le bailleur n'a droit qu'à la moitié des laines et du croit. Toute convention contraire est nulle, à moins que le bailleur ne soit propriétaire de la métairie dont le preneur est fermier ou colon partiaire. Toutes les autres règles du cheptel simple s'appliquent au cheptel à moitié². »

SECTION 3. — *Du cheptel donné au fermier.*

« Ce cheptel (aussi appelé cheptel de fer) est celui par lequel le propriétaire d'une métairie la donne à ferme, à la charge qu'à l'expiration du bail le fermier laissera des bestiaux d'une valeur égale au prix de l'estimation de ceux qu'il aura reçus. L'estimation du cheptel donné au fermier ne lui en transfère pas la propriété, mais néanmoins le met à ses risques. Tous les profits appartiennent au fermier pendant la durée de son bail s'il n'y a convention contraire. Dans les cheptels donnés au fermier, le fumier n'est point dans les

¹ Cod. civ. Gall., art. 1804 et seqq.² Cod. civ. Gall., art. 1818 et seqq.

profits personnels des preneurs, mais appartient à la métairie, à l'exploitation de laquelle il doit être uniquement employé. La perte, même totale et par cas fortuit, est en entier pour le fermier s'il n'y a convention contraire. A la fin du bail, le fermier ne peut retenir le cheptel en en payant l'estimation originaire: il doit en laisser un de valeur pareille à celui qu'il a reçu. S'il y a du déficit, il doit le payer, et c'est seulement l'excédant qui lui appartient¹. »

SECTION 4. — Du cheptel donné au colon partiaire.

« Si le cheptel péricule en entier sans la faute du colon, la perte est pour le bailleur. On peut stipuler que le colon délaissera au bailleur sa part de la toison à un prix inférieur à la valeur ordinaire; que le bailleur aura une plus grande part du profit; qu'il aura la moitié des laitages; mais on ne peut pas stipuler que le colon sera tenu de toute la perte. Ce cheptel finit avec le bail à métairie. Il est d'ailleurs soumis à toutes les règles du cheptel simple². »

SECTION 5. — Du cheptel improprement dit.

« Lorsqu'une ou plusieurs vaches sont données pour les loger et les nourrir, le bailleur en conserve la propriété; il a seulement le profit des veaux qui en naissent³. »

Art. III. — De censu, emphytheusi, vitalitio, pignore, hypotheca, cambio et transactione.

605. Q. 1. Quid est census et quotuplex?

R. Ad 1. Census sic dicitur a *censeo*, quia cives eorumque bona recensabantur seu describebantur, ut data proportione tributa solverent. Hic census modo sumitur pro annua pensione

¹ Cod. civ. Gall., art. 1821 et seqq.

² Cod. civ. Gall., art. 1827 et seqq.

³ Cod. civ. Gall., art. 1831.

solvenda; modo pro jure eam exigendi; modo pro contractu quo tale jus acquiritur. Et hoc sensu hic a nobis acceptus definitur: *Contractus*, quo quis obtinet jus pensionem annuam percipiendi: quæ pensio potest esse tam pecuniaria, quam fructuaria, prout vel in pecunia vel in fructibus solvitur.

Qui jus ad talem pensionem acquirit seu emit, dicitur *censualista*, *censitor*, *emptor*, *creditor*; qui vero pensionem solvit, *censuarius*, *venditor*, *debitor*. Ipsa autem pensio dicitur *canon* vel *redditus*, quia ipsa quotannis redit et redditur.

R. Ad 2. Census in genere spectatus alius est *reservativus*, alius vero *consignativus* seu *constitutivus*. Reservativus est contractus, quo censualista rem suam alteri vendit, reservata sibi ex ea re annua pensione, quæ quidem in Codice appellatur *census fundiarius* (vulgo *rente foncière*). *Consignativus* est contractus, quo censualista jus emit pensionis, mediante aliqua solutione: dicitur *consignativus*, quia censuarius hoc jus consignat censualistæ, et appellatur *census simplex* (*rente simple*). Qui solet distingui in *realem*, si in re frugifera, puta vinea, pensio illa constituatur ac fundetur; in *personalem*, si in aliqua persona obligante se ad annuam pensionem ex arte sua vel labore præstandam fundetur: in *mixtum*, si constituatur in persona simul et ejus bonis, ita ut, re perente, persona adhuc remaneat obstricta erga creditorem. In Codice tamen de reali tantum fit mentio.

Census tam reservativus, quam consignativus alius est *redimibilis*, alius *irredimibilis*, prout potest vel non potest redimi. Item alius est *perpetuus*, qui nempe semper durat, nisi redimatur; alius *temporarius*, et est qui durat vel ad certum tempus, v. g., ad 10 annos; vel ad tempus incertum, v. g., ad vitam alicujus, et tunc census iste dicitur *vitalitius* (*rente viagère*)¹.

606. Q. 2. An census reservativus et consignativus sit licitus?

R. Utique per se licitus est census tam reservativus, quam consignativus. De reservativo nullum est dubium; nihil enim

¹ C. Ped. 1958 et seqq. — C. G. 1911. — C. S. 1785. — C. P. 1615. — C. M. 1755.

impedit, quominus quis rei suæ proprietatem vendat, reservato jure ad partem fructuum, modo in venditionis pretio hujusce reservationis ratio habeatur. Hoc fecit Joseph, qui reddens Ægyptiis prædia Regi vendita pro tritico in annonæ charitate subministrato, pensionem ipsi Regi quotannis solvendam reservavit¹.

Item licitus est census consignativus, modo suæ sint conditiones, et census iste realis sit. Constat tum ex Bulla Nicolai V *Sollicitudo* (anno 1452), tum ex Bulla S. Pii V *Cum onus* (anno 1568). Et ipsa ratione; nam quilibet, cunctis fatentibus, alteri donare potest jus percipiendi annuam pensionem ex re sua frugifera; ergo et hoc jus alteri vendere. Nec refert quod tractu temporis pensiones percipiendæ excedant pretium solutum: id etiam in venditione rei frugiferæ contingit; neque tamen illicitam dicunt.

Diximus: 1. *Modo suæ sint conditiones*; quæ quidem de jure naturali duæ tantum notantur: 1^o ut sit æqualitas inter censum et pretium; 2^o ut pacta præter naturam census adjecta juste compensentur. De jure autem Canonico plures habentur præscriptæ, ut videre est in Bulla Piana; quæ tamen apud omnes non obtinet.

Diximus: 2. *et modo census iste realis sit*; nam si agatur de censu personali, certum est illud lege Ecclesiæ prohiberi per Bullam Pianam: idque ob periculum usuræ; nam qui emit hunc censum, non tam videtur emere jus ad pensionem ex industria alterius obtinendam, quam dare pecuniam mutuo, ut ex ea annuum fructum recipiat sine titulo, quod quidem usura est. Quod autem adjiciatur personæ industria, hoc tantum videtur fieri ad assecurandam summam capitalem.

Utrum vero iste census lege naturali dicendus sit prohibitus, etiam remota omni usuraria intentione, alii cum Concina et Lugo affirmant, quia hoc esset vendere personam; at persona liberi hominis est invendibilis. Sed multi graves auctores cum Abelly, Habert, Bouvier, Continuatore Tournely, Merbesio, Lessio, Soto, etc., probabilius ac communius negant; quia jus percipiendi pensionem ex alterius industria,

¹ Gen. XLVII. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 839.

labore, etc., tam est pretio æstimabile, quam jus illam percipiendi ex re frugifera. In tali contractu proprie non emitur persona, sed improprie; nam proprie emitur jus super industriam personæ: ex quo etiam patet, hic non haberi contractum mutui, sed emptionis-venditionis. Accedit, uti narrat Benedictus XIV, Pium V Hispanis indulsisse, supplicante Philippo II, ne ad Bullæ observantiam adigerentur: quod factum non fuisset, si iste census esset jure naturæ prohibitus¹.

607. Q. 5. *An census redimibilis sit licitus?*

R. Spectato jure naturæ, sat probabile videtur cum Laymano, Lessio, Gury, Sporer, etc., contra alios, censum posse esse redimibilem non tantum ex parte censuarii, sed etiam censualistæ; quia in censu vera venditio habetur, in qua redemptio licita est. Diximus *spectato jure naturæ*; nam jure Ecclesiastico (ex Bulla Piana) semper quidem permittitur censuario, ut possit redimere censum, facta denuntiatione per bimestre; non autem censitori.

Quod tandem pertinet ad jus civile statuitur, quod censuario semper sit jus censum redimendi, adeo ut pactum huic juri adversum sit nullum.

Sed (quæres) potestne debitor annui proventus seu censuarius, præter casus, qui in conventionem ipsa fuissent declarati, adstringi ad censum redimendum? Affirmative ex civili Codice: et 1. si post legitimam interpellationem per duos annos successivos pensionem non solverit; 2. si omitat exhibere creditori cautelas, quas in ejus securitatem sponderat; 3. si cautelis datis deficientibus, alias idoneas non substituat; 4. si fundus pro censu datus, vel hypothecæ subjectus, plusquam inter tres possessores dividatur; 5. si debitor factus fuerit decoctus vel obætatus, juxta tamen legis limitationes².

608. Q. 4. *Quid de emphytheusi?*

R. Emphytheusis definitur: *Contractus, quo rei immobilis in perpetuum, vel ad tempus (saltem ad 10 annos) alteri con-*

¹ De Syn. Diac., l. X, c. v. — ² Cod. civ. Call., art. 1911.

³ C. Ped. 1945. — C. G. 1912. — C. S. 1784. — C. P. 1616. — C. M. 1755.

ceditur dominium utile sub onere eam meliorem efficiendi, et domino annuum canonem præstandi. Emphytheusis græca vox est, quæ sonat *inserere*; quia nempe hoc erat in ea præcipuum, quod fundo esset aliquid inserendum et sic meliorandum: quamquam postea et sine eo pacto tribueretur. Differt autem a feudo; quia huic inest onus obsequii personalis; emphytheusi vero onus pensionis realis. Hæc porro pensio vel ecclesiastica est vel est civilis, prout constituitur super bona ecclesiastica vel civilia. Is cui res sic traditur, dicitur *emphyteuta* vel dominus utilis; qui rem tradit, *propriarius* vel dominus directus vel directarius; res tradita, *emphyteutica*; tandem annuus canon præstandus nuncupatur a Latinis *libellus*, et inde natum est, ut Itali ex hujus verbi corruptione illum dixerint *livello*. Qui canon solvendus est etiam, generatim loquendo, in insolita sterilitate, et simul cum canone sunt solvenda tributa.

Emphytheusis potest de uno in alium transferri; sed præferendus est propriarius si velit rem emere, qui ideo habet duos menses ad deliberandum. Si nolit, novus emptor tenetur illi solvere duo in centum, et solutum pretium *laudimium emphytheuticum* dicitur, quasi nempe sit *laudatio* illius translationis¹.

Ceterum hæc de re in civili Codice quædam constituta sunt, quæ amplius cum emphytheusi convenire non possunt, non obstante quacumque contraria partium conventionne. Nam si immobilium cessio fiat in perpetuum, habetur census reservativus, qui redimi potest, ac cujus natura est, ut illorum bonorum plenum dominium transferatur in censuarium:

¹ Cum laudimium non sit proprie loquendo fructus rei, sed simplex cognitio domini, si illud percipiat Beneficiarius, poterit facere suum sub nullo onere, etsi ejus Beneficium sit *ad ratam redditus*. Sunt tamen qui laudimium habent ut fructus rei; imo sunt qui illud volunt habendum esse uti sit pars ipsius capitalis, ideoque illius naturam sortiri, maxime si emphytheusis redimatur. At prima opinio generatim prævalet. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 865: — « Si finita emphytheusi temporali, dominus directus anni sequentis canonem acceperit, ex hoc solo quasi tacito consensu repetita censeri non debet, in dubio, emphytheusis. » Ita Voit. — De hoc contractu fusius Molina, *De just. et jure*, disp. cxxiv. — Alasia, *De just. et jure*, disp. II, c. III. — Ferraris, vº Contractus emphytheusis.

quæ porro concessio si est titulo oneroso, fit juxta leges pro venditione constitutas; si titulo gratuito, juxta leges pro donatione præstabilitas. Si autem bonorum immobilium cessio sub onere præstandi annuum canonem fiat ad tempus, tunc vera habetur locatio et juxta locationis regulas regitur contractus¹ (R).

609. Q. 5. Quid de vitalitio?

R. Contractus vitalitius est quædam species census, qua quis pro certa pecuniæ summa, vel etiam pro re tam mobili, quam immobili pretio æstimabili et censuario tradita, ab eodem sibi jus emit pensionem annuam recipiendi ex ipsa pecunia vel re, usque ad finem vitæ propriæ, aut alterius in contractu indicati. Cum adsit periculum tum in censitore accipiendi plus vel minus, quam traditum ab eo est, tum in censuario solvendi plus vel minus, quam fuerit acceptum; iccirco auctores contractum vitalitium potius considerant pro contractu sortis, quam pro vero et proprie dicto contractu emptionis et venditionis: et hoc ipso, quod puro eventu fortuito innitatur, ab omnibus uti licitus existimatur. Hunc contractum S. Thomas², jus Canonicum³ et leges civiles admittunt tam titulo oneroso, quam gratuito, v. g., donationis et testamenti, modo formis præscriptis celebretur, et non excedat quotam pro liberalitatibus a lege concessam⁴.

Ad constituendum vitalitii pretium volvere Theologi habendam esse rationem ætatis et sanitatis in censitore ipso; et sic in diversas abiere sententias, contententes aliqui exigi posse 10 pro 100, aliqui 12, alii 14, alii etiam 16. Sed lex civilis illud liberum relinquit⁵, cum sit contractus meræ sortis, modo tamen pensio annuatim tribuenda superet fructum rei traditæ: quæ quidem pensio debetur proportionatim

¹ C. Ped. 1718 et 1941. — C. A. 1126. — C. S. 1679. — C. P. art. 19. — C. M. 1616, Concessionis autem titulo emphyteutico perpetuo factæ etiam ante *Albertinum Codicem*, abrogatæ sunt lege 13 julii 1857. Quoad Galliam vide lex dec. 1790.

² Opusc. *De usuris* lxxiii, p. I, c. ix.

³ Arguitur ex Clement., l. III, t. IV, *De rebus Eccl. non alien.*, c. 1.

⁴ C. Ped. 2002. — C. A. 1284. — C. G. 1968 et seqq. — C. S. 1840. — C. P. 1839. — C. M. 1825.

⁵ La rente viagère peut être constituée au taux qu'il plaît aux parties contractantes de fixer. — Cod. civ. Gall., art. 1976.

ad numerum dierum, quibus proprietarius vivit, nisi ex conventiono anticipate solvenda sit. Attamen specialius requiritur ad vitalitii validitatem: 1. ut persona, super cujus vitam vitalitius constituitur, sit reapse inter vivos, nec moriatur ante dies viginti¹ a celebratione contractus; 2. ut persona illa acquirendi sit capax: non tamen extinguitur amissione jurium civilium, semel valide celebratus vitalitius, sed solutio tunc fit ex legis præscripto.

Notamus: quod ille, in cujus utilitatem census vitalitius constitutus fuit mediante pretio, petere potest resolutionem contractus, si censuarius qui pretium accepit, cautelas pactas non servet. Non tamen illam resolutionem petere potest, si annua pensio a debitore non solvatur; sed ad illam sibi solvendam judicialiter debitorem compellat. Item nefas est pactum inire, ut proventus vitalitius non subiciatur sequestro a creditoribus; excipe, nisi titulo gratuito fuerit constitutus².

610. Q. 6. Quid de pignore dicendum?

R. 1: Pignus generatim acceptum definitur: *Contractus quo a debitore, vel alio illius nomine, res aliqua traditur creditori in securitatem crediti sui*. Si traditur res mobilis, habetur pignus simpliciter; si immobilis, tunc pignus est improprium et a juristis appellari solet *antichresis* (a græco *anti* contra et *chresis* usus).

R. 2: In pignore simplici duo sunt jura creditoris: 1. est retinendi usque ad totius crediti extinctionem rem pignori datam. Imo a iudice potest postulare, ut sub hasta vendatur pignus, si quod sibi debitum est, non solvatur: privata tamen auctoritate, quocumque pacto non obstante, de illo disponere prohibetur; 2. est exigendi solutionem sui crediti cum privilegio et prælatione propria relate ad ceteros creditores, si qui extant.

Tenetur vero creditor: 1. rem pignori sibi traditam bene custodire uti bonus paterfamilias; 2. usuras a re ipsa perceptas compensare debitori; 3. denique rem debitori restituere ubi debitum fuerit extinctum. Debitor autem compensare debet expensas, si quæ forte peractæ sint pro pignoris conservatione³.

¹ C. G., art. 1975. — ² C. G., art. 1978 et seqq.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 915. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., vº Pignus. Pignus differt a *deposito*, in quo sola custodia; a *mutuo*, in quo dominium; a *commodato*, in quo usus rei transfertur. Pignus in securita-

R. 3: In pignore improprie dicto, sive in *antichresi*, quæ publico instrumento est conficienda, creditor acquirit non quidem jus proprietatis; sed jus percipiendi fructus ex immobili sibi tradito, eos computando primo in solutionem interesse si debetur, inde sortis. Hinc creditor tenetur: 1. bonum illud conservare, et custodire diligenter uti suum; 2. solvere tributa annua eidem inhærentia, nisi secus convenierint. Item alias utiles et necessarias expensas, sed cum jure compensationis ex fructibus rei; 3. ipsum restituere domino, extincto debito⁴.

611. Q. 7. Quid est hypotheca²?

R. Hypotheca (sic dicta a græca voce, quæ idem sonat ac *res supposita*; quia per eam res aliqua speciali obligationi supponitur vel subijcitur) definitur: *Jus creditoris in rem immobilem debitoris constitutum ad securitatem ejus, quod sibi debetur*. Differt a pignore in eo, quod pignus traditur; hypotheca vero non nisi nuda conventiono firmatur. Quæ triplex distinguitur: alia *legalis* est seu implicita et tacita, et ea est, quæ ab ipsa lege inducitur in favorem communitatum, uxoris, filii et minoris super bona administratorum, mariti, patris et tutoris. Alia *judicialis*, quæ nempe procedit a tribunali sententia, vel ab actibus judicialibus in illius gratiam, qui sententiam obtinuit contra eum, qui causa cessit. Alia *conventionalis*, quæ pendet a mutua contrahentium voluntate circa bona immobilia et præsentia. Hypotheca legalis et judicialis potest complecti bona præsentia et futura; conventionalis vero sola præsentia. Ut tamen hypothece suam integram habeant vim, publico conficiendæ sunt instrumento atque in officio ad hoc deputato debent inscribi, et quidem tempore præfinito.

tem traditur tantum. — Possunt rem pignori tradere qui liberam habent bonorum suorum administrationem. Pignori autem generatim subijciuntur quæ possunt emi et vendi: hinc non possunt oppignorari res sacræ, nisi urgente causa gravissima. — Cod. civ. Ped. 2124. — C. A. 1368. — C. G. 2071 et seqq. — C. S. 1941. — C. P. 2098. — C. M. 2072.

¹ C. Ped. 2159 et seqq. — C. A. civ., §§ 451, 452 et 4572. — C. G. 2085 et seqq. — C. S. 1491. — C. P. 2095. — C. M. 2065.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 915. — Ferraris, *Hypotheca*.

Hic duo maxime notanda a Parochis præsertim et Beneficiatis, qui inter bona propriæ præbendæ habent jura fundata in hypothecis : « Les inscriptions se font au bureau de conservation des hypothèques, dans l'arrondissement duquel sont situés les biens soumis au privilège ou à l'hypothèque.

— Les inscriptions conservent l'hypothèque et le privilège pendant dix années, à compter du jour de leur date; leur effet cesse, si ces inscriptions n'ont été renouvelées avant l'expiration de ce délai. » Excipitur hypotheca legalis, quæ semper durat quin renovetur¹.

Privilegium et hypotheca extinguuntur : 1. credito extincto, nisi in creditoris jura succedat qui pecuniam ad satisfaciendum dedit; 2. expressa creditoris abdicatione; 3. præscriptione, scilicet præscripto debito, si bona vinculo ligata sint penes debitorem : secus lapsu triginta annorum; 4. modis a lege statutis ad hoc, ut tertius possessor rem liberet a tali onere : quod quidem fit consignando proprium titulum conservatori hypothecarum, ut illum summarie transcribat et in diario ad id designato publicet, et alia hujusmodi².

612. Q. 8. Quid est cambium, quotuplex et an licitum?

R. Cambii nomine venit contractus, quo fit permutatio pecuniæ pro pecunia cum aliquo lucro supra sortem. Ille, a quo petitur cambium, vocatur campsor, collybistes, bancarius, mensarius, nummularius, trapezita, publicanus; ille vero qui petit, campsarius dicitur. Cambium differt a venditione-emptione, quia in hac merx pro pecunia, in cambio pecunia pro pecunia commutatur; a commodato et deposito, quia in his dominium non transfertur, utique in cambio; a mutuo, quia mutuum locum habet in qualibet re fungibili, est gratuitum et fit ad aliquod tempus, e contrario cambium solum exercetur circa pecuniam, fit cum lucro et statim consummari potest.

Cambium aliud est siccum, aliud reale. Siccum sic dictum, quia succo et humore caret, non aliud est quam usura paliata; nam datur pecunia tanquam in loco distante recipienda

¹ C. Ped. 2165 et seqq. — C. G. 2114 et seqq. — C. S. 2000. — C. P. 2165. — C. R. 105. — C. M. 2146. — C. H. 56 hoc tit.

² C. Ped. 2298. — C. G. 2146 et 2154. — C. S. 240. — C. P. 2252. — C. R. 151. — C. M. 2186. — C. H. 78.

(et ideo exigitur pretium pro translatione), cum tamen in hoc ipso loco recipiatur, quo fuit data. Hoc Pius V, Bulla *In eum* 1571 prohibuit uti usurarium : et merito, cum nullus sit titulus percipiendi lucri. — Reale autem seu verum est illud in quo vere et realiter pecunia pro pecunia commutatur : si commutatur pecunia præsens pro præsentem, v. g., aurum pro argento, habetur *cambium minutum* seu *manuale*. Si vero commutatur pecunia præsens pro distantem, v. g., numero campiori pecuniam Novariæ, restituendam Taurini, habetur *cambium locale* seu *trajectitium* : quod quidem hodie maxime fit per *litteras* (sic dictas) *cambiales*, ac moderatur a Codice commercii. Si tandem Novariæ detur campario pecunia ea lege, ut post aliquod tempus, v. g., ad proximas nundinas (vulgo *payable en foire* ou à la *prochaine foire*), Taurini bancario reddatur cum majori vel minori lucro seu auctario, prout magis vel minus distant nundinæ, dicitur *cambium ad nundinas*.

Cambium tum *minutum* tum *locale* tum *ad nundinas*, omnibus de jure naturæ licitum est¹; quia in eo adest justus titulus aliquid lucrandi, nempe labor camporis in numeranda pecunia eaque transferenda, diligentia in nummis cujuscunque generis conquirendis, curæ in detinendo telonio, expensæ in famulos, pericula tum furum, tum cessionis debitorum, tum imminutionis monetæ, etc. In cambio tamen per litteras campsor debet minus exigere, quam si realiter pecuniam transtulisset; quia minus est oneris et periculi².

613. An (quæres) accipiens pecuniam adulterinam possit eam expendere? Negative : non potest eam expendere, si intrinsicus sit falsa, ut si des stannum pro argento; non enim justum pretium sol-

¹ Jure tamen Ecclesiastico vetitum est Clericis cambia exercere etiam sub alieno nomine, idque sub penis statutis in Clericos negotiatores, nempe ex Bulla Clementis XIII, *Cum primum*. — V. *De Clericorum negotiatione*. — Et Benedictus XIV, *De Syn. Dioc.*, l. X, c. vi.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 850. — Ferraris, v° *Cambium*. Qui autem cambiendi non exercet, potest nihilominus lucrum ex commutatione percipere; quisque enim jus habet ad lucrum pro suo labore et industria. Hinc famulus recipiens pecuniam auream a domino, ut satisfaciat creditoribus domini, potest eam commutare cum alia lucrum pro se retinendo : excipe nisi dominus voluisset satisfacere pecunia aurea.

veres. Neque obstat, quod tibi fuerit tradita; non enim quia tu ab aliis deceptus fuisti, tibi licet decipere alios. Si vero pecunia falsa sit quoad formam tantum extrinsecam accidentalem, etsi non sit contra justitiam commutativam per se loquendo eam expendere; cavendum tamen, ne sic proximus gravi damno exponatur, cum ex lege civili quæcumque monetæ falsificatio, detractio vel alteratio sit sub maximis pœnis vetita.

614. Q. 9. Quid est transactio, quotuplex, et quid de ea?

R. Ad 1. Transactio est *contractus*, quo partes contrahentes finem imponunt liti alicui, quæ vel jam intra ipsas nata sit, vel quæ prævideatur nascitura: « La transaction est un contrat par lequel les parties terminent une contestation née, ou préviennent une contestation à naître¹. » Ex quibus patet ad transactionem requiri: — 1. ut per ipsam terminum habeat lis actu existens vel futura; — 2. ut lis ipsa vel ejus objectum exhibeat aliquod dubium de exitu: quamquam creditor ad finiendam litem, adhuc si non sit dubium, transigere possit, cum sit rei suæ dominus; — 3. ut mutuus partium consensus intercedat; — 4. ut adnexam habeat certam legem, vi cujus contrahentes neque amittant neque consequantur omne id, quod in lite petebant; sed ex parte amittant, ex parte vero consequantur; secus non adesset transactio.

R. Ad 2. Transactio quadruplex est: *generalis* quæ terminat una simul lites omnes, quæ inter partes existunt vel existere possunt; *particularis* quæ non terminat, nisi aliquam specialem litem; *judicialis* quæ fit auctoritate iudicis; *extrajudicialis* e contrario.

R. Ad 3. Nemo potest valide transigere, nisi habeat facultatem disponendi de rebus, quæ sub transactione cadunt: unde tutores transigere nequeunt super bonis minorum, nisi interveniant formulæ juris. Quando transactio permittitur, illius magna vis est; nam, ea semel admissa, nequit amplius impugnari neque causa læsionis neque ignorantia juris: et si error contigerit in calculo, error corrigitur, sed transactio subsistit. Rescinditur tamen, si error sit vel in persona, vel in objecto controverso, vel si intervenerit dolus aut vis².

¹ Cod. civ. Gall., art. 2044. — ² Cod. civ. Gall., art. 2045 et seqq.

Art. IV. — De contractu societatis et contractu trino¹.

615. Q. 1. Quid est ac quotuplex societatis contractus, quomodo contrahi potest, et an licitus?

R. 1: Societas est *contractus*, quo duo vel plures aliquid conferunt ad commune lucrum; est vel universalis vel particularis. *Universalis* iterum duplex distinguitur: alia complectitur omnia bona præsentia, et evenit quando socii omnia, quæ nunc possident sive mobilia sive immobilia et lucra inde obvenientia, in commune ponunt (bona autem quæ vel donatione vel successione erunt acquisituri, ita conferre possunt, ut eorum fructio tantum, non proprietas communis evadat). Alia complectitur omnia lucra, quæ socii, durante societate, quovis titulo erunt comparaturi. At bona quæ jam a sociis possidentur tempore contractus, non comprehenduntur ex lege in hac societate, nisi quoad eorum fructum.

Societas vero *particularis* respicit tantum res determinatas ac particulares, aut earum usum vel fructus, uti si duo simul fundum sibi comparent, ut eo simul fruantur. Huc pertinet etiam societas, qua plures conveniunt de certo opere perficiendo, aut de exercitio alicujus artis vel professionis, uti si duo pictores contractum ineant de exercenda arte propria in communione. Societas particularis subdividitur in civilem et commercialem, prout ipsa respicit actus privatorum civiles vel actus commerciorum.

616. R. 2: Contrahi potest societas pure vel conditionate, et quibuscumque pactis, modo æquitati ac legibus non adversentur; contractus enim est, qui partium consensione perficitur. Si tamen immobilia conferantur, requiritur scriptura ex Codice civili², ex quo hæc insuper præcipue notanda:

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 910. — Pavone, *Spicilegio*, § 54.

² Item ex jure observandum est, quod societas universalis inter illos tantum obtinere potest, qui valent de rebus disponere, quique reciprocam utilitatem sibi acquirere non prohibentur ob violationem jurium aliarum personarum: qua ratione non potest, v. g., hæc societas iniri inter matrem et filium ejus naturalem. Societatem autem particularem contrahere nequeunt tum sponsi ac conjuges inter se, nisi accedat auctoritas Præfecti

1. societas universalis absque ulla alia declaratione inita non inducit, nisi societatem universalem questuum; 2. quilibet sociorum absque aliorum consensu potest sibi adjungere alium quoad suam portionem, non tamen in societatem admittit; 3. socii non tenentur in solidum ob debita societatis non commercialis: neque unus alium potest obligare sine facultate expressa.

617. R. 3: Contractus societatis est utique licitus quando requisitis conditionibus fulciatur; quia nihil tunc eidem deesset ex iis, quæ in jure præcipiuntur ad constituendum contractum proprie dictum atque legitimum. Adde illam apud omnes gentes esse in usu, ac valde ad commercium conferre. Conditiones præcipuæ requisitæ sunt:

1. Ut societas fiat in negotiatione honesta; nam *delictorum turpis atque sæda communitio est*¹.

2. Ut damnum sortis quæ casu perit, spectet dumtaxat ad dominum; quia caute distinguendus est contractus societatis a mutuo. In mutuo sors data alienatur et ejus dominium transfertur in mutuatarium, cujus proinde fit proprium periculum et commodum, damnum et lucrum: sed in contractu societatis qui sortem confert, eam non alienat a se: sed tantum confert ejus commoditatem, ut habet D. Thomas². Hinc in vera sententia finita societate, prius reddenda est sors domino pecuniæ, si ea non perit; et postea lucrum, si quod remanet, inter socios dividendum. Et hoc firmatur a Sixto V Bulla *Detestabilis*: quare si quis ad negotium confert navem et alter operam, completo negotio, navis ipsa tota debetur domino (navis enim non nisi ad usum data fuit); dein lucrum dividendum: et quidem pro rata, habita nempe ratione industriæ ex una parte, et commoditatis per pecuniam ha-

Tribunalis, qui cavere debet ut omnia legis præscripta serventur; tum eeteri, qui se obligandi habentur incapaces. C. Ped. 1855.—C. A. 1778.—C. S. 1704.—C. P. 1750.—C. M. 1756.—Nulle société universelle ne peut avoir lieu qu'entre personnes respectivement capables de se donner ou de recevoir l'une de l'autre, et auxquelles il n'est point défendu de s'avantager au préjudice d'autres personnes.—Cod. civ. Gall., art. 1840. Not. edit.—¹ *Dig.*, l. XVII, t. II, *Pro socio*, lege 53.

² 2, q. 78, a. 2. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 907.

bitæ ex altera; idque juxta communem existimationem lucri, quod ordinarie fieri solet de pecunia negotiationi applicata; secus non servaretur æqualitas. Quum enim socii in jure habeantur quasi fratres, certo repugnat quælibet inæqualitas, ut si quis vellet percipere de lucris, et nulli subijci damno: hæc esset illa societas, quam *leoninam* appellant, merito reprobata¹. Observandum autem est, injustum esse illud pactum, vi cujus empta merce, ante omnia (ipsa durante societate) restituatur domino capitale ac deinde quod superest æqualiter dividatur; quia ponenti pecuniam minuit periculum sui capitalis, dum ab initio illud salvat ab omni periculo: mercator vero, si postea pereat merx, subjacet sine compensatione periculo capitalis ac lucri.

3. Ut uterque socius subeat proportionatim onus damnorum et expensarum². Nomine *damnorum* veniant damna illa quæ solo intuitu societatis obveniunt socio, puta si ipse causa custodiendi aut transferendi aut comparandi merces diripiatur a latronibus³. Non tamen veniunt (seclusa conventionione) damna quæ remote occasione societatis socius patitur, uti si occupatus in societate prætermittat acquirere legatum sibi relictum, negotiis domus suæ providere, etc. Si autem causa societatis vulneretur socius vel ejus servus a latronibus, tunc jure solo expensæ curationis debent a consociis in communi sustineri⁴.

Nomine *expensarum* veniunt sumptus itinerum, transvectionum, solutionis vectigalium, conservationis mercium, etc. An autem socius itinerans societatis causa possit sibi deducere omnes itineris expensas, ex pecunia communi, alii negant; quia societas non tenetur præstare sumptus quos ipse socius domi fecisset; ergo neque illos quos fecit in iti-

¹ Sic dicitur ab apologo leonis, qui pactum inierat cum ceteris feris, ut ipse participaret prædis omnibus; non tamen labori et periculis.—Cod. Ped., art. 1878.—C. A. civ., § 1196.—C. G., art. 1855.—C. S. 1727.—C. P. 1745.—C. M. 1759.—V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 907.

² Lege *Cum duobus*, § Quædam sagac., ff. pro socio.

³ Loc. cit. V. Bonacina, *De Contr.*, d. 3, d. 4.—Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 905.

⁴ Loc. cit. I. *Cum duobus*, § Quidem, etc.

nere, nisi fuerint excedentes : ita si necessario in itinere quis consumpsit centum, et domi non consumpsisset ex propriis nisi quinquaginta, societas debet illi refundere alia quinquaginta. Verum alii concedunt omnes itineris sumptus posse deduci, nisi diversa sit consuetudo aut conventio. Hæc secunda sententia videtur probabilior utpote juri conformior¹; sed quia primam non audeo improbabilem dicere, ideo censeo, quod si bona fide socius sibi omnes expensas illas deduxit, poterit esse tutus in conscientia ; non autem si mala fide, quia cum opinione probabili et non certa non potest inchoari possessio.

618. *Quid (dices) de pacto, quod, sorte pereunte, commune sit illius damnum inter socios?* Si pactum illud importat etiam communionem sortis, si, v. g., dicatur, ut sicut damnum, ita et sors ipsa communis sit, licitum est pactum. Quia sicut ponens operam habet commodum, ut consequatur mediam sortis partem, quamvis illa de jure tota spectaret ad dominum ; ita æquum pariter est, ut sorte pereunte, ipse subeat partem damni, quamvis damnum sortis de jure ad illum non pertineret. At si pactum illud excludit sortis communionem, ut si dicatur : v. g., commune sit quidem damnum, sed domino suo sorte semper salva, tale pactum evidenter illicitum est et injustum ; cum nulla hic detur justa compensatio, ac proinde auferatur æqualitas.

619. *Q. 2. Quando nam censetur inter fratres et sorores contracta societas, et quid in ea servandum?*

R. Non censetur facta societas, nisi expresse vel ex conjecturis id deducatur, ut si fratres habeant patrimonium indivisum, et de communi mensa vivant. Excipe nisi omnes in aliquo negotio se exercent, vel nisi uno aut altero negotiante, ceteri conferant bona sua ; idque maxime si omnes conferant in commune cuncta omnino bona ad unumquemque spectantia. Si tamen unus majorem laborem conferat, potest plus accipere juxta æstimationem sui laboris ; item dicunt, fratrem posse sibi compensationem facere (secluso pacto con-

¹ Lege *Si fratres*, § si quis ex sociis ; et Lege *secundum Julianum*, § pro socio.

trario aut consuetudine), quando alter frater qui filios habet pro societate non laborantes, multo plus insumit in alenda familia, quam insumat qui filios non habet.

Si autem aliquis frater absens negotietur communi nomine ex communibus bonis, intelligitur habere societatem, usque dum moneatur a ceteris fratribus, velle ipsos divisionem facere ; et tunc de se neque desinit societas pro negotiis jam inceptis. Ita Bartolus, Bonacina, Roncaglia, Giribaldus et alii communiter.

620. *Q. 5. Quot modis finitur societas?*

R. Contractus societatis finitur : — 1. finito tempore ad negotiandum constituto, aut finita negotiatione ; — 2. mutuo sociorum consensu, cum mutuo consensu fuerit firmata societas ; — 3. morte alterius socii naturali. Cum in societate eligatur personalis industria mercatoris, neque præcisi possit quanta futura sit industria hæredum ipsius, patet societatem ad hæredes minime transire, nisi aliter conventum sit. Item et per mortem civilem, cum hæc naturali æquiparetur quoad conventiones ; uti etiam per solemnem Religionis professionem, vel exilium. Item per interdictum vel decoctionem ; — 4. si socius vel egestate, vel infirmitate laborans, vel in carcerem conjectus non amplius possit pecuniam aut laborem promissum præstare ; vel si pereat pecunia collata ; — 5. si res ita mutatae sint, ut ipsa societas non amplius esse possit idonea : sed hoc in casu requiritur iudicis auctoritas ; sicut si unus ex sociis velit intempestive renuntiare¹. Hinc versus :

Tempus, consensus, mors, nulla potentia, iudex.

621. *Q. 4. Quid est contractus trinus et quid de eo?*

R. Ad 1 : Contractus trinus est ille, in quo simultanee cum una eademque persona concurrunt contractus societatis, assicuratio sortis et emptio lucri : v. g. Lucius confert mille aureos in societatem cum Titio ; en primus contractus societatis. Cum vero ex ea speret quindecim pro singulis centum, veritus

¹ C. Ped. 1888 et seqq. — C. A. civ. 1205. — C. G. 1865 et seqq. — C. S. 1757. — C. P. 1754. — C. M. 1768.

ne negotiando sua pecunia pereat, quinque ex eis cedit Titio, ut sortem sibi assecuret; en secundus contractus *assecuratio* nis. At sciens melius esse modicum certum, quam majus incertum, quinque alios sic speratos cedit Titio ipsi, ut quinque certa quidquid eveniat, sibi solvat; en tertius contractus *emptio lucri*. Duo Lucio certa sunt, sors collata et lucrum pactum.

R. Ad 2: Contractum trinum simultanee cum eadem persona initum Habert, Bouvier, Concina, Continuator Tournely, Merbesius, etc., negant esse licitum; nam per tales contractus societati adjunctos, societas ipsa destruitur, cum de hujus natura sit, ut damnum et lucrum stent ex utraque parte. Unde solum remanet lucrum *foeneratitium*; amovere enim omne periculum sortis, mutuum est; ex mutuo autem lucrum pacisci, usura est. Hic merito contractus trinus a Sixto V damnatus fuit Bulla *Detestabilis*.

Alii vero cum Lugo, Lessio, Laymano, Navarro, Roncaglia, Salmanticensibus, Sylvio, Sporer, etc., affirmant contractum trinum licitum esse; nam si tres hi contractus disjunctim valent, etiam conjunctim valere debent. Neque enim in contractibus per se attenditur diversitas personæ; sed æqualitas rei ad rem; et hæc bene adest, cum pro majori periculo et major tribuatur spes lucri. Neque destruitur societas; quamvis enim unus non sentiat incommodum periculi, sentit tamen incommodum minoris lucri. Neque obstat Bulla; vel enim usum non obtinuit, vel usu contrario est abrogata, vel dicendum per eam solos usurarios contractus fuisse reprobatos, uti aiunt Pontificem respondisse: quod quidem confirmavit Romana Rota. Hæc secunda sententia, quam plures tuentur Universitates, licet communior sit ac satis probabilis, est tamen valde periculosa in praxi: hinc expedit, ut prima universe omnibus suadeatur. Et Benedictus XIV ait, eam *minus congruere Sixtinæ Constitutioni*¹. Et ipsa civili lege videtur expresse reprobata².

¹ De Syn. Dicec., l. X, c. vii. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 908.

² C. Ped. 1878. — C. A. 1196. — C. G. 1855. — C. S. 1727. — C. P. 1745. — C. M. 1759.

Si autem duo tantum ex dictis contractibus simul cum eadem persona fiant, v. g., societas et venditio lucri non assecurata sorte: vel societas et assecuratio sortis, non venditio lucri, illicitum non est. Nam tunc societatis natura non resolvitur in mutuum usurarium; quando enim non assecuratur sors, manet ipsa in tribuentis dominio, ideoque ipsi crescit, decrescit, aut perit. Cum vero sors quidem assecuratur, sed non venditur lucrum, socius assecurans non fit dominus pecunie; de hac proinde disponere non valet, sed eam in negotiationem tenetur impendere. Item est si tres dicti contractus fiant utique cum eadem persona, sed successive, id est diverso tempore; et adsit bona fides, id est absit intentio tales contractus jungendi, tunc adhuc licent; nam idem est, ac si fierent cum diversis personis.

Art. V. — De mutuo et usura.

622. Q. 1. Quid est mutuum?

R. Mutui nomen juxta veteres jurisconsultos significat *aliquid ex meo tuum fieri*¹; sed mutuum aliquando sumitur pro ipsa re mutuo donata: aliquando et sæpius pro contractu, quo ea res alteri datur. Ex hoc ultimo sensu mutuum solet definiri: *Contractus, quo rei primo usu consumptibilis, per traditionem, dominium in alterum transfertur, cum obligatione tantumdem reddendi in eadem specie et bonitate post aliquod temporis spatium.*

Dicitur: 1. *contractus, quo rei primo usu consumptibilis*: quæ res est illud omne, quod illico usu destruitur vel re ipsa seu physice, vel commutatione seu moraliter sive civiliter. *Physice* destruitur quod natura sua consumitur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, oleum, vinum, sal, butyrum, fructus, etc. *Moraliter* vero destruitur pecunia mutuo data, quæ licet usu non pereat in se, ei tamen perit qui illam alteri tradit². Unde patet in rebus, quæ usu

¹ L. II, ff. de rebus creditis. In sensu proprio et genuino mutuum retributionem quamdam et reciprocaionem significat, qua dato par redditur: hoc sensu Tullius ait, quod in amicitia mutuum adest. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 754.

² C. Ped. 1915. — C. A. 985. — C. G. 1892. — C. S. 1764. — C. P. 1975. — C. M. 1955.



non consumuntur proprie mutuum obtineri non posse, sed commodatum aut locationem haberi.

2. *Per traditionem dominium in alterum transfertur.* Dicitur *per traditionem*, ut indicetur hunc esse contractum realem, qui sola rei traditione fit. *Dominium transfertur*; qui enim rem mutuo accipit, ea uti potest, alioquin merum esset depositum: at concipi non potest quomodo illa uti queat, si ejus dominium non habeat; cum illa sit usu consumptibilis, et nemo possit ad libitum consumere quod suum non est¹. Ex quo etiam patet omne rei mutuatae periculum devolvi ad eum qui accipit, ut ait ipse civilis Codex.

3. *Cum obligatione tantumdem reddendi*, et quidem *in eadem specie*, v. g., pecuniam pro pecunia. Hoc patet per se; si enim res traderetur absque ulla obligatione eandem restituendi, esset donatio. Si autem res non similis esset reddenda, v. g., vinum pro frumento, esset permutatio. Si vero res identica, seu eadem physice et in individuo esset reddenda, v. g., idem equus, qui traditus fuit, esset commodatum vel locatum, non mutuum. Imo *et in eadem bonitate*; quia qui mutuum dat, servari debet indemnis; atqui talis non servaretur si res similis in eadem bonitate non redderetur: uti si vinum commune redderetur et ordinarium pro generoso et optimo.

4. *Post aliquod temporis spatium*: sic mutuum distinguitur a cambio, in quo aurum, v. g., pro argento statim datur: a precario, quo res ad mentem concedentis tribuitur, sed reddi debet statim ac a domino expostulatur. Ex his colligitur mutuum esse contractum *realem*, quia sola traditione rei perficitur; *non solemnem*, quia a lege nulli speciali formae subicitur; *unilateralem*, quia nulla directa obligatio urget mutantem; *gratuitum*, quia per se censetur dumtaxat in mutuatarii gratiam initus.

Qui mutuum dat, dicitur *mutuans* vel *mutuator*. Qui vero illud accipit, appellatur *mutuarius*. Res autem, quae mutuo

¹ Res usu consumptibilis dicitur etiam *res fungibilis*, ideo quia potest fungi vice alterius; sic vinum quod consumitur, potest ab alio vino substitui.

datur et capitale constituit, *sortis* nomine solet in Scholis appellari¹ (S).

623. Q. 2. *Quinam mutuum dare, et accipere possunt?*

R. ad 1: Mutuum dare possunt omnes, qui liberam habent honorum suorum administrationem, neque lege prohibentur. Sic civili lege prohibentur interdicti, minores sine auctoritate tutoris, uxores sine viri consensu, filii familias si de re patris agatur, praesides Provinciarum et socii si de re communi sit sermo.

R. ad 2: Mutuum recipere possunt omnes, qui possunt ex contractu obligari, si ex civili jure excipiuntur filii familias, etsi majores, quibus Senatus-Consultum Macedonianum² dare vetat pecuniam mutuum: et si fuerit iisdem data, repeti non potest neque post emancipationem, licet filius familias habuerit fidejussorem. Attamen in eodem jure plures notantur casus, in quibus filius ex mutuo accepto obligatur; nempe: 1. si filius familias possideat bona propria, quorum vel administratio, vel ususfructus sit penes ipsum; 2. si separatim vivat a patre propria bona administrans; 3. si mutuum detur filio longe a paterna domo, sed in necessariis, vel si fuerit datum in utilitatem ipsius patris, aut de illius consensu: casus nempe esset, si ipse pater filium praeposuerit negotiationi. Quae civilis juris dispositiones satis probabiliter obtinent etiam in conscientia; cum lata sit causa publici boni familiarum, ne scilicet filii haereditatem dilapident ante ejus consecutionem, et cupiditati dediti tristem exitum sentiant, ut non raro lugendum est³.

624. Q. 3. *An aliquando adsit praecipuum dandi mutuum?*

R. Quadruplex personarum classis distinguenda. *Prima* divitum, eorum nempe, qui mutuum postulant ad suas augendas opes. *Secunda* item divitum, qui hic et nunc mutuo

¹ A veteribus Latinis hoc vocabulum desumptum est; nam Terentius ut indicaret se timere ne amitteret bona sua *capitalia*, sic ait: *De sorte nunc venio in dubium.*

² A quodam Macedone, qui malis artibus pecuniam mutuum tradebat filiis familias.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 757. — Ferraris, *Biblioth. can.*, etc., v^o Mutuum.

indigent, v. g., ad litem magni momenti definiendam, vel ad grave damnum declinandum. *Tertia* pauperum, qui tamen fundatam spem habent fore, ut sibi bona obveniant, v. g., ex hæreditate vel industria. *Quarta* item pauperum, sed quorum talis conditio sit ut rationabiliter judicare non liceat, eos unquam habituros quo solvere queant. His positis :

Dicimus : nullum est præceptum dandi mutuum personis primæ et quartæ classis. Non primæ; quia nulla laborant necessitate : non quartæ; quia frustra daretur sub onere restituendi, cum bona quibus restituant neque habeant neque unquam præsumi valeant habituri : unde ipsis per eleemosynam subveniendum est. At stricta adest charitatis obligatio mutuum ex superfluis suppeditandi personis secundæ classis; nam quilibet ex charitate tenetur alteri facere quod sibi fieri rationabiliter ipse vult : atqui rationabiliter vellet quilibet, ut alter sibi de superfluis mutuo subveniret, si in dicta divitum conditione esset constitutus. Strictissima vero est hæc obligatio, si agatur de personis tertie classis; adest enim strictissima obligatio pauperibus indigentibus subveniendi vel per mutuum vel per eleemosynam : atqui eleemosynam elargiri non oportet iis qui bona præsumuntur aliquando consecuturi; ergo restat, ut subveniatur illis per mutuum.

625. *Quænam sunt (quæres) obligationes mutuantis ac mutuarii?*

Mutuans tenetur : 1. de damnis, si quæ obverint, casu quo scienter rem vitiosam tradiderit; 2. non repetere mutuum ante tempus præfinitum; et si nullum sit tempus hujusmodi, iudicis erit ratione adjunctorum illud definire¹. Mutuarius vero regulariter loquendo tenetur : 1. res mutatas restituere eo tempore ac loco, quo fuit conventum; et in eadem quantitate ac qualitate. Quod si haud possit, attendi debet æstimatio rerum ipsarum; 2. solvere rerum usuras a iudiciali petitione, si non restituat tempore statuto. Imo si sit in mora culpabili, tenetur etiam de damnis, quorum est causa².

¹ C. Ped. 1926 et seqq. — C. G. 1898 et seqq. — C. S. 1770. — C. P. 1974. — C. M. 1957.

² C. Ped. 1950. — C. G. 1902 et seqq. — C. S. 1774. — C. P. 1978. — C. M. 1961.

626. Q. 4. *Quid est usura, et quomodo dividitur?*

R. ad 1 : *Usuræ* nomen ab usu deductum est, et significat usum quemcumque rei sive bonus sit sive malus : mos tamen invaluit, ut in malam partem assumatur¹. Usura autem communiter definitur : *Lucrum ex mutuo proveniens immediate, seu præcise vi ipsius mutui.*

Dicitur 1. *lucrum*, quo nomine intelligitur non solum pecunia, sed res quælibet pecunia æstimabilis, vel onus quodcumque mutuatorio impositum, ad quod alioquin non teneretur. Ex quo deducitur quidquid non est pretio æstimabile, vel quod jam aliunde debitum est ex justitia, non posse obiectum usuræ constituere; quia non est lucrum indebitum. Hoc lucrum ex mutuo proveniens appellatur etiam *auctarium* (vocabulum a Plauto adhibitum ad significandam utilitatem alicui rei quasi *superadditam*) : sed vulgari vocabulo nuncupatur *intèret*.

2. *Ex mutuo proveniens*; quia ex communi hominum sensu in solo mutuo usura proprie habet sedem : et si in aliis contractibus aliqua contingat injustitia, non appellatur *usura*, nisi ibi revera existat mutuum saltem implicitum. Additur autem : *immediate, seu præcise vi ipsius mutui*; quia non est usura aliquid percipere solum occasione mutui, ob titulum honestum et mutuo ipsi extrinsecum.

R. ad 2 : Usura alia est *explicita*, si nempe expressa fiat conventio de illa solvenda. Alia *implicita*, et locum habet cum mutuans nullam quidem init conventionem de lucro; sed sufficienter declarat aliquo suo actu, se illud expectare : veluti si dicat, se indigere ut sua pecunia aliquid sibi producat. Alia *palliata* quæ intervenit, quando in alio contractu implicite continetur, ut evenit in cambio sicco, atque in contractu mohatra. Iterum alia est *realis*, et est quando ex aliquo pacto sive explicito sive implicito ea percipitur. Alia *pure mentalis*, quando nempe in solo animo intenditur vel speratur, sine ulla vera usuræ datione. Alia *mentalis*, et est

¹ Hæc dicitur etiam *fenus* a græca voce, quæ fœtum significat, eo quod pecunia licet de se sterilis, fœtum tamen seu fructum pariat. Ab Hebræis autem appellatur *nasebech*, id est morsus; *tharbith*, id est incrementum, seu superabundantia. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 758.

quando usura revera percipitur, nullo tamen præcedente sive implicito sive explicito pacto.

627. Q. 5. *An usura proprie dicta, id est lucrum ex mutuo immediate proveniens vi ipsius mutui prohibeatur?*

R. Id negant Judæi putantes, sibi a Deo omnem usuram erga extraneos licitam esse¹. Id negant quoque Pseudo-Reformati, Calvino duce, ac præsertim Molinæus et Salmasius affirmantes usuram non esse prohibitam, nisi in quantum est contra charitatem; secus licitam esse uti pretium locatæ pecuniæ, etsi ratione ipsius mutui exigatur; quam sententiam fortiter tenuerunt Jansenistæ in Bataviam profugi. Nonnulli autem Catholici duplex mutui genus distinguunt, alterum *consumptionis*, quo pecunia ad consumptionem datur maxime pauperibus, alterum *incrementi seu commercii*, quo res traditur ad negotiandum; in illo lucrum reprobant, in hoc permittunt: in hoc tamen Catholici ab hæreticis semper discrepant, quod isti præcise ratione mutui auctarium exigant; illi autem nonnisi aliqua ratione ipsi mutuo extrinseca.

His præmissis dicimus cum Benedicto XIV²: *Omne lucrum ex mutuo præcise ratione mutui, ut loquuntur Theologi (hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto) usurarium atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico illicitum esse, perpetua fuit et est catholice Ecclesie doctrina, omnium Conciliorum, Patrum et Theologorum unanimi consensione firmata.*

1. *Jure naturali*; jus enim naturale, id est ipsa hominis ratio clamat esse prorsus contra justitiam commutativam in illis contractibus, in quibus ex propria eorum essentia servanda est æqualitas, plus exigere aut accipere (vi eorundem contractuum et secluso alio titulo), quam valeat res ipsa quæ datur; atqui exigere vel accipere aliquid supra sortem in mutuo ratione ipsius mutui est exigere vel accipere plus quam valeat res data. Vel ipsi gentiles solo naturali lumine usure iniquitatem abominati sunt, uti Plato, Cicero, Seneca alique. Hoc argumentum sic ferme prosequitur Angelicus: *Licet in re, quæ usu non consumitur, v. g., in fundo, in equo et similibus, usus a re ipsa distingui possit; in re tamen consumptibili, v. g., in vino, in tri-*

¹ Deut. xxiii.

² De Syn. Diac., l. X, c. iv. — V. Alasia, Billuart, etc.

tico, in pecunia, nullus nec adest nec adesse potest usus ejusdem rei a dominio diversus; cum usus rei sit ipsa rei consumptio: et ideo in mutuo dominium rei ex natura sua transfertur in mutuatarium. Ergo si quid exigeretur pro usu rei consumptibilis, exigeretur profecto pro re quæ non extat, ideoque exigeretur injuste¹.

2. *Jure divino* tam in veteri, quam in novo fœdere. — In veteri Realis Psaltes habet: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?... qui pecuniam suam non dedit ad usuram et munera super innocentem non accepit*². Sic etiam Ezechiel inquit: *Si genuerit filium latronem effundentem sanguinem... ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet; cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur: sanguis ejus in ipso erit*³. — In fœdere autem novo habemus illud Christi: *Mutuum date, nihil inde sperantes*⁴: quibus verbis expresse usuram prohiberi concors fuit Conciliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia, uti ait laudatus Benedictus XIV.

3. *Jure ecclesiastico*, uti constat ex integro titulo *de usuris* in Corpore Canonici juris, ubi Alexander III (1180), Urbanus III (1186), Innocentius III (1215) alique Pontifices usuras gravissime damnant, ac usurarios gravissimis pœnis mulctant: nempe usurarius, si publicus sit ac notorius, arceatur a Communione altaris, absolute pro foro pœnitentiæ privatur, infamis habetur, ac si impœnitens moriatur quin satisfecerit, sepultura ecclesiastica privatur⁵. Adde Encyclicam Benedicti XIV *Vix pervenit* (die 26 junii anni 1749), quæ quidem tota in eo est, ut usuram proprie dictam diris perpetuo devoveat. Adde Concilia, uti Eliberitanum (305), Nicænum generale I (325), Carthaginiense I (348), Agathense (506), Lateranense generale V sub Leone X (1517). Imo in Viennensi generali sub Clemente V (1311) aperte declaratur *veluti hæreticum esse puniendum* qui præsumit, contrarium docere. Unde Bossuet non dubitat affirmare, hoc esse de fide⁶: idque hodie maxime post Benedictinam Encyclicam. — Adde SS. Patres: Ambrosius ait: *Quodcumque sorti accedit, usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est*⁷. Et Augustinus: *Si plus quam dedisti (inquit) expectes accipere, fenerator est, et in hoc improbandus, non laudandus*⁸.

4. *Unanimi Theologorum consensu*: de quo certe dubitari non potest; cum vel ipsi adversarii fateantur, a S. Thoma ad nos usque omnes scholas id semper constanter docuisse.

¹ 2, 2, q. 78, a. 1. — ² Ps. xiv. — ³ Cap. xviii. — ⁴ Luc. vi.

⁵ Cap. *Quia in omnibus de usuris*; et cap. *Quamquam*, in 6.

⁶ *Traité de l'usure*, prop. v. — ⁷ Liber Tob., c. xiv. — ⁸ In Ps. xxxvi.

628. *Quid (dices) si usurae jam acceptae sint, atque illae jam fructum producerint? Cum fructus, qui ex mutuata pecunia proveniunt, producantur a re, vel potius occasione rei usu consumptibilis, per se loquendo non debent restitui; quia cum res illa fructus ex se non producat, fructus sunt industriae, non rei: unde ei debentur qui industrie egit. Hinc patet diversitas a re, quae non consumitur usu; tunc enim cum usura sit a re quae usumfructum importat, ut domus vel ager, qui illam accepit, non solum teneretur restituere domum vel agrum: sed etiam fructus inde perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum alius est dominus, et ideo ei debentur.* Ita Angelicus¹.

629. Q. 6. *Quid de iis, qui sunt causa, ut usurae solvantur?*

R. Isti non solum peccant; sed tenentur etiam ad restitutionem, casu quo usurarius, qui primo loco tenetur, non restituat; cum efficaciter influant in alterius damnum. Hinc tenentur: — 1. consulentes, nisi id egerint in gratiam mutuatarum; consentienti enim nulla fit injuria; — 2. iudices, advocati, notarii, consules, legislatores, omnesque potestates, quae vel non excludendo a proprio territorio usurarios, vel aliter in causa sunt, ut solvantur usurae: qui insuper a Clemente V in Concilio Viennensi ipso facto excommunicantur²: excipe nisi ad majora mala vitanda usurarios permittere expediret. Et ideo civiles ac moderni legislatores in habitatos usurarios tantummodo animadvertere solent illius Baconis rationem quasi habentes: « Si usura penitus extirpari nequit, saltem illius dentes limandi sunt, ut sic minus mordeant. »

630. *Quid (dices) de haeredibus usurarii qui usuras non restituerit? Tenentur haeredes usuras restituere secundum vires hereditatis, si usurarius ipse non restituat; cum collective sumpti in bonis defunctum repraesentent. Utrum autem haeredes usurarii (sicuti alterius debitoris) teneantur in*

¹ 2, q. 78, a. 5. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 757, 765, 775, 785 et seqq. — Ferraris, v° *Usura*.

² Clement. *Ex gravi*, de usuris, l. V, tit. v. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 787.

solidum ita, ut uno deficiente, alter totum debitum solvere debeat, disputant¹. Affirmant plures canonistae cum Sylvio; nam singuli haeredes repraesentant personam testatoris et succedunt in ejus jura et onera. Verum satis probabiliter negant Habert, Billuart, Cajetanus, Collet, Lessius, etc. Imo Bouvier ait, quod haec sententia sibi certa videtur; nam obligatio debita solvendi afficit immediate personam, mediate bona debitoris: unde in omni casu singuli haeredes non contrahunt obligationem, nisi quatenus simul sumpti personam defuncti repraesentant: sed *partialiter* tantum in ejus bona singuli succedunt; ergo pro parte sua tantum singuli tenentur. Excipe 1. nisi omnes haeredes delicto defuncti cooperati sint; 2. nisi res ipsa usuraria penes unum extaret: tunc haeres, qui eam habet, integram reddere debet, quia res quaelibet clamat ad dominum; habet tamen regressum, seu jus aequam exigendi compensationem e suis cohæredibus, ne solus onera hereditatis sustineat.

631. *Quid (quæres) dicendum de famulis, qui dominis usurariis cooperantur? Si agitur de famulis non principalibus, qui nempe tantummodo scribunt, pecunias enumerant, pignora deferunt et similia operantur, isti neque peccant, neque tenentur ad restitutionem; quia ipsorum opera non censentur directa in damnum cooperatio.*

Si vero sermo sit de famulis principalibus, qui nempe usuras exigunt, distinguendum est: *vel* isti cooperantur in re debitoribus ingrata, v. g., eos cogendo ad solutionem et

¹ *Sit casus.* Joannes et Paulus habent ex hereditate patris quisque 10,000 florenos. Pater moriens debebat 2000 florenos sive ex delicto, puta usuris, sive ex contractu (non enim putamus inter hæc debita faciendam esse distinctionem quoad præsentem casum, ut quidam faciunt). Constat apud omnes, quod quisque debeat restituere seu solvere mille florenos. Sed Joannes non vult aut non postest suum mille restituere, forte quia jam expendit suam hereditatem; tenenturne Paulus totum, hoc est 2000, restituere? Et quidem si bona hereditatis forent pro istis 2000 hypothecata, iterum extra dubium foret, uno deficiente, alterum teneri ad totum; quia hypotheca non dividitur, sed est in qualibet parte boni hypothecati: consequenter confert creditori facultatem jus suum totum prosequendi ubicumque potest. Restat ergo solum difficultas de bonis hereditatis non hypothecatis, sed obligatis tantummodo personaliter. Ita *Billuart*. Idem dicendum est de hereditibus furis, cum par sit ratio.

apodixas subscribendo : *vel cooperantur in re iisdem non ingrata, v. g., hortando simpliciter ad solutionem, vel usuras exigendo sine ulla coactione.* Si 1, videtur probabilius famulos et peccare et teneri ad restitutionem in defectu dominorum; cum vere sint causæ injustæ in damnum alterius proxime cooperantes. Si 2, famuli non videntur peccare; quia in hoc casu eorum cooperationi debitores non censentur invitari. Verum non excusarem usuras exigentem a peccato cooperationis ratione solius famulatus; sed gravior videtur requiri causa ad præbendum hujusmodi concursum volenti peccare: saltem requiritur metus gravis damni¹ (T).

§ unicus. — Tituli, vi quorum licet aliquid supra sortem exigere.

632. Q. 1. *Quid est titulus, vi cuius aliquid exigi potest in mutuo?*

R. Tituli nomine hic intelligitur ratio, cujus intuitu aliquid in mutuo exigitur. Titulus vel est mutuo *intrinsicus*, qui ita ejus substantiam ingreditur, ut nequeat separari: esset aliqua temporis mora in eo restituendo. Vel est idem *extrinsecus*, qui non semper et necessario illud comitatur: ut est damnum, quod inde mutuanti evenit.

Ob titulum intrinsicum nihil profecto exigi potest; secus vi mutui exigeretur, ideoque contra præceptum Domini, cum mutuum natura sua omnino gratuitum sit. Hinc damnata est ab Innocentio XI hæc sub n. 41 propositio: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuuario accipere, et eo titulo ab usura excusari;* hoc enim est prorsus et ex se mutuo intrinsicum.

Ob titulum vero extrinsecum, si legitimus sit, bene poterit aliquid repeti: quia tunc nulla habetur mutui ratio. Qui titulus quadruplex distinguitur: 1. *damnum emergens*, 2. *lucrum cessans*, 3. *pœna conventionalis*, 4. *periculum sortis*. Quoad legem civilem disputatur.

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 788 et seqq.

633. Q. 2. *An liceat mutuanti exigere quod sibi interest ob titulum damni emergentis, ut vocant, et lucri cessantis?*

R. *Aliquis*, ait Angelicus, *damnificatur dupliciter: uno modo, quia aufertur ei quod actu habebat (et dicitur damnum emergens)...; alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur quod erat in via habendi (et dicitur lucrum cessans¹).* Quo posito dicimus: tam ob damnum emergens, quam ob lucrum cessans licet mutuanti quod sibi interest causa mutui exigere mutuuario, si conditiones debitæ intersint: *Hoc enim*, ait idem Doctor, *non est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare².* Et sane: non patitur æquitas, ut quis lucrum amittat vel damnum sentiat ex beneficii collatione; *ne igitur dispendium patiatur, unde videtur premium meruisse³,* mutuator tuta conscientia exigere potest totum quod sibi interest. Adde id expresse probari Bulla Benedictina. — Diximus *si conditiones debitæ intersint*, quæ sunt:

1. Ut interesse ab initio in pactum deducatur, præmonito mutuuario de titulo damni emergentis et lucri cessantis vel de alio titulo qui extet, pro quo aliquid ultra sortem exigere vult; nam post contractum mutuans nequit amplius exigere, etiamsi damni emergentis et lucri cessantis fuerit immemor: *Debebat enim ille qui pecuniam mutuavit*, ait Angelicus, *sibi cavisse, ne detrimentum incurreret; nec ille, qui mutuo accipit, debet damnum incurrere de stultitia mutuantis⁴.*

2. Ut illico non exigatur; secus non totum realiter tribueretur: sic si mutues 100, et statim pro lucro cessante accipias 5, revera non mutuas 100, sed 95. Unde eo in casu privares mutuarium commoditate partis mutui.

3. Ut non plus exigat mutuans, quam sit damnum quod patitur, aut lucrum quod sperat ex alio contractu licito juxta æstimationem spei et periculi, ac deductis expensis; id enim tota est ratio exactionis.

4. Ut mutuum vera sit causa damni emergentis aut lucri

¹ 2, 2, q. 62, a. 4. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 766 et seqq.

² 2, 2, q. 78, a. 2, ad. 1. — ³ *Decr. Greg.*, l. III, t. XXII, c. II.

⁴ *De malo*, q. 13, art. 4, *de avaritia*, ad. 14.

cessantis; nam si mutuans aliam habeat pecuniam, quam ad negotiandum substituat; vel si lucrum quod amittit ob mutuum ex mercatura faciendum, vult alia via sibimet comparare, nequit quidquam exigere¹.

634. *Potestne (quæres) mutuator aliquid exigere etiam cum absque ullo incommodo valeat pecuniam aliam negotiationi substituere?* Affirmant probabiliter Layman, Lessius, Lugo et alii; quia vere tunc mutuatio est causa, ut mutuanti cesset lucrum ex pecunia illa speratum. Nec tenetur in gratiam mutuatarii pecuniam negotiationi haud destinata negotiationi exponere. Hoc tamen non videtur admittendum, nisi mutuator vere animum habeat pecuniam reservatam negotiationi minime substituendi per aliam, quam possidet.

635. *Quid verò (inquies) si damnum emergens, et lucrum cessans sint incerta, vel tantummodo probabiliter ad futura? Commune est cum Navarro, Salmanticensibus, Sylvio aliisque, adhuc aliquid exigi posse supra sortem; habita tamen et caute servata proportione inter timorem damni vel spem lucri, et auctarium quod in hypothesi acciperetur². Ratio quia debita æqualitas jam inde servatur; nam sicut damno non eveniente, lucraretur mutuator; ita contra eo eveniente, lucraretur mutuatarius.*

Ob eandem rationem probabile videtur mutuatorem, qui non jam certo, sed probabiliter tantum erat pecuniam mutuo datam destinaturus ad negotiationem, posse aliquid exigere pro rata illius probabilitatis. Neque dicas, posse igitur exigi etiam ob possibilitatem applicandi pecuniam illam ad negotiationem; nam possibilitas differt a probabilitate; illa non aliud est, quam mera potentia passiva, sive non repugnantia applicationis, seu quid negativum; hæc est fundamentum alicujus spei, quæ, si actu existit, est pretio æstimabilis.

636. Q. 3. *An liceat in mutuo pacisci de pœna solvenda a mutuatario, si sortem non reddat tempore definito?*

R. Licet utique hanc pœnam solvendam pacisci ex com-

¹ Excipe nisi esset major molestia habenda in tentanda diversa via; vel nisi pecuniam illam reservaturus esset in usum familiae. Tunc posset aliquid exigere pro rata; quia nemo tenetur causa mutui alicui traditi negligere providentiam sui aut suorum.

² Nec refert, quod damnum prævisum non accidit; etenim pactum de auctario non fit pro damno, sed pro periculo ejusdem, quod actu supponitur, et est pretio æstimabile. Res explicabitur exemplo piscatoris, qui vendit jactum retis: iste non vendit quidem pisces qui forte nulli capientur; sed vendit spem eorum probabilem, quæ actu existit, et est pretio æstimabilis.

muni sententia, quam defendunt Cabassutius, Lessius, Tournely et alii; nam ea apponitur, ut contractus firmitati consulatur, et impediatur negligentia mutuatarii. Observandum tamen pactum hoc non esse licitum, nisi:

1. Mora debitoris sit notabilis et culpabilis: notabilis, nam aliqua mora est mutuo intrinseca; culpabilis, nam qui non peccavit, non est puniendus; — 2. absit animus lucrandi per illam pœnam: qui animus adesse præsumitur, si debitor oneretur obligatione restituendi sortem eo tempore, quo certo scitur, eum solvere non posse; — 3. pœna sit moderata et culpæ proportionata, alioquin injusta esset: probabilis autem ante sententiam debita est; nam magis habet rationem pacti quam pœnæ, licet et pœna sit, ut ait Tournely.

Mutuanti (quæres) licetne aliquid supra sortem exigere, si obliget se ad sortem brevi non repetendam? Communiter negant, si conditio sit non statim repetendi; quia hoc est intrinsece inhærens mutuo: idque videtur declarasse Alexander VII damnando hanc sub n. 42 propositionem: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus¹.*

637. *Quid (dices) de pactis generatim in mutuo apposisis?*

Tunc pactum in mutuo est usurarium, cum est pretio æstimabile; nam tunc onus et gravamen importat. Hinc usurarius est qui mutuat alteri, ut sibi patrocinetur, ut suum agrum emat, domum locet; quia mutuatario onus imponitur, quod

¹ V. Lignori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 767, 774 et seqq. Id tamen non impedit, quominus non videatur sua aliqua probabilitate donari etiam sententia Sporer, Medina et Henriquez, qui docent licere aliquid supra sortem exigere pro obligatione suscepta de non repetenda sorte, nisi post *multum tempus*, v. g., post tres vel quatuor annos. Aiunt enim: Etsi in mutuo sit jam per se obligatio illa expectandi restitutionem sortis per aliquod temporis spatium, non est tamen obligatio eam expectandi per *multum tempus*. Addunt cum mutuans suscepit in se obligationem expectandi sortis restitutionem per tempus extraordinarium, et ideo aliquid accipit supra sortem, non accipit ratione commoditatis, qua privatur: sed ratione oneris peculiaris et extra ordinem, quod est pretio æstimabile. Propositio autem damnata ab Alexandro VII per verba generalia, quibus concipitur, complectitur expectationem temporis cujuscumque, etiam illam, quæ mutuo intrinseca est, unde potest explicari; non enim dicit *usque ad longum tempus*; sed *usque ad certum tempus*.

a natura mutui non est, et quod ipse aliunde, uti supponitur, non debet præstare.

Non est vero usurarius qui exigit rem jam debitam ex justitia, nempe ut desistat a privata vindicta, ab injusta vexatione; nihil enim novi oneris imponit. Item si exigit quod pecunia non appretiat, uti est benevolentia, amicitia: modo tamen id in pactum non deducatur: secus jam esset debitum et onerosum. Hinc sub n. 42 damnata est ab Innocentio XI hæc propositio: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur... ex benevolentia et gratitudine debitum; sed solum si exigitur tanquam ex justitia debitum*: ubi notandum est cum Viva, quod damnatio cadit in verba *et gratitudine debitum*; neque enim mutuarius obligandus est ad satisfaciendum bonis suis obligationi gratitudinis, cum possit aliis modis; ideoque onus imponitur. Attamen per hoc non est prohibitum benevolentiam expectare; etenim ex quolibet beneficio ea jam per se et sui natura sequitur: ita ferme Angelicus¹ (U).

638. Q. 4. *An liceat in mutuo aliquid supra sortem exigere ratione periculi illam amittendi?*

R. Quamvis hic titulus a nonnullis rejiciatur, communiter tamen admittitur cum Antoine, Billuart, Lessio, Lugo, Sylvio et aliis innumeris. Et merito; nam, uti docet Angelicus, suscipere tale periculum est pretio æstimabile². Idque firmat S. Congregatio de Propaganda Fide, approbante Innocentio X, 12 sept. 1645. Item S. Pœnitentiaria anno 1815, prout refert Bouvier. Item Lateranense V, ubi pro usura damnatur quodcumque lucrum ex re infrugifera perceptum, secluso tamen titulo laboris aut sumptus aut periculi.

Verum requiritur: — 1. ut periculum sit verum et extraordinarium³ amittendi sortem, vel eam non recuperandi sine magnis expensis atque laboribus; uti si mutuum detur homini dubiæ fidei; alioquin nulla esset illius æstimatio; —

¹ 2, 2, q. 78, a. 2. — ² Opusc. LXXIII, c. VI.

³ Duplex periculum: *ordinarium*, seu generale ac omni mutuo intrinsicum, v. g., periculum ne incendio cuncta bona mutuarii pereant, sortem reddere nequeat: *extraordinarium*, extrinsecum quod non essentialiter in omni mutuo reperitur. Primum non æstimatur, utique secundum.

2. ut mutuans non teneatur mutuum alteri concedere ex præcepto charitatis ad præsentem ejus inopiam sublevandam, quia in hoc casu periculum esset mutuo intrinsicum; — 3. ut mutuator non recuset sortis assecurationem, si sibi offeratur, v. g., per pignus vel per fidejussionem; et non cogat mutuatarium ad tale periculum transigendum; hoc enim in casu periculum non esset reale, sed fictum¹.

639. Q. 5. *An lex civilis sit justus titulus exigendi aliquid supra sortem?*

R. Certum est legem civilem concedere mutuanti, ut ex mutuo aliquod auctarium percipiat, juxta taxam tamen ab ipsa lege definitam, quæ generatim est sex pro quolibet centenario in negotiatione; quinque tantum in aliis civilibus contractibus². An hæc legis civilis dispositio exhibeat etiam in conscientia titulum justum exigendi aliquid in mutuo supra sortem, magna est in re morali controversia, et nulla forsitan magis hinc inde agitata.

Multi cum D. Thoma, Bossuet, Gerdil, Lugo, Lessio, etc., negant; quia lex humana nihil potest contra legem Dei: at lex divina absolute vetat aliquid de mutuo exigere vi mutui. Unde SS. Patres humanas leges hæc de re semper improbarunt, uti Augustinus, Chrysostomus, etc. — Affirmant vero Croix, Gobat, Ledesma, Pichler cum pluribus modernis, etsi non omnes in asserendis rationibus concordent. Alii dicunt, quod Princeps potest dominium auctarii in mutuam transferre, eo modo quo legitime, ob bonum publicum, potest rerum dominium transferre de uno in alium, ut patet de præscriptione. Addunt alii, si id non liceret, commercium deficeret, lucrum in Regno cessaret, damnum emergeret; cum pauci tunc essent mutuantes: porro si licet pacisci de interesse ob damnum privatum, multo magis ob periculum damni publici. Alii aiunt circumstantias esse mutatas et bonum publicum nunc exigere, ut moderatum lucrum ex mutuo

¹ Quo sensu explicatur cap. *Naviganti* (Decr. Greg., I. VI, t. XIX, de *usuris*, c. XIX), quod quidem adversarii opponunt. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. III, n. 765.

² C. Ped. 1955. — C. A. 995. — C. G. 1905. — C. S. 1777. — C. P. 1608. — C. M. 1718.

percipi possit. Alii ultroneum et mutuuum totius societatis consensum invocant. Alii consuetudinem in orbe terrarum ubique etiam apud ipsos timoratos receptam¹. Alii tandem negant taxam legalem esse auctarium de mutuo seu usuram, quæ cum intrinsece sit mala, nulla lege nullaque de causa cohonestari potest. Sed contendunt præmium esse, quod lex tribuit divitibus, ut sic alliciantur ad pecunias mutuo dandas, quibus hodie maxime sustinentur commercia; æquum autem est, ut præmium solvat qui utilitatem percipit, nempe mutuatarius; et illud accipiat qui publicam prosperitatem promovet; nempe mutuans (V).

640. Verum frustra adducta argumenta controversiam dirimere valent, cum adhuc desideretur supremum Ecclesiæ iudicium, et rationes adhuc multæ sint ex utraque parte. Unde sat erit regulam tradere, qua et fideles in conscientia et Confessarii in tribunali Pœnitentiæ se gerere debeant. Nempe: ad fideles quod attinet, qui capitalia aliis tradunt, ut ex illis fructus percipiant juxta taxam legis civilis, dicimus ipsos *non esse inquietandos, neque cogendos ad restitutionem fructuum perceptorum, neque in foro Pœnitentiæ absolute Sacramentali iccirco esse privandos*; si tamen sint in bona fide et vere parati stare mandatis et definitionibus S. Sedis, si quando edentur.

Quod pertinet ad Confessarios, dicimus: 1. *Non esse inquietandos neque absolute privandos Presbyteros illos, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri ces-*

¹ Mastrofini, Maffei, Bolgeni, La Luzerne, Rossignol, etc., contendunt pecuniam natura sua sterilem non esse, nec primo usu consumi (nisi præbeatur pauperi illam impensuro ad propriam sustentationem); unde si ea tradatur ad negotiandum, non habetur mutuuum; sed vel commodatum vel locatum, prout ipsa vel gratis vel pretio datur. Vel si mutuuum est, a mutuo gratuito discriminatur, in quo utique nihil ultra sortem exigere licet. Qua in re vide clariss. prof. Cinotti in Opere, cui tit.: *Dissertazioni di un Canonico Poliziano regio professore di Teologia concernenti lo stato della disputa sull'usura principalmente nel secolo XIX con riscontro di Opere analoghe. Edizione 2^a, riveduta ed accresciuta.* Montepulciano, 1857: ubi doctrina Mastrofini contra Devecchi, Leopardi, Drach, aliosque impugnatores subtiliter ac ingeniose defenditur.

santis vel damni emergentis, quousque sancta Sedes definitivam decisionem emisit, cui parati sint se subicere; — 2. non esse inquietandos Confessarios, qui pœnitentes lucrum eodem modo percipientes absolvunt, si isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittant se obedire iudicio S. Pontificis, si illud aliquando interdicat.

Hæc responsio nostra continet summam Decretorum, quæ a sancta Sede, organo Pœnitentiariæ, ac supremæ Congregationis sancti Officii edita sunt¹. Cum vero prima conditio in allatis Decretis sit *bona fides*; et hæc non parvam adhuc in quorundam opinione faceretur difficultatem, ad eam penitus de medio tollendam atque ad alia simul præoccupanda dubia, quæ a Scholasticorum subtilitate possent excogitari, illustr. ac rev. DD. Galvano Episcopus Nicensis hanc iterum questionem S. Congregationi anno 1857 sapientissime proposuit: *An pœnitentes, qui moderatum lucrum solo legis titulo ex mutuo, dubia vel mala fide, perceperunt, absolvi Sacramentaliter possint, nullo imposito restitutionis onere; modo de patrato ob dubiam vel malam fidem peccato sincere doleant et filiali obedientia parati sint stare mandatis S. Sedis?* Die 17 jan. 1858 responsum fuit *affirmative, dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis*² (X).

¹ Hæc videre est simul collecta et propria authenticitate donata in Opusculo Taurini edito cura illius Metropolitæ 5 febr. 1855, cui tit. *Sanctæ Apostolicæ Sedis responsa circa lucrum ex mutuo ab anno 1822 ad febr. 1855.* Typ. Marietti.

² Autographum servatur in Actis Curie Episc. Nicensis. Quæ responsiones duo respiciunt: — 1. *lucrum moderatum* (ut erat in vigore cum illæ datæ sunt); si enim lex civilis nimis exorbitaret in lucro stabiliendo, adeo ut manifestam injustitiam includeret, certo non suffragarentur responsiones laudatæ; — 2. *ipsam taxam legis*; unde si lex civilis liberam cuique relinqueret taxam definiendam, non liceret in conscientia illam exigere (si superaret taxam legalem ab Ecclesia permissam), nisi quatenus adesset justus titulus ad normam juris naturalis atque divini, id est titulus damni emergentis, lucri cessantis, etc. Si enim libera hominum conventio faceret jus, actum esset de omni justitia; unde tunc dicendum est: quod lex civilis tolerat, lex naturalis, divina et ecclesiastica prohibet. — V. *Civiltà Catt.*, ser. III, vol. VI: *Guerra dei capitalisti contro la proprietà*; et vol. X: *Un avvocato dell'usura.*

Art. VI. — De donatione.

641. Q. 1. Quid est donatio et quotuplex?

R. Ad 1: Donatio idem sonat ac *doni datio*, et potest defini: *Liberalitas in alterum collata, seu liberalis traditio alicujus rei alteri facta actualiter ac irrevocabiliter, et ab eo acceptata*. Ex qua definitione deducitur ad donationem proprie dictam requiri: 1. liberalitatem omnino spontaneam ex parte illius, qui donationem facit, et dicitur *donans* vel *donator*; 2. actualem translationem, absolutam et irrevocabilem rei dono tradita in dominium illius, cui fit donatio, et dicitur *donatarius*¹; 3. acceptationem ex parte ipsius donatarii, ut habeatur perfecta donatio, ad quam quidem acceptationem etsi lege positiva generatim verba expressa requirantur², non tamen de sui natura; presenti enim et tacenti facta, censetur ab eodem acceptata; nam in favorabilibus *qui tacet consentire censetur* et acceptare. — Donatio est primus ex contractibus gratuitis, cum nihil importet oneris vel conditionis; sed usus rei et res ipsa ex se irrevocabiliter tribuatur. Si tamen deficient predictae conditiones, tunc dicitur *donatio impropria*.

R. Ad 2. Multiplex a juristis distinguitur donatio: est donatio *inter vivos*: ea fit absque ulla contemplatione mortalitatis, et donator vult rem dono traditam cito fieri propriam donatarii. Est donatio *causa mortis*, et fit contemplatione et intuitu mortis, et donator vult rem dono indicatam non fieri

¹ « Paul répète (ait el. Gousset) de temps en temps à son domestique qu'il veut reconnaître ses services; qu'il se propose de faire un legs en sa faveur, ou de lui donner une certaine somme d'argent. Paul meurt sans avoir fait aucune disposition au profit de son domestique. Celui-ci peut-il prendre la somme qu'il croit lui avoir été promise? Non; car autre chose est de donner, autre chose de former le projet de donner, d'en faire même une espèce de promesse vague et générale, sans avoir intention de s'obliger. »

² C. Ped. 4121 et seqq. — C. A. civ. 943. — C. G. 894, 932 et seqq. — C. S. 814 et 515. — C. P. 1886 et 1890. — C. M. 1859 et 1862. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 721.

propriam donatarii, nisi post mortem sui: hæc apud nos solo testamento fieri potest; unde a legato non amplius distinguitur. Est donatio *mere gratuita*, quæ procedit a sola donantis liberalitate. Est tandem donatio *remuneratoria* quæ oritur ex animi gratitudine ob acceptum beneficium vel obsequium. Ex his patet: donatio causa mortis est donatio impropria, ex defectu nempe actualis translationis: sicut etiam donatio intuitu matrimonii et inter sponso.

642. Q. 2. An validæ donationes, si fiant ab ære alieno gravatis?

R. Universim affirmant Layman, Lessius, Navarrus, etc.; nam debitis gravatus bene potest dominium transferre, cum adhuc sit vere dominus rei quæ donatur. At D. Antonius, Cajetanus, Lugo, Salmanticenses, Sylvius, etc., communiter ac verius docent invalidas esse donationes factas ab ære alieno gravatis iis qui id sciunt; et ideo donatarium sic mala fide accipientem teneri de damno, quod inde obvenit creditoribus. Nam sicuti donans læsit justitiam se reddendo imparem solvendis debitis suis; ita læsit quoque donatarius, qui positive cooperatus est injustæ donantis actioni cum creditorum præjudicio. Donatio nempe non consistit in sola voluntate donantis, sed etiam in voluntate accipientis, sine qua donatio non potest fieri; ideoque licet donatarius non sit causa motiva, est tamen causa voluntaria, influxiva et efficax alienationis rei in damnum creditorum. Attamen in jure civili non conceditur creditoribus jus postulandi reductionem donationis peractæ a debitis gravato: nisi in hæreditate, si legitima sit læsa¹.

Intellige de accipiente *mala fide*; nam qui est in bona fide, nempe ignorat donationem esse debitis gravatam, non peccat contra justitiam accipiendo; nec restituere tenetur, nisi res sit hypothecæ subjecta (et item juxta alios nisi factus sit locupletior). Nam tunc non potest dici quod peccet peccato injustitiæ contra creditores, voluntarie reddendo illorum creditum impossibile, cum illud penitus ignoret; et aliunde do-

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 722. — Cod. civ. Ped. 750 et 1155. — C. A. 765. — C. G. 920. — C. S. 857. — C. P. 4023. — C. M. 1935.

nans dedit quod suum erat, etsi deliquerit sic dando. *Lugo.*

643. Q. 3. Quæ res donari possint, a quibus et cui?

R. Omnes res præsentés ipsa ratione probante, donari possunt. Imo ex civili lege donatio etiam bona futura comprehendere potest, si fiat matrimonii contemplatione¹. Et potest quis donare sub reservatione usufructus; vel sub conditione, ut iterum res ad se revertatur, v. g., si donatarius præmoriatur. Ad quantitatem quod attinet, animadvertendum est ex eodem civili jure reducendas esse donationes quæ quantitatem legis excedunt².

Illi autem soli donare possunt, qui liberam habent bonorum suorum administrationem, et testari queunt. Hinc donare nequeunt: 1. tutores de bonis minorum, nisi agatur de parvis donationibus remuneratoriis et de eleemosynis; 2. prodigi sive de jure sive de facto. Item minores licet habilitati, nisi agatur de contractu matrimoniali, vel donationibus modicis, quas alii ejusdem conditionis agunt; 3. uxores sine consensu mariti vel tribunalis³.

Possunt vero donationes valide illi omnes acceptare, qui non prohibentur a lege. Prohibentur inter ceteros: 1. incapaces ad acquirendum per testamentum; 2. conjuges inter se, matrimonio durante: quod statutum est, ne mutuo amore invicem spoliarentur⁴ (Y).

644. Q. 4. Quænam solemnitates, et conditiones requiruntur ad donationis valorem jure civili?

R. Ut donatio sit valida ex Codice civili requiritur: — 1. Ut non sit facta vel sub conditione impossibili, aut bonis moribus contraria⁵; vel sub conditione, cujus implementum a solo donante pendeat⁶; vel sub conditione omnibus satisfaciendi

¹ C. Ped. 1178. — C. G. 1084. — C. S. 867. — C. P. 1905. — C. M. 1879.

² Cod. civ. Gall., art. 915 et 920.

³ C. Ped. 1151. — C. G. 905. — C. S. 857. — C. P. 1887. — C. M. 1867.

⁴ C. Ped. 1186. — C. G. 1096. — C. S. 1946. — C. M. 1931.

⁵ « Dans toute disposition entre-vifs ou testamentaire, les conditions impossibles, celles qui seront contraires aux lois ou aux mœurs, seront réputées non écrites. » Cod. civ. Gall., art. 900, 1172.

⁶ « Toute donation entre-vifs sous des conditions dont l'exécution dépend de la seule volonté du donateur sera nulle. » Cod. civ. Gall., art. 944.

oneribus etiam non expressis, aut non extantibus donationis tempore, nisi agatur de matrimonio¹; — 2. ut ea sit a donatario acceptata: ab ipso quidem si sit major, vel alio illius nomine; si vero sit minor, acceptari debet ab illius curam habente². Item pro uxoribus consensus mariti³, pro surdumutis⁴, et locis piis⁵ requiritur acceptatio administrantium. Ubi notandum quod nullus donatarius, nec ipse minor, interdictus, aut uxor defectu acceptationis restituuntur in integrum; sed tantum actionem habent adversus eos, qui donationem acceptare debuissent⁶; — 3. ut non sit inofficiosa, id est facultatem donantis excedens: sustinetur tamen donatio in eo, quo talis non est; — 4. ut non includat futura bona, nisi de determinato atque certo matrimonio sit sermo; — 5. ut si agatur de mobilibus, res omnes sigillatim designentur cum declaratione proprii valoris; — 6. tandem ut ea fiat publico instrumento.

645. An (quæres) donationes manuales, quæ nempe de manu ad manum sine ulla solemnitate, sed completa traditione fiunt, validæ sint?

Est probabilius ac commune dona usualia et brevi manu, si sint libere facta inter personas habiles, in parte disponibili, in conscientia vim habere (saltem ante judicis sententiam); etsi ceteræ solemnitates a lege civili præscriptæ non fuerint observatæ. Codices enim civiles illis solemnitatibus ac conditionibus voluerunt tantum viam præcludere improvidis donationibus, non justis liberalitatibus. Et talis est usus; sane importabile, novum ac ridiculum foret, quod quis sine publica scriptura non possit valide donare amico suo picturam, pauperi eleemosynam, servo aliquod munus, etc.

¹ Cod. civ. Gall., art. 945 et 947.

² V. Cod. civ. Gall., art. 955 et 955. — ³ Cod. civ. Gall., art. 954.

⁴ « Le sourd-muet qui saura écrire pourra accepter lui-même ou par un fondé de pouvoir. S'il ne sait pas écrire, l'acceptation doit être faite par un curateur nommé à cet effet. » Cod. civ. Gall., art. 936.

⁵ « Les donations faites au profit d'hospices, des pauvres d'une commune ou d'établissements d'utilité publique seront acceptées par les administrateurs de ces communes ou établissements, après y avoir été dûment autorisés. » Cod. civ. Gall., art. 937.

⁶ V. Cod. civ. Gall., art. 942.

Inter hæc dona numeratur : 1. donatio *de manu ad manum*, ut cum donantur libri, etc.; 2. donatio *indirecta*, quæ nempe occultatur sub specie contractus onerosi, ut cum quis vendit Titio villam suam 100, sed statim obligationem illi tradit pretio non accepto, cum intentione pretium condonandi; 3. donatio *accessoria*, seu quæ ex conventionione cum tertio inita sequitur : v. g., domum meam vendo Petro ea conditione, ut 100 donet Paulo; 4. donatio *remuneratoria*, id est quæ fit ob beneficium acceptum, vel ob officium præstitum, maxime cum hæc sit quasi compensatio; 5. donatio *onerosa*, ea nempe cui donator quoddam adnectit onus; tunc enim est potius quædam solutio vel commutatio. Hisce regulis, si recte accipiantur et explicentur, pluribus difficultatibus quotidianis occurrere potest, maxime pro foro conscientie.

646. Q. 5. *Quinam sunt donationis effectus?*

R. Donationis effectus sunt : 1. ut proprietatis rei donatæ in donatarium transferatur etiam absque formali traditione¹; 2. ut donatio natura sua irrevocabilis sit, nisi probatæ causæ intervenerint². Nempe donatio revocari potest :

1. Ob non impletas conditiones. Quo in casu libera ab omni onere redeunt bona donata in donantem; sed rescissio debet esse judicialis³.

2. Ob ingratitude donatarii in donantem; ac tunc revocatio debet infra annum postulari. Non tamen quæcumque ingratitude sufficit : hinc ait civilis Codex : « La révocation pour cause d'inexécution des conditions, ou pour cause d'ingratitude, n'aura jamais lieu de plein droit. La donation entre-vifs ne pourra être révoquée pour cause d'ingratitude que dans les cas suivants : 1° Si le donataire a attenté à la vie du donateur; 2° s'il s'est rendu coupable envers lui de sévices,

¹ V. Cod. civ. Gall., art. 958.

² « La donation entre-vifs ne pourra être révoquée que pour cause d'inexécution des conditions sous lesquelles elle aura été faite, pour cause d'ingratitude et pour cause de survenance d'enfants. » Cod. civ. Gall., art. 955.

³ « Dans le cas de la révocation pour cause d'inexécution des conditions, les biens rentreront dans les mains du donateur, libres de toutes charges et hypothèques du chef du donataire; et le donateur aura, contre les tiers détenteurs des immeubles donnés, tous les droits qu'il aurait contre le donataire lui-même. » Cod. civ. Gall., art. 955.

délits ou injures graves; 3° s'il lui refuse des aliments¹. » Ubi etiam notandum, quod non fit locus revocationi hac de causa : — 1. Si donatio facta sit Ecclesiæ vel causæ piæ, v. g. monasterio; quia hæc donatio primario facta est Deo ipsi, qui ingratus esse non potest; — 2. si donator scivit ingratitude, et tamen donationem non revocavit; nam censetur remisisse²; — 3. si facta sit donatio causa alicujus determinati et certi matrimonii³.

3. Ob supervenientem prolem donatori ipsi. Hæc revocatio pleno jure suum sortitur effectum statim ac donatario superveniat filius legitimus et naturalis (ideo non adoptivus); etiamsi posthumus, id est natus post mortem patris; item est si superveniat filius naturalis, si legitimetur per subsequens matrimonium, modo natus sit post factam donationem⁴. Causa cui hæc revocatio innititur est quod donans censetur actu donationis non prævidisse in seipso vim illam, quam natura excitat in cor patris, quando ipsi oritur filius.

Imo etiamsi donator in ipso actu donationis renuntiaverit huic juri revocationis ob prolem sibi supervenientem, adhuc in jure habetur invalida talis renuntiatio, nisi agatur de donatione⁵ impropria, quæ fiat occasione alicujus matrimonii certi et determinati. Verum etiam in hoc casu tribuitur filii facultas reductionem petendi.

COROLLARIUM. — *De dote propter nuptias et promissione.*

647. Q. 1. *Quid est dos, et quid de ea dicendum?*

R. Ad 1. Juristæ et Theologi solent dotem definire, ut sit *donatio ab uxore vel ab alio ejus nomine in maritum collata ad sustinenda onera matrimonii*. Duplex distinguitur : *æstimata*, et est cum rei in dotem datæ dominium in maritum transfertur, qui debitor fit ejusdem pretii; *inæstimata*, et est cum rei dotem datæ dominium apud uxorem remanet, so-

¹ Cod. civ. Gall., art. 945. — ² Cod. civ. Gall., art. 957.

³ Cod. civ. Gall., art. 947.

⁴ C. G. 961, 960, 962, etc. — ⁵ C. G. 965 et 967.

lumque fruendi jus in maritum transfertur, qui propterea ejusdem rei debitor evadit.

R. Ad 2. De dote uxoris standum est Codice civili⁴.

648. Q. 2. Quid est promissio?

R. Promissio est liberalis, deliberata ac spontanea fidei datio exterius facta et acceptata de re possibili et honesta. Dicitur: 1. liberalis, et sic discrepat a contractu oneroso; 2. deliberata, id est cum plena advertentia: ac spontanea id est immunis ab errore, dolo et metu etiam levi; nam liberalitas importat omnimodam libertatem; 3. fidei datio: sicque distinguitur et a donatione quæ est rei datio, et a proposito quod est simplex voluntas aliquid faciendi, sed non se strictim obligandi; 4. exterius facta, id est talis, ut homo eam cognoscere possit; 5. et acceptata, quia promissio et donatio semper facta censetur sub conditione: si acceptentur adeo ut ante acceptionem semper revocari possint; 6. de re possibili et honesta; quia impossibile nulla obligatio, et in malis promissis fidem non expedit observari. — Si promissio sit prodiga, obligat ad servandum quod prodigum non est; quia si ex una parte nulla est obligatio de illicito, ex altera utile per inutile vitiari non debet.

Qui promittit, dicitur promittens, promissor; cui promittitur, promissarius.

649. Q. 3. Quid de promissionibus, prout generatim fieri solent?

R. Promissiones hujusmodi saltem ex justitia, regulariter loquendo non obligant; qui enim eo modo promittunt, ordinarie non intendunt proprie dictam obligationem suscipere. Sane si quis eos interrogaret, an tanquam fures vel tanquam injusti rei alienæ detentores haberi velint in hypothesi, quod promissiones taliter factas non impleant, negative statim responderent. Hoc etiam sentiunt illi ipsi, in quorum gratiam promissiones hujusmodi factæ sunt, qui ad summum sic promittentes vocant leves, inconstantes, non autem injustos.

Diximus: 1. saltem ex justitia; quia non desunt qui velint promissiones obligare ex fidelitate: quamquam ne ex

⁴ V. Cod. civ. Gall., art. 204, 1091 et seqq.; art. 1587 et seqq.; art. 1540 et seqq. — Not. edit.

fidelitate quidem obligant hoc ipso, quod sic promittentes non intendunt fidem suam serio obligare; et quando dicunt *promitto, polliceor*, nihil aliud exprimere volunt, quam actuale propositum et bonam animi voluntatem erga alios, non vero obligationem stricte sumptam. Hinc cum pactis confundendæ non sunt usitatæ contestationes officiosi animi, formulæ urbanitatis, aliæque assertiones, quibus nos ad aliquem invisendum, vel aliquid agendum pronos quidem et paratos ostendimus, quin tamen morale nobis vinculum injicere velimus.

2. Regulariter loquendo; quia promissiones obligant etiam ex justitia, quando reapse constet promittentes obligationem proprie dictam voluisse sibi suscipere. Talis censetur esse promissio: a. si juramento serio firmetur: neque enim quis censetur illud usurpare inaniter; b. si fiat coram testibus ad hoc vocatis, vel notario; c. si detur chirographum aut aliud scriptum; virtus enim sinceritatis et veritatis exigit, ut scripta factis conformia sint: alioquin mendaciis via panderetur.

650. Quid (quæres) si promissio non tantum sit facta ab una parte, sed etiam serio ab altera acceptata⁴? Certum est promissionem serio factam et a promissario acceptatam in re gravi posse per accidens obligare sub gravi et ex justitia: ut si intercedat ratio gravis damni proximo obvenientis, ut si ego alteri promissem dare mutuuum, quo graviter indigebat, et ille mihi confisus aliunde non prospexisset sibi. Vel si ideo quis filium suum educari curaverit, quia alter promiserat ad expensas concurrere, postea renuat. Item promissio obligat sub gravi, si expressa adfuerit voluntas se sub gravi obligandi, et materia gravis sit.

Tota difficultas est an promissio serio facta, et acceptata per se et ex natura sua in materia gravi sub gravi obliget? Disputant hinc inde probabiliter. Alii cum D. Thoma docent, simplicem promissionem ex natura sua non obligare, nisi sub levi, etiam in re gravi, quia in ejus opinione promissio

⁴ Potest autem quis promissionem acceptare per alium a se deputatum; vel per alium qui habeat ejus curam: sic acceptat pater pro filiis, religiosus pro monasterio, prelatus pro Ecclesia, uxor pro marito, tutor pro minore. — Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 720, etc.

qualibet ex se obligat tantum secundum quamdam honestatem, non autem secundum jus civile; hoc est (ut explicant Salmanticenses) non secundum justitiam: unde qui hisce promissis deficiunt, nulla tenentur restituendi obligatione. Alii vero contra sentiunt cum S. Antonino; quia fidelitas promissa jus strictum præbet promissario: *Omnis enim fidei violator*, ait Augustinus, *iniquus est*¹?

651. Q. 4. *Quomodo interpretandæ sunt promissiones?*

R. Cum tota promissionis vis et efficacia pendeat a promittentis intentione, in ipsius favorem promissio ipsa interpretanda est. Hinc in dubio, an quis voluerit se vere obligare ex justitia, an tantum ex fidelitate; an graviter, an vero leviter, probabilissimum erit, eum non obligari nisi sub levi, ut dicunt Holzman, Lugo, Sporer, etc. Et advertit Sanchez cum aliis communiter, ad constituendam materiam gravem in promissione requiri materiam quadruplo majorem, quam in furto mortali; quia promissor agit de proprio, sed fur de alieno.

Cessat autem obligatio promissionis: 1. quando promissarius jus suum remittit; remissio enim obligationem tollit; 2. quando res fit illicita vel impossibilis; nam inhonestorum ac impossibilium nulla obligatio datur; 3. quando fit noxia vel inutilis promissario; nam tunc omnis cessat promissionis finis; 4. quando contingit notabilis mutatio non prævisa; tunc censetur nemo velle se obligare: *Unde et Apostolus non est mentitus, qui non ivit Corinthum, quo se iturum esse promiserat, ut dicitur II^a ad Corinthios 1, et hoc propter impedimenta quæ supervenerunt*. S. Thomas².

Art. VII. — De deposito, sequestro, fidejussione, commodato, precario et mandato.

652. Q. 1. *Quid est depositum*³?

R. Depositum definitur: *Contractus, quo alteri res gratis*

¹ 2, 2, q. 88, a. 5.

² L. I. de Doct. Chr., c. xxxvi. — V. Stapf, § 425. — Zellinger, Institutiones juris naturæ, § 128.

³ 2, 2, q. 110, a. 3.

⁴ V. Liguori, Op. Mor., l. III, nn. 746 et seqq.

custodienda traditur, ut quodcumque deponenti placuerit, eadem omnino restituatur. Qui rem deponit, *depositor* vel *deponens*; cui res deposito datur, dicitur *depositarius*. Ex lege civili depositum fieri nequit, nisi de rebus mobilibus, et non nisi per traditionem. Insuper depositum *si voluntarium* et excedat libellas 150, requiritur aliqua scriptura, ut fidem faciat contra depositarium, si excipiat¹.

Diximus *si voluntarium*, ut indicemus depositum esse duplex, aliud *voluntarium*, aliud *necessarium*: 1^{um} est quod fit libero consensu *deponentis* et *depositarii*; ejus proprietates patet ex dictis; 2^{um} est cui dat causam casus peculiaris, v. g., incendium, naufragium. Idem dicendum de rebus viatorum depositis penes caupones: et in hoc admittitur probatio per testes, qualiscumque sit rei valor². Depositum necessarium dicitur etiam *miserabile*, quia a miseria ortum habet.

Depositarius tenetur³: — 1. Ad diligentem rei depositæ custodiam, quasi ea esset sua: imo ad majorem, si eam promiserit, vel (juxta alios) si in illius commodum tantum depositum vergat aut si de eo percipiat; — 2. depositum cum fructibus suo tempore deponenti restituere: quod si renuat, in carcerem conjici potest. Excipe nisi vel obstet sequestrum, vel cognoscatur rem esse furtivam, vel evaserit deponens ad acceptandum incapax ex lege. Hinc si deponens ad alium transierit statum, v. g., si mulier quæ depositi tempore soluta erat, dein nupserit, et sub mariti protestate sit: item si deponens qui major erat, interdictus fuerit, res deposita non deponenti, sed ejus administratori reddenda est. Item si depositum factum sit a tutore, marito vel administratore, res deposita personis ab ipsis representatis, eorum cessante officio, reddi tantum potest; — 3. indemnem deponentem servare, si res sua culpa deterior facta sit: vel si sit in mora culpabili et res perierit, etsi casu fortuito.

Deponens tenetur: 1. ad nutum depositarii, nisi tempus statutum sit, rem suam recipere: et si illi importuna videatur restitutio, iudex definit; 2. damna resarcire, quæ alter pas-

¹ C. G. 1025. — ² C. Ped. 1985. — C. A. 1516. — C. G. 1950. — C. S. 1821. — C. P. 2009. — C. M. 1992.

³ C. G. 1927.

sus est; æquitas enim postulat, ut ex onere gratuito non sentiat detrimentum: et potest depositarius depositum retinere donec integram acceperit indemnitate¹.

653. Quæres: *Depositarius potestne re sibi deposito tradita uti?* Si depositum sit res usu consumptibilis, ut triticum, vinum, pecunia, quæ in ejus usu absumitur, eaque tradita sit certo numero, pondere et mensura, non videtur depositarius peccare saltem graviter iis utens, si certus sit, tantundem habiturum quando repetetur; quia tunc communiter præsumitur consensus domini. Secus autem est, si agatur de pecunia tradita sacco vel arca inclusa, vel munita sigillo; si tunc ea utatur depositarius, graviter peccat; non tamen fructus inde perceptos tenetur restituere, quia sunt fructus industriæ, non rei; cum res usu consumptibilis per ipsum usum non fructificet, sed destruat.

Sed quoad depositarium pecuniæ statuit lex civilis: « Ilne doit aucun intérêt de l'argent déposé, si ce n'est du jour où il a été mis en demeure de faire la restitution². » Pecunia autem sive creverit sive decreverit, restituenda est ea, qua accepta fuit, specie; si nempe tot argentei nummi depositi fuerint, tot argentei nummi restituantur³. Si vero depositum non sit res primo usu consumptibilis, ut currus, equus, tunc si depositarius ea utatur sine deponentis consensu expresso vel præsumpto, non solum peccat; sed fructus inde perceptos tenetur restituere, cum res domino suo fructificet.

654. Q. 2. *Quid est sequestrum?*

R. *Sequestrum est species depositi, qua res controversa deponitur apud aliquem eo fine, ut post sententiam tertii vel judicis vincenti tradatur.* Unde duplex est, *conventionale* et *judiciale*, prout vel sola partium voluntate vel judicis præcepto fit. Utrumque extenditur ad bona tam mobilia, quam immobilia. Si sit gratuitum, iisdem subjacet regulis ac depositum proprie dictum; si non sit gratuitum, tunc habetur ut operæ conductio et hujus contractus regulis regitur⁴.

¹ C. Ped. 1949. — C. A. 957. — C. G. 1948. — C. S. 1787. — C. P. 1982. — C. M. 1922. — ² C. G. 1936. — ³ C. G. 1952. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. III, n. 748. — ⁴ C. Ped. 1989. — C. A. 668. — C. G. 1955 et seqq. — C. S. 1827. — C. P. 2115. — C. M. 2087.

655. Q. 5. *Quid de fidejussione (vulgo cautionnement)?*

R. *Fidejussio (sic dicta a fide et jussu) est contractus, quo unus vel plures in se suscipiunt obligationem alterius debiti solvendi, si debitor ipse non solverit; eo tamen adhuc manente ligato.* Pro ea pretium accipi potest, cum assumptio talis oneris sit pretio æstimabilis. Hæc porro obligatio suscipitur etiam, debitore ignorante: atque semel valide suscepta transit ad hæredes, excepta corporis apprehensione, si eo usque ex natura contractus alter se obstringere debuisset.

Duo ad fidejussionis validitatem requiruntur: 1. *capacitas se obligandi*: unde mulieres excluduntur, nisi accedat auctoritas tribunalis, vel nisi agatur de mercatura; 2. *validitas contractus*, unde debitum exurgit; nam fidejussio est accessorium, ac illam supponit. Excipe nisi contractus nullus sit ratione tantum incapacitatis personæ; tunc adhuc valet fidejussio modo non agatur de mutuo filiorumfamilias. Item admittitur fidejussio fidejussionis¹.

Onera fidejussoris hæc sunt: si ipse se obligavit in defectum debitoris tantum, non tenetur solvere, nisi in illius defectu: unde urgere potest, ut prius debitor excutiat: modo tamen hoc postulet ineunte judicio et expensas necessarias solvat anticipate, ac bona debitoris indicet quæ libera sint et infra fines jurisdictionis magistratus posita, ubi facienda est solutio. Si vero se obligavit vel renuntiando beneficio debitorum primum excutiendi, vel solidariè cum ipso debitore, tunc ex lege illico solvere tenetur, quin necesse sit, ut ad debitorem fiat recursus².

Jura vero fidejussoris hæc sunt: pretio soluto, ipse succe-

¹ C. Ped. 2044 et seqq. — C. A. 1544, 896 et seqq. — C. G. 2011. — C. S. 1885. — C. P. 2041. — C. M. 2025. — V. Liguori, *Op. Mor.*, I. III, n. 912. — Ferraris, *vº Sequestratio*. De fidejussore ad rem Prov. VI: *Fili mi, sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui et captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera; quia incidisti in manum proximi tui; discurre, festina, suscita ancium tuum, etc.* V. etiam, cap. XXII.

² C. Ped. 1295, 2057 et seqq. — C. A. civ., §§ 1354 et seqq. — C. G. 2021 et seqq. — C. S. 1885. — C. P. 2041. — C. M. 2037. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., *vº Fidejussio, Fidejussor*.

dit in omnia jura creditorum contra debitorem; potest petere compensationem damnorum; et etiam nondum facta solutione, urgere debitorem, ut sese a fidejussione liberet: « La caution, même avant d'avoir payé, peut agir contre le débiteur, pour être par lui indemnisée: 1° lorsqu'elle est poursuivie en justice pour le payment; 2° lorsque le débiteur a fait faillite ou est en déconfiture; 3° lorsque le débiteur s'est obligé de lui rapporter sa décharge dans un certain temps; 4° lorsque la dette est devenue exigible par l'échéance du terme sous lequel elle avait été contractée; 5° au bout de dix années, lorsque l'obligation principale n'a point de terme fixe d'échéance, à moins que l'obligation principale, telle qu'une tutelle, ne soit pas de nature à pouvoir être éteinte avant un temps déterminé¹.

656. Q. 4. Quid est commodatum (vulgo prêt à usage)?

R. Commodatum (sic dictum, quasi alterius commodo datum) est contractus, quo res aliqua mobilis vel immobilis ad certum tempus et usum alicui gratis traditur, ut finito usu, eadem restituatur (si hæc concessio fiat ad tempus indeterminatum, dicitur precarium). Qui rem conccedit, dicitur, commodans vel commodator; ille vero, cui conceditur, commodatarius. Commodatum transit ad hæredes, nisi sit peculiariter contemplata persona².

Ad hæc tenetur commodator: 1. non potest ante tempus definitum absque injustitia rem commodatam sibi repetere; esset enim contra datam fidem. Poterit tamen, si sibi grave damnum impenderet, licet impenderet etiam commodatario ex illa rei repetitione ante tempus; in commodato enim utpote gratuito hæc conditio subintelligitur: *Nisi interea contigerit rem esse commodatori necessariam*. Verum requiritur iudicis auctoritas³; 2. tenetur de damnis; sed si scienter rem vitio-

¹ C. Ped. 2065 et seqq. — C. A. 1358. — C. G. 2032. — C. S. 1900. — C. P. 2057. — C. M. 2049.

² V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 744 et seqq. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v° Commodatum. Cod. civ. Ped. 1897. — C. A. 961. — C. G. 1875. — C. S. 1747. — C. P. 1958. — C. M. 1940.

³ « Si, par exemple, vous m'avez emprunté une cave pour presser vos

sam tradiderit⁴; nam in commodante ignorantia non consideratur, nec facile puniendus est qui tribuit favorem.

Commodatarius vero tenetur: 1. commodatum diligenter custodire et expensas ordinarias facere, v. g., alere equum commodatum, at non tenetur facere extraordinarias, v. g., curare equum gravi morbo citra culpam suam laborantem; 2. eo uti pro fine tantum determinato; 3. damna resarcire, quæ sua culpa in rem venerint. Imo tenetur etiam de casu fortuito, si eam servare potuisset suam substituendo, si fuerit in mora restituendi, si ita conventum sit, si ea fuit æstimata nec aliter pactum sit, si ad diversum usum vel tempus diuturnum contra præscriptum ea fuerit usus; 4. tempore statuto rem domino suo reddere. Et cautum est ex lege civili, ut eam neque compensationis titulo possit sibi commodatarius retinere⁵.

657. Precarium (sic dictum, quia ad preces petentis conceditur) cum parum differat a commodato, iisdem regitur regulis, et ideo de illo nulla mentio in Codice Civili: tota differentia in eo est, quod precarium potest ad nutum concedentis revocari; cum tamen commodatum suum habeat definitum tempus. Item precarium cessat per mortem accipientis; non autem per mortem dantis, nisi ab hæredibus revocetur⁶.

raisins et faire votre vin, je ne pourrai la retirer que lorsque votre vin sera fait. Néanmoins, si, avant le délai convenu ou avant que le besoin de l'emprunteur ait cessé, il survient au prêteur un besoin pressant et imprévu de la chose, celui-ci peut la réclamer et se la faire rendre. Le prêteur n'est pas présumé avoir voulu rendre service à un autre à son propre préjudice. » Gousset.

⁴ « Lorsque la chose prêtée a des défauts tels qu'elle puisse causer du préjudice à celui qui s'en sert, le prêteur est responsable, si, connaissant ces défauts, il n'en a pas averti l'emprunteur; par exemple, s'il a prêté un cheval morveux qui, ayant communiqué sa maladie à ceux de l'emprunteur, les a fait périr. Mais, pour que le prêteur soit tenu de réparer le préjudice, il faut qu'il ait connu les vices de la chose prêtée, parce que, le contrat qu'il a passé étant purement gratuit, on ne peut le rendre responsable que de sa faute ou de son dol. » Gousset.

⁵ C. Ped. 1095. — C. A. 978. — C. G. 1880 et seqq. — C. S. 1752. — C. P. 1961. — C. M. 1945.

⁶ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 745. — Ferraris, *Biblioth.*, v° Precarium.

658. Q. 5. *Quid est mandatum (vulgo mandat)?*

R. Mandatum definitur: *Contractus, quo negotium honestum ab alio ex fiducia commissum gratis administrandum gerendumve suscipitur.* Ex quo patet, mandatum gratis iniri: unde si merces intercedat, erit locatio-conductio operarum; at si detur honorarium, non desinet mandatum esse gratuitum; cum honorarium longe differat a mercede. Qui mandat, dicitur *mandator* vel *mandans*; cui datur mandatum, *mandatarius*, et potest etiam esse mulier et minor emancipatus¹.

Mandatum aliud *judiciale* est. Aliud *extra-judiciale*. Aliud *generale*, si omnia gerenda negotia comprehendat; mandatum tamen generalibus verbis conceptum non respicit, nisi actus administrationis. Aliud *speciale*, si aliquod tantum negotium, vel certa negotia comprehendat. Ad mandati valorem requiritur missio mandantis et mandatarii acceptatio expressa vel tacita. Item scriptura, si mandatum respiciat immobilia, vel actum ex sui natura publica scriptura concludendum².

Mandans tenetur: 1. mandatario refundere expensas, quas propter mandatum fecerit, et damna resarcire, quæ mandatarius ipse occasione mandati passus fortasse sit, etiamsi res felicem exitum non habuerit; 2. solvere usuras pecuniarum, quas mandatarius in antecessum solvit. Si mandatarius sit a pluribus constitutus, singuli tenentur erga ipsum in solidum: non item (conditione præclusa) si plures constituti mandatarii, tenentur in solidum erga mandantem³.

Mandatarii obligationes sunt: 1. ut mandati limites non excedat, v. g., pluris quam sibi præscriptum est, emendo;

¹ Hac de re en art. 1990 cod. civ. Gall. « Les femmes et les mineurs émancipés peuvent être choisis pour mandataires; mais le mandant n'a d'action contre le mandataire mineur que d'après les règles générales relatives aux obligations des mineurs et contre la femme mariée, et qui a accepté le mandat sans autorisation de son mari, que d'après les règles établies au titre du contrat de mariage et des droits respectifs des époux. »

² C. Ped. 2018. — C. A. 1002. — C. G. 1985 et seqq. — C. S. 1856. — C. P. 2014. — C. M. 1997.

³ C. Ped. 2028. — C. A. 1011. — C. G. 1998 et seqq. — C. S. 1870. — C. P. 2027. — C. M. 2011.

2. ut negotium diligenter gerat; 3. ut mandanti reddat quidquid vi mandati percipit sive titulo lucri, sivi titulo doni; quia cum non agat nisi nomine mandantis, eidem, non sibi acquirit. Si vero mandatarius alium substituit, tenetur de substituti culpa, quando illum substituendi non fuit ei tributa facultas; vel si fuit tributa, substituit inhabilem, non designatum; semper tamen poterit mandans contra substitutum agere⁴.

Mandatum tandem extinguitur: 1. per revocationem mandati expressam vel tacitam, ut si alium substituat in eadem re primum certiore reddendo; 2. per mandatarii renuntiationem notificatam et factam tempore congruo; 3. per mortem vel amissionem jurium civilium, interdictionem vel decoctionem sive mandantis sive mandatarii. Ubi notamus quod adhuc data mandati revocatione, quidquid agit mandatarius, validum est quoad illos qui sunt in bona fide. Quare præstat, ut revocatio publicetur, ita ut ea omnibus possit opponi⁵.

Art. VIII. — De contractibus aleatoriis.

659. Contractus aleatorius definitur: *Mutua conventio, cujus effectus tum quoad lucrum tum quoad jacturam vel pro omnibus contrahentibus vel pro uno aut pluribus ipsorum pendet ab incerto eventu.* Quatruplex distinguitur: *assecuratio, mutuatio ad omne periculum, ludus, sponsio ac census vitalitius*⁶ (de ultimo jam dictum est).

660. Q. 1. *Quid est sponsio et an licita?*

R. *Sponsio (vulgo gageure) est contractus, quo duo vel plures de veritate et eventu alicujus rei certantes sibi invicem aliquid spondent ut ejus sit, qui fuerit veritatem assecutus.* Lex civilis nullam in judicio concedit actionem quoad solu-

⁴ C. Ped. 2024. — C. A. 1009 et 1025. — C. G. 1991 et seqq. — C. S. 1865. — C. P. 2016. — C. M. 2004.

⁵ C. Ped. 2056. — C. A. 1020. — C. G. 2005 et seqq. — C. S. 1875. — C. P. 2052. — C. M. 2016.

⁶ C. G. 1964 et seqq.

tionem sponsionis¹. Attamen sponsio si debitis conditionibus prædita sit, per se nullimodè prohibetur: est enim contractus fortunæ, quo uterque spondens sese periculo æqualiter exponit. Imo aliquando est honesta recreationis species inter amicos usitata, et etiam stimulus ad aliquid perficiendum. Non tamen negandum, quod in praxi regulariter vix caret culpa veniali; quia deest, ut plurimum, motivum cohonestans licitæ recreationis. Hinc S. Antoninus quærenti, an lucrum ex tali sponsione sit licitum, respondet: *Non, sed turpe lucrum dici potest procedens ex avaritia et nulli deserviens utilitati, sed vanitati et prodigalitati.*

Debitæ sponsionis conditiones jure naturæ sunt: 1. ut sponsio sit de re dubii eventus quoad utrumque spondentem: secus non esse æqualitas; 2. ut uterque accipiat eodem sensu id de quo spondetur: secus non convenirent in unum; 3. ut non sit circa illicita; neque tenet obligatio contra mores: talis est sponsio vere animalis circa ingluviem et potum. Nec pariter tenet, si sit circa Pontificis electionem, aut ejusdem vitam vel mortem: quod prohibuit S. Pius V Bulla *In eligendis*².

Quid dices si quis manifestet se certo rem scire, et alter adhuc perseverat in sponsione? Probabilius tenent sponsionem hujusmodi invalidam esse; tunc enim æqualitas deesset, et sponsor haberetur uti insanus. Sicut qui vellet pertinaciter emere gemmam tanquam veram, licet certior factus sit esse falsam: eo in casu fatentur omnes nullam esse emptionis contractum; ergo a pari. Nec refert quod ille cedat juri suo; cedit enim ex errore: nisi ille qui principio certus videbatur, postea, altero contradicente ac spondere volente, incipiat et ipse dubitare advertens jam alias errasse in iis quæ sibi certa videbantur.

661. Q. 2. Quid est ludus et an licitus?

¹ C. Ped. 1998. — C. A. 1262. — C. G. 1965. — C. S. 1856. — C. M. 1817.

² Et addit Roncaglia, Gregorium XIV id Bulla *Cogit nos* extendisse ad electionem Cardinalium, addita excommunicatione latæ sententiæ quoad electionem Pontificis, et reservata, etiam extra tempus Sedis vacantis. Videtur tamen ad eam incurendam requiri, ut notabilis summa sponsioni exponatur; quia materia levis non potest constituere culpam gravem, nec proinde subijci potest pœnæ adeo gravi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 869. — Ferraris, *Bibliotheca*, vº Sponsio.

R. Ludus sæpe cum joco ac lusu confunditur; differt tamen, nam ludus proprie dicitur in factis, jocus in verbis, lusus vero magis fit voluptatis causa, quam lucri spè. Non hic loquimur de ludo, prout generatim sumitur, seu ut est simplex animi relaxatio; sic enim licitum esse nemo dubitat: nam sicut corpus quiete indiget, ne nimio labore frangatur; ita anima, ne continua meditatione enervetur.

Sermo noster est de ludo in ordine ad justitiam, quo sensu definitur: *Contractus, quo lubentes inter se conveniunt de certo pretio victori cessuro.* Et triplicis est generis: alius in quo sola virtus; alius in quo mera sors; alius, in quo partim virtus, partim sors dominatur. Porro talis contractus jure naturæ spectato et si debitæ adsint conditiones, est profecto validus et licitus. Sicut enim potest quilibet dominus rem suam absolute donare; ita potest etiam illa tradere sub conditione aliqua. Aliunde oblectamenti genus est. Adde utriusque partis eandem esse conditionem: unde qui ludendo perdidit, per se loquendo solvere tenetur; libera enim et licita conventio servanda est.

Diximus: 1. *jure naturæ spectato*; nam quoad ludos meræ sortis, eos vetat expresse lex civilis: et merito; hi enim otium fovent, rixas atque blasphemias¹. Per se tamen loquendo commune est et certum inter Doctores, laicis id non esse de se sub gravi peccato prohibitum: imo est probabilissimum respectu ad leges positivas, quod laici ludentes ne venialiter quidem peccent²; aiunt enim jus Canonicum consuetudine esse abrogatum: jus vero civile respicere tantum

¹ « Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestæ recreationi inserviat, debita moderatio in ejus usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusos deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobatur quotidiana et lugenda nimis experientia! Quot enim, heu! cernuntur miserimi juvenes, necnon cujuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integræ fortunæ paucis diebus vel horis jacturam faciunt, familiam ærumâs immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur! Satiagent igitur pro viribus Parochi et Confessarii, ut subditos et pœnitentes a ludo immoderato avertant, atque solliciti sint, ne obtemperare renuentes ad Sacramenta admittant. » Sic recte concludit Goussset, n. 891. Hinc illud:

Nam ludus genuit strepitum, certamen et iram.

² Quoad Clericos vide de *Oblig.* — Et Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 893.

pœnas; — 2. *si debita adsint conditiones*, quæ quidem quoad validitatem sunt: *a.* ut quæ ludo exponuntur, sint propria ludentium et in eorum dominio, atque libera disponendi facultate, ut patet; *b.* ut absit omnis vis et fraus: unde oportet, ut ludentes libere concurrant, et quidem ut inter illos æqualitas moralis sit in spe lucrandi et in periculo perdendi; secus læderetur justitia. Hinc versus:

Ludens lude tuis, sine vi, sine fraude, monitis.

Ad licitatem vero insuper requiritur: — 1. ne ludo turpe aliquid misceatur et inhonestum, sive facto sive etiam verbis. *Duplex* (aiebat Tullius quamvis gentilis) *omnino est jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; aliud elegans, urbanum, ingeniosum, facetum*¹; — 2. ut nulla in ludo sit occasio peccandi, non scandalum, non damnum alterius: sic peccaret mortaliter qui totum se ludo traderet, cum sciat se in blasphemias, in verba inhonesta, prolabi, vel impotentem fieri ad debita persolvenda et familiam alendam², unde summa quæ ludo exponitur sit modica juxta cujusque conditionem et facultatem; — 3. ut non ludatur principaliter ob lucrum; nam finis proximus ludi esse debet animi levamen, ut animus ipse evadat aptior ad proprii status officia obeunda. Hinc probabilius docet Angelicus, ludere unice propter lucrum cupiditati deserviens, non excusari a veniali ob quamdam turpitudinem³. Et idem Doctor ex Aristotele: *Parum de delectatione sufficit ad vitam quasi pro condimento, sicut parum de sale sufficit in cibo*⁴.

662. Q. 3. *An lucrum ex ludis possit tuto conscientia retineri?*

R. 1. Loquendo de filiofamilias, summa contra ipsum victa in ludo etiam de se licito, ipsi restituenda est; qui enim rei

¹ Lib. I, *de Offic.*, c. xxix. — Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Ludus, ubi plura.

² Item peccat qui hosce ludos fovet, convocat ludentes, domum omnibus ludentibus indiscriminatim aperit. V. S. Carolus, *Instructio Confess.*, c. v. — It. *Istruzione pei novelli Confessori*, par. II, n. 218.

³ 2, 2, q. 77, a. 4.

⁴ 2, 2, q. 168, a. 4. — V. Rosignoli, *Il giuoco di fortuna*.

dominus non est aut eam alienare nequit, nec potest de ea ludere¹. Et in casu tenetur, ut verius dicunt, etiam filiofamilias lucratum collusori restituere; neque enim esset æqualitas, si hic posset perdere et non lucrari. Excipe si summa victa filiofamilias sit de bonis castrensibus aut quasi: aut sit parvi momenti, in qua præsumatur patris consensus, qui honestam recreationem non vult filio denegare: aut sit aliqua pars moderata deducta ab alimentis, quæ ei pater subministrat.

R. 2. Loquendo de ceteris, qui nempe rei expositæ in ludo liberam habent administrationem, qui vicit potest lucratum (licet de ingenti re agatur, ac ludo prohibito) tuto retinere; nam talis ludus declaratur quidem illicitus, non tamen invalidus. Attamen in jure civili, si victus neget solvere, victori nulla tribuitur actio, ut sibi solvatur, nisi sermo sit de ludis industriae, vel de iis quæ corporis exercitio inserviunt². Utrum vero teneatur victus in conscientia solvere quod perdidit, negat communior et probabilior sententia, si lex tribuat jus repetendi solutum, uti tribuit minori, vel casu quo dolus vel fraus in ludo intervenerit; etenim quando datur a lege beneficium repetendi, datur etiam non solvendi: nam *frustra solvitur quod statim repetendum est*. Si vero lex non tribuat hoc repetendi beneficium, tunc victum teneri in conscientia solvere quod perdidit (etiam in ludo illicito), docent probabilius Habert, Billuart, Sylvius, etc.: sane libera conventio est observanda, cum potest sine peccato.

Nec refert quod ludus sit graviter prohibitus et etiam de ingenti summa agatur; quia esto quod isti sic ludendo pecca-

¹ Quod valet etiam de Religiosis et uxoribus. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 872 ad 876; l. IV, n. 36; et *Homo Apost.*, tract. X, n. 215. — Cattaneo, *Lezioni*, ecc., *Lezione sul giuoco*.

² Les jeux propres à exercer au fait des armes, les courses à pied ou à cheval, les courses de chariot, le jeu de paume et autres jeux de même nature qui tiennent à l'adresse et à l'exercice du corps, sont exceptés de la disposition précédente. — Néanmoins le tribunal peut rejeter la demande quand la somme lui paraît excessive. — Dans aucun cas, le perdant ne peut répéter ce qu'il a volontairement payé, à moins qu'il n'y ait eu, de la part du gagnant, dol, supercherie ou escroquerie. v. Cod. civ. Gall., art. 1966 et 1967.

verint, non tamen peccant tribuendo. Et ludentes æque periculum subierunt scientes et volentes, ac proinde nulla læsio, nulla iniustitia¹.

663. Q. 4. Quid si quis ad ludendum coactus fuerit?

R. Si cogens ad ludendum propria peritia alterum valde superabat, non potest cogens sibi retinere quod lucratus est; nam æquale non fuit periculum neque spes, sed tenetur illud restituere saltem juxta mensuram peritiæ, qua alteri præcellebat. Si valde non superabat adversarium, probabilius docent cogentem posse, per se loquendo, retinere lucrum a tali ludo reportatum; non enim coactio aut ludus, sed potius casus et diligentia cogentis fuit causa damni. Sane si cogens perderet, teneretur et alter posset solum retinere; ergo a pari poterit retinere, si vincit. Præterea contractus ille, non obstante tali coactione, fuit satis utrinque voluntarius et validus juxta communem sententiam; ergo ex se effectum suum producere debet.

Diximus *per se loquendo*; quia si metum passus petat restitutionem, metum incutiens restituere tenetur lucratum; nam metum passus potest pro suo arbitrio contractus rescissionem postulare.

664. Q. 5. Quid de iis, qui fraudibus utuntur in ludo?

R. Vel fraudes illæ non adversantur ludi regulis et receptæ consuetudini; vel adversantur. Si 1, non peccat qui iis utitur; scit enim uterque ludens fraudes hujusmodi esse solitas, et sic in illas libere assentitur. Esset si quis sciens se chartas meliores habere, conqueratur tamen et simulet timorem, unde sic alter impellatur ad sponsonem augendam: vel si quis chartas alterius ex sola ipsius negligentia inspiceret et absque dolo, vel erraret in numerando; nam nemo tenetur

¹ Attamen cum hæc sententia non sit certa, recte concludit Goussset eum Gury, non videntur inquietandi qui nolent solvere magnam summam, quam amisissent. Verum prudens Confessarius per modum satisfactionis injungat pœnitenti, qui sic in ludo notabilem lucratus esset summam, ut illam vel magnam illius partem pauperibus eroget, vel in alia pia opera impendat, nam talis ludus est inhonestus: ludens igitur peccavit: porro ex peccato ditari non licet, saltem non convenit; convenit e contrario, ut pecunia sic lucrata pie impendatur, ne spes talis lucri ad novum impellat peccatum.

alterius partes agere. Si 2, ut si quis in ludo ita se colloquet malitiose, ut chartas alterius perspiciat; aut alium constituat, a quo de iisdem admoneatur; aut chartas ipsas furetur; aut eas clam a tergo signo aliquo notet, tunc lucrum est illegitimum et debet victor illud restituere, etiam cum eo, quod juste retulisset alter, si abfuissent fraudes; damnosam enim injuriam socio intulit¹.

665. NOTA. Non est illicitum ludere precibus sacris applicandis pro victore; quia malum quidem est adhibere spiritualia propter profana: non vero adhibere profana propter spiritualia, ut probat honorum usus; esset enim potius se obligare sub conditione ludi. Si tamen unus luderet pecunia, alter precibus, hoc utique esset simonia.

666. Q. 6. Quid de sortitione (vulgo loterie)?

R. Loteria seu ludus ollæ potest definiri: *Contractus, quo omnes concurrentes quandam pecuniæ summam tribuunt vel promittunt, ac dein sortiuntur quisnam objectum sit accepturus.* Hæc nihil continet mali in se; est enim emptio juris sortiendi et acquirendi id quod per sortem advenerit: vel si placet, ludus alexæ est, qui sua natura est licitus. Hinc omni abusu, cupiditate ac fraude remota, permittitur.

667. Q. 7. Quid est assecuratio?

R. Assecuratio definitur: *Contractus sortis, quo quis rei alienæ periculum in se suscipit obligando seipsum sub certo pretio, et etiam aliquando gratis ad rei illius compensationem, si forte perierit.* Si fiat gratis, est gratuita promissio; si pretio, est quasi emptio, qua assecurans vendit suam obligationem præstandi alterum in sua re indemnem. Hic contractus est licitus, si pretium sit periculo proportionatum: tunc servaretur æqualitas in periculo et in spe.

Verum tum assecuratio tum mutuatio ad omne periculum constituunt potius objectum commerciorum².

¹ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 877.

² Cod. civ. Ped., art. 1998. — C. A. civ., § 1262. — Cod. comm. Gall., art. 552 et seqq. — C. S. 1856.

DISPUTATIO SECUNDA
DE SERVITUTIBUS

668. Servitus, prout est fons juris definiri potest: *Jus tertio competens in re aliena, vi cujus dominus rei in ea aliquid pati, vel non facere cogitur in tertii utilitatem*. Dicitur: 1. *jus in re*, non in persona; si enim persona tantum obligaretur ad aliquid patiendum vel non faciendum, esset *obligatio*, non *servitus*, cujus naturæ proprium est rei adhærere: et sic in possessorem quemcumque cum re ipsa transire; 2. *aliena*, nam *commoda*, quæ dominus percipit e re sua, jure domini percipit, non jure servitutis; 3. *vi cujus dominus in ea re aliquid pati, vel non facere cogitur: pati*, v. g., ut sinat aliquem aquam e suo fundo ducere; *non facere*, v. g., ut altius domum suam non ædificet. Unde servitus est diminutio domini, cujus pars tollitur ab eo, qui servitutum debet, et accedit ad eum, cui ipsa debetur; et ideo additur *in tertii utilitatem*.

669. Servitus duplex distinguitur, realis et personalis: *realis* est quæ a re debetur alteri rei, v. g., ab uno prædio alteri prædio, et dicitur etiam *servitus prædialis*. Servitus autem *personalis* est quæ debetur personæ, in cujus utilitatem immediate cedit, ut est *usus, ususfructus, habitatio et possessio*.

CAPUT PRIMUM

DE SERVITUTIBUS PRÆDIALIBUS

670. Q. 1. *Quid et quotuplex servitus realis, seu prædialis?*

R. Servitus prædialis est *onus prædio impositum ad usum*

et utilitatem prædii pertinentis ad alium proprietarium. Servitutes porro prædiales distinguuntur in rusticas et urbanas, in affirmativas et negativas, in continuas et discontinuas, in apparentes et non apparentes. *Rusticæ* sunt quæ fundis inhærrent; *urbanæ* quæ inhærrent ædificiis, quovis in loco positis. *Affirmativæ*, sunt quæ verbis affirmativis exprimuntur, et obligant dominum fundi servientis ad permittendum, ut propriarius fundi dominantis aliquid agat, v. g., aquæductum construat. *Negativæ*, quæ verbis negativis indicantur, obligant dominum fundi servientis, ut se absteineat ab aliquo peragendo in ipso, quod quidem perageret, si servitus non existeret, v. g., ab ædificio construendo, vel altius illud attollendo. *Continuæ* sunt, quarum exercitium est vel esse potest continuum absque actuali hominis opera, v. g., cursus aquæ in fundo. *Discontinuæ*, quarum exercitium requirit actualem hominis operam, uti est aquam haurire e puteo in fundo existente. *Apparentes* quæ exterius conspiciuntur, uti aquæductus, fenestra, janua. *Non apparentes*, quarum nullum signum exterius apparet, uti sunt servitutes negativæ¹.

671. Tres autem sunt fontes, unde servitutes prædiales dimanant. Est: — 1. *naturalis positio locorum*: sic fundus, qui est in situ inferiori, tenetur recipere aquas affluentes e fundo, qui est in superiori. Servitutes, quæ sic manant, dicuntur iccirco *naturales*; — 2. *conventio*: possunt nempe vicinorum fundorum proprietarii (nisi lex obstet) secum convenire, ut unus fundus alteri serviat et vicissim. Ea servitus est *conventionalis*²; — 3. *lex*: quo nomine venit etiam sententia judicis. Sic ob utilitatem publicam vel privatam lex præscribit regulas quoad viarum constructionem, aquarum deductionem, domorum ædificationem, murorum distantiam, etc. Servitutes a lege statutæ et magis usitatæ respiciunt aliæ murum et fossam communem, ac jus fulcimenti; aliæ distantiam inter quasdam structuras, fossiones et plan-

¹ Codex civ. Ped., art. 657, etc. — C. G. 686 et seqq. — C. P. 492. — C. M. 512 et seqq.

² Cod. civ. Ped., art. 550. — C. A. civ. 480. — C. G. 659 et seqq. — C. S. 561. — C. P. 493. — C. M. 517.

tationes; aliæ prospectum in fundo vicini, aliæ stillicidium; aliæ jus transitus et aquæductum.

672. *Quot modis servitutes prædiales constituuntur et amittuntur?*

R. Ad 1: Servitutes prædiales continuæ et apparentes constitui possunt, vel titulo, vel 30 annorum præscriptione, vel etiam destinatione patrisfamilias. Servitutes vero non continuæ aut non apparentes solo titulo constitui possunt.

R. Ad 2: Triplici modo hæ servitutes amittuntur ex jure: 1. si amplius non inserviant¹; si tamen res reducantur ad primum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet præscriptio; 2. si serviens et dominans prædium in dominium unius transeant: sane res sua nemini servit; 3. si triginta annorum non usus intervenerit. Tunc si agatur de servitutibus discontinuis, tempus currit a die, quo quis illis non fuit usus; si vero agatur de continuis, tempus currit a die quo aliquid contra illas actum est².

CAPUT SECUNDUM

DE SERVITUTIBUS PERSONALIBUS, ID EST DE USU, USUFRUCTU³, HABITATIONE ET POSSESSIONE

673. Q. 1. *Quid est usus?*

R. Usus definitur: *Jus utendi rebus alienis, salva earum substantia tum quoad materiam tum quoad formam.* Cui competit usus, dicitur *usuarius*; ad quem pertinet rei proprietates sive dominium, *propriarius*.

Dicitur: 1. *utendi*, et significat facultatem usuario convenientem extendi ad illa dumtaxat, quæ ad usum quotidianum sibi et familiæ sunt necessaria juxta ejus conditionem, non

¹ Cod. civ. Ped., art. 669. — C. A. 525. — C. G. 705. — C. S. 624. — C. P. 552. — C. M. 645.

² De servitutibus consularum Codex civilis Gallicus ab art. 637 ad art. 710.

³ Cod. civ. Gall., ab art. 578 ad 636.

exclusis filiis nascituris. Unde si usuarius initio anni acceperit quæ sibi sunt necessaria ad integrum annum, et ante anni finem decedat, illius hæredes restituere debent id quod superest.

2. *Alienis rebus*, et indicat usum in rebus propriis consistere non posse; quilibet enim in rebus suis non usum tantummodo, sed dominium quoque habere dicitur. Tenetur autem præstare cautionem re utendi instar boni patrisfamilias, nec potest jure suo uti, nisi honorum confecto inventario; item pro ratione fructuum quos percipit tenetur de medicis reparationibus et ordinariis tributis.

3. *Salva earum substantia*, etc.: unde usuarius non potest ne in meliorem quidem formam rem, cujus usum consecutus est, immutare. Item neque potest usus alteri locari, vendi, sequestrari, aut donari: et ideo qui usum habet, v. g., equi, vestis, horti, pro se tantum ac suis hæc uti potest; usus enim in eo consistit, ut quis re utatur pro mensura tantummodo suæ quotidianæ necessitatis: nisi tamen clare appareat ipsi largiorem facultatem fuisse concessam; nam usus ab ipsa conventionem primum sustinetur⁴.

674. Usus tum voluntate hominis constituitur, tum lege. Extinguitur autem si *conventionalis*, morte usuarii, finito tempore præstabilito, consolidatione (cum nempe usuarius rem quem habet ad usum, facit suam titulo legitimo), item renuntiatione; item non usu, vel abusu, vel totali rei interitu. At si agatur de usu *legali*, nullus est usus a lege constitutus, si forsitan casum excipias viduæ cui lex tribuit, anno luctus, jus habitationis et alimentorum: quo in casu patet illum, eo anno transacto, extingui⁵.

675. Q. 2. *Quid est usufructus?*

R. Usufructus definitur: *Jus utendi et fruendi aliena re, sicut ipse proprietarius; salva tamen ejus substantia tum quoad materiam, tum quoad formam.* Ideo usufructuarius non posset immutare rem, etsi in melius; v. g., si ei datus sit fundus voluptuarius, non posset arbores infructuosas ad

⁴ Cod. civ. Ped., art. 540 et seqq. — C. A. civ. 504. — C. G. 628. — C. S. 556. — C. P. 487. — C. M. 507.

⁵ C. G. 1465, 1500.

amœnas deambulationes inservientes destruere ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quod fructum reddat. Ususfructus differt ab usu eo quod latius pateat; nam *uti simpliciter* est fructus dumtaxat necessarios ad usum quotidianum percipere¹: v. g., si quis habet usum alicujus horti, potest quidem fructus ab eo suscipere pro se et suis et hospitem victum, sed non potest eos alienare et extraneis elargiri. Potest autem, si ejusdem habeat usumfructum.

Nomine *fructuum* generatim intelligitur illud omne, quod res fert vel producit; fructus enim dicti sunt a *ferendo*. Sunt alii *naturales*, qui ex re ipsa, et fere solius naturæ beneficio producuntur, uti herba, ligna, poma, nuces: item lac, lana et foetus animalium. Alii *industriales*, qui sola industria acquiruntur, ut lucrum quod percipitur a pecunia, quæ negotiationi exponitur, aut a meliorationibus rei factis. Alii *mixti*, qui partim a natura et partim ab industria habentur, uti sunt oleum, vinum, caseus, frumentum, segetes². Alii tandem *civiles*, qui proveniunt tantummodo occasione rei, aut vi obligationis particularis in jure civili fundatæ: v. g., pretium domus vel libri, vestis aut fundi locati, usuræ pecuniæ mutuo datæ, etc.

Ususfructus dividitur: — 1. in *proprium* et in *improprium*. Ille constituitur in rebus, quæ usu minime consumuntur, uti sunt domus et hortus; iste vero constituitur in *rebus fungibilibus*, uti vocant, quæ nempe usu consumuntur, uti sunt, v. g., panis, vinum et oleum: ususfructus improprius dicitur *quasi-ususfructus*; — 2. in *particularem*, et est quando ususfructus constituitur in una vel pluribus rebus mobilibus vel immobilibus, determinatis tamen, v. g., in tali vel talibus de-

¹ Illud *ad usum quotidianum* non sic oportet intelligi, quasi non aliud liceat, quam quæ singulos in dies sufficiant: *Recte*, ait Dettori, *simul ac semel accipit, quæ sibi in annum necessaria sint*.

² Jus civile non distinguit nisi fructus naturales, industriales atque civiles; mixtos autem, quos addunt Theologi, claritatis gratia, inter industriales recenset (C. G., art. 582 et seqq.). — Ipsi autem fructus naturales et industriales dividuntur in *nascituros et natos*: et isti in *pendentes* vel in *perceptos*, et isti adhuc in *extantes* vel in *consumptos*. — V. Liguori, *Op. Mor.* l. III, nn. 487 et 610.

signatis domibus vel fundis. Et in *universalem*, nempe quando ususfructus fundatur in tota vel parte bonorum omnium, quæ auctor ipsius ususfructus possidebat, v. g., si data sint in usumfructum omnia immobilia, vel tertia pars omnium immobilium quæ Titius habet.

676. Ususfructus constituitur: 1. *lege*: sic lex concedit patri et matri usumfructum in bonis filiorum; et conjugi superstiti concedit usumfructum in parte bonorum conjugis, qui intestatus decessit; 2. *voluntate hominis*, v. g., vi conventionis, donationis, testamenti¹.

677. Q. 5. *Quænam sunt jura fructuarii?*

R. Habet fructuarius in genere, seclusa conventionione:

1. Ut possit fructus omnes percipere sive naturales sive industriales, eosque suos facere sive collegerit per se sive per alios. Collecti intelliguntur, cum a solo vel a re fuerint separati: hinc si fructuarius moriatur, fructibus quidem maturis, sed nondum a solo vel a re separatis, fructuarii hæredis non sunt; sed rei proprietarii. Quod si fructuario jam morituro, ejus hæres fructus immaturos collegerit, tenetur eos proprietario restituere; nam neque ipse fructuarius poterat fructus immaturos colligere. Habet autem jus in omnes civiles fructus, etiam in laudimia emphyteutica; fructus tamen civiles non censentur acquiri nisi de die in diem: ideo spectant ad fructuarium tantum pro ratione temporis, quo ususfructus perdurat; — 2. ut possit fructus vendere, donare, locare et pignori tradere; nam qui per alium fruitur, per se frui censetur; — 3. ut fruatur juribus et iis modis, quibus frueretur proprietarius. Legi etiam consentaneum est, ut (nisi contraria appareat domini voluntas) tradantur fructuario fundi instrumenta, puta, torcularia, vasa vinaria, quæ in ipso reperiuntur; non enim præsumendum testatorem voluisse ut fructuarius sibi instrumenta necessaria compararet pro fundo, quo ad tempus tantum usus sit; — 4. ut omnibus utatur remediis, quibus suum usumfructum tueatur, tum adversus eos qui usumfructum impediunt, tum adversus eos

¹ Cod. Ped., art. 489 et 959. — C. A. 480. — C. G. 579. — C. S. 504. — C. P. 420. — C. M. 444.

qui fructus perceperint, ut eos restituant¹. Hinc versus:

Colligit et vendit, fruitur, sua jura tuetur.

678. Q. 4. *Quænam sunt onera fructuarii?*

R. Onera fructuarii in genere ad hæc revocari possunt: — ut fructuarius rem restituat proprietario in illo statu, in quo eam accepit: ideo initio ususfructus fieri debet inventarium rerum mobilium, et descriptio status rerum immobilium, quæ in usumfructum cedendæ sunt, non obstante quacumque dispensatione testatoris; — 2. ut rebus fruatur tanquam bonus paterfamilias: iccirco tenetur cautionem præstare *bene utendi*, nisi eum dispenset lex: sic lex a præstanda cautione dispensat patrem et matrem circa usumfructum in bonis filiorum; — 3. ut tributa ordinaria persolvat: reparationes item ordinarias peragat: atque abusus et damna omnia præcaveat, etiam lites sustinendo, si opus sit; — 4. ut solvat pro rata suæ partis annualitates, quibus res in usumfructum data gravatur; si tamen illum habeat titulo universalis. Si autem usumfructum habeat titulo particulari, ad hæc onera solvenda non tenetur: quod si fuerit compulsus, habet regressum contra dominum rei.

679. Diximus *in genere*; nam de usufructu speciali notamus:

1. Quoad usumfructum *agri*, nullum jus competit fructuario in metalli fodinas vel lapidicinas, quæ non fuerint aperta incipiente usufructu. Nec in alias materias ad comburendam apta, quæ nondum effodi cœperant: nec in thesaurum, qui durante usufructu inveniretur.

2. Quoad usumfructum *gregis*, si ille in uno tantum animali consistat, eo sine culpa pereunte, ad nihil tenetur fructuarius. Si vero consistit in toto grege, fructuarius qui fœtus, lac, pilos ac lanam percipit, tenetur in locum demortuorum alia capita substituere, habita ratione natorum. Sed si integer

¹ Fructus naturales vel industriales adhuc pendentes cum incipit ususfructus, sunt ususfructuarii sed spectant quoque ad proprietarium si, eis adhuc pendentibus, ususfructus cesset. In neutro autem casu adest obligatio repetendi semina ad pretium culturæ. Cod. Ped., art. 494. — C. G. 582 et seqq. — C. S. 507. — C. P. 431. — C. M. 446.

grex casu perit, non tenetur nisi ad reddendam rationem coriorum, aut eorum æstimationis.

3. Quoad *usumfructum sylvæ* hæc statuuntur: — a. quod pertinet ad sylvas cæduas, quæ nempe succisæ ex stirpibus radicibusque renascuntur, fructuarius potest illarum arbores succidere, modo servet ordinem ac mensuram consuetudine inductam. Quod valet etiam de arboribus alti roboris, si ita sint distributæ, ut earum complures statis temporibus succidantur; — b. potest sibi fructuarius vindicare arbores alti roboris, quæ per fundos huc illicque dispersæ sunt, si usus sit ut periodicæ succidantur. Sicuti potest tot palos e sylvis cædere, quot sunt necessarii pro instruendis vinetis, quorum habet usumfructum, servato tamen more regionis aut proprietariorum praxi; — c. ipsi quoque cedunt omnes arbores frugiteræ demortuæ aut casu avulsæ vel fractæ, cum onere tamen totidem alias substituendi¹.

680. Q. 5. *Quot modis ususfructus extinguitur?*

R. Ad 1: Ususfructus, prout diverso modo, lege nempe et conventionne constituitur, et modo diverso extinguitur.

Legalis ususfructus extinguitur: — 1. si filius compleverit annum 18, vel si ante illam ætatem emancipetur aut moriatur; — 2. si filius matrimonium contraxerit cum patris consensu; sed completa ætate annorum 25, si ille sit masculus; et 21, si illa sit fœmina²; — 3. si cessaverit patria potestas. Poterit tamen pater cum filium emancipat aut illius matrimonio consentit, sibi reservare usumfructum vel in parte vel in toto, usque ad 50 annum filii; — 4. ususfructus matris in bona filiorum cessat cum filii majores evadunt³; — 5. ususfructus conjugis in parte hæreditatis conjugis præmortui, cessat si conjux ad secundas nuptias convolet, adhuc vivente filio primi matrimonii. Hinc versus:

*Mors, ætas, nuptus, geniti patrisve potestas;
Non fruitur mater, major si filius adsit;
Bis nuptus conjux haud conjugis asse fruetur.*

¹ Cod. Ped., art. 500. — C. A. 511. — C. G. 590 et seqq. — C. S. 515. — C. P. 440. — C. M. 455.

² C. G. 384. — ³ C. G. 586.

Ususfructus conventionalis extinguitur: — 1. finito tempore, si quod fuerit constitutum; si tamen tibi, v. g., sit concessus ususfructus usquedum Titius ad talem ætatem pervenerit et ante moriatur, ususfructus nihilominus perseverat usque ad præfinitum tempus; — 2. morte fructuarii; quum enim ususfructus sit jus personale, morte ejus cui competit, extingui debet. Quod si ususfructus civitati vel collegio relictus sit, tunc extinguitur post triginta annos, nisi majus temporis spatium fuerit determinatum in ususfructus constitutione; sed nequit excedere annos sexaginta¹; — 3. *totali* rei interitu; sane ususfructus est jus in corpore, quo sublato, et ipse tollatur necesse est². Diximus *totali*; nam si partialiter tantum res perit, susinetur in eo quod remanet, ususfructus; — 4. non usu: videlicet si fructuarius neque per se neque per alium spatio ad præscriptionem determinato, jure suo non utatur, et interim utatur proprietarius; — 5. abusu, uti constat ex his verbis Codicis civilis Gallici, art. 618: « L'usufruit peut aussi cesser par l'abus que l'usufruitier fait de la jouissance, soit en commettant des dégradations sur le fonds, soit en le laissant dépérir, faute d'entretien; » — 6. consolidatione, quum nempe fructuarius rei ipsius proprietatem consequitur; item renuntiatione, quæ tamen si sit fraudulenta, poterit invalidari³. Hinc versus:

*Temporis, utentis, rei, usus, finis, abusus;
Si sit proprietatis, fructus tunc explicit usus.*

681. *Nota*: Ususfructuarius nullum habet jus ad compensationem exigendam pro meliorationibus a se factis, licet res ipsa pretiosior inde facta sit; attamen augmentum pretii compensari poterit cum detrimentis, si quæ secuta sint absque gravi culpa fructuarii. Quæ compensatio si locum habere nequeat, licebit usufructuario aut ejus hæredibus resumere sibi factas additiones, modo absque fundi detrimento, et cum aliqua fructuarii utilitate auferri possint.

Quo casu vero proprietarius eligat factas additiones sibi retinere, id quidem ipsi licebit, modo solvat usufructuario illam æstimationem,

¹ « L'usufruit qui n'est pas accordé à des particuliers ne dure que trente ans. » Cod. civ. Gall., art. 619.

² Cod. civ. Gall., art. 623, 624.

³ Cod. Ped., art. 528. — C. A. 529. — C. G. 617. — C. S. 542. — C. P. 472. — C. M. 489.

quam hic obtinere posset, si eas e fundo tolleret. At semper licebit usufructuario ejusque hæredibus sibi recuperare specula, tabulas depictas et alia ornamenta, quæ sita fuerint in fundo usufructui obnoxio, dummodo omnia in pristinum statum restituantur.

682. Q. 6. *Quid de habitatione dicendum* ¹?

R. *Habitatio est jus alienas ædes habitandi, salva earum substantia*. Qui inhabitandi jus habet, una cum familia habitare potest, licet postea matrimonium contraxerit; sed non poterit hoc jus alteri cedere, vel locare. Quoad onera, qui totam habitat domum, tenetur ad ordinarias expensas: qui partem habitat, tenetur pro rata. Ceterum nisi alia sit conventio, habitatio regitur eodem modo, quo ususfructus².

683. Q. 7. *Quid est possessio* ³?

R. *Possessio* (sic dicta quasi *positio pedis* vel *positio sedis* vel *sessio cum potestate* vel *potentia*) poterit definiri: *Legitima rei detentio*. Cum proprietate solet confundi, differt tamen: sane potest quis rem possidere, quin sit proprietarius illius, aut e contrario. Scilicet possessio est jus, quo rem detineo uti meam; proprietas vero (seu dominium) est ipsum jus quo res est mea et ego sum dominus ejus.

Possessio generice acquiritur apprehensione *vera* vel *ficta* vel *legali*. Si res est nullius, uti sunt pisces maris, ad eam acquirendam requiritur apprehensio *vera*. Si res est alicujus, qui vult alteri tradere possessionem suam, sufficit apprehensio *ficta*, ut si tradantur claves domus. Si vero res acquiritur sola legis dispositione sine corporis et animi adminiculo, habetur apprehensio *legalis*: hoc sensu hæres, etsi nesciens, acquirit possessionem defuncti testatoris.

Perditur possessio *facto nostro*, ut si rem abjiciamus; *facto alieno*, ut si eam quis jure occupet; *casu*, ut si incendio pereat; *lege disponente*: sic lex statuit, ut quorundam animalium possessio fuga amittatur.

¹ Cod. Ped. art. 557. — C. A. 480 et 520. — C. G. 625 et seqq. — C. S. 550. — C. P. 481. — C. M. 501.

² Codex civilis jus habitationis confert uxori, anno luctus, ut videre est Cod. Ped., art. 1562. — C. A. civ., § 1243. — C. G. 4570. — C. S. 1585. — C. P. 1376. — C. M. 1456.

³ Vid. Cod. civ. Gall., ab art. 2228 ad 2255.

684. *Quomodo (quæres) dividitur possessio?*

R. Præcipue dividitur in possessionem facti et juris.

1. *Possessio facti* definitur: *Rei detentio corporis, animi et juris adminiculo*. Dicitur 1° *rei*, quo nomine intelligimus non solum res corporeas; sed etiam incorporeas, uti sunt census, patronatus, etc., quæ a Jurisconsultis *quasi-possideri* dicuntur, ad discrimen rerum corporearum; 2° *corporis adminiculo*, quia ut res aliqua de facto possideatur, debet actu aliquo corporali apprehendi, v. g., manibus, oculis, scriptura et similibus; 3° *animi*, quia res ut possideatur, debet apprehendi animo illam habendi uti suam; 4° *juris*, id est jure non resistente, quia ad possessionem legitimam hoc requiritur, ut leges non impediunt, quominus detentio rei censeatur vera ejusdem possessio¹.

2. *Possessio juris* definitur: *Jus insistendi rei tanquam suæ non prohibite possideri*. Dicitur: 1° *jus*, per quod differt a possessione facti, quæ est ipsa occupatio rei vel ejus detentio; 2° *insistendi rei*, id est rem pacifice detinendi, et juris remediis eam tuendi contra perturbatores; 3° *tanquam suæ*; nam si quis insistat rei nomine alieno, non erit vera possessio. Sic tutor dici nequit possidere bona minoris, sed minor ipse possidet per tutorem; quia tutor non retinet illa bona ut sua, sed nomine minoris: 4° *non prohibite possideri*, id est nulla lege resistente.

685. *Possessio* hos habet *effectus*: 1. parit præscriptionem, et dominium possidenti acquirit, si ea habeat conditiones requisitas; 2. in dubio, an quis sit rei dominus, melior est conditio possidentis; 3. possessor non tenetur probare rem esse suam, possessio enim parit præsumptionem domini: et ideo tunc recte dicitur *possideo quia possideo*; 4. turbatus in possessione, in ea est restituendus prius quam de possessionis justitia agatur².

¹ Sic detentio rei sacra a laico, ne possessio quidem facti dici potest; quia jus talem possessionem impedit. Contra detentio rei furtivæ profanæ penes furem est vera possessio facti; quia jus non impedit, quominus talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

² Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v° Spoliator, Spoliatus. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 35. — Roncaglia, *Anacletus*, etc.

APPENDIX

DE MERCATURA SEU COMMERCIO

686. *Commercium* sic dictum quasi *commutatio mercium*, juxta hodiernam acceptionem solet communiter defini: *Complexio omnium operationum ac negotiationum ad lucra facienda, sive merces nova forma per industriam donando, sive eas uti sunt transvehendo et cum aliis commutando*. Hæc tamen commutatio nec semper nec facile oblinebat, quia nec facile nec semper unus habebat quod alteri deerat. Adde plura incommoda in mercium translatione: hinc electa fuit materia, quæ omnes res repræsenteret, et qua mediante, quisque posset merces cujusvis generis et vendere et emere etiam apud extraneos: hæc materia est pecunia. Verum nova difficultas, cum quælibet natio pecuniam habeat suam diversi valoris ac bonitatis; huic porro incommodo occurrerunt mensæ nummulariæ (vulgo *les banques*) Venetiis primum sæc. XII institutæ¹, quarum officium est commutare pecunias, quæ ibi a mercatoribus deponuntur. Tandem si quæ erat difficultas in tam frequenti pecuniæ translatione, sublata est per litteras *cambiales*; sicque hodie etiam remotissimæ urbes promptum ac securum secum invicem habent commercium.

Commercium præcipue dividitur in *terrestre ac maritimum*, prout vel terra vel mari exercetur. Item maritimum aliud est longi itineris, si nempe fiat ultra fretum Sundicum et Gibraltariæ; aliud parvi itineris (vulgo *cabotage*), si navigatio contingat non longe a terra, sed de littore ad littus, de capite ad caput. Ad commercium fuerunt peculiare adsignate leges, quas Theologus penitus ignorare non debet, si velit commerciatores rite dirigere, ideo magis quia hodierna societas negotiatoribus plena est.

Ut quis sit verus commerciator seu negotiator, requiritur tum ut actus commercii exercent; tum ut eos habitualiter faciat: item notandum commercium proprie dictum respicere res fungibiles, mobiles, quæ facile de manu ad manum venire possunt sine tot solemnitatibus. Quorum quidem omnium ratio habenda est, cum mercator particulari

¹ Quæ non sunt confundendæ cum aula commerciali, vulgo *bourse de commerce*; sub hoc enim nomine *Codex commercii*, art. 71, intelligit: «La Bourse de commerce est la réunion qui a lieu, sous l'autorité du roi, des commerçants, capitaines de navires, agents de change et courtiers.»

684. *Quomodo (quæres) dividitur possessio?*

R. Præcipue dividitur in possessionem facti et juris.

1. *Possessio facti* definitur: *Rei detentio corporis, animi et juris adminiculo*. Dicitur 1° *rei*, quo nomine intelligimus non solum res corporeas; sed etiam incorporeas, uti sunt census, patronatus, etc., quæ a Jurisconsultis *quasi-possideri* dicuntur, ad discrimen rerum corporearum; 2° *corporis adminiculo*, quia ut res aliqua de facto possideatur, debet actu aliquo corporali apprehendi, v. g., manibus, oculis, scriptura et similibus; 3° *animi*, quia res ut possideatur, debet apprehendi animo illam habendi uti suam; 4° *juris*, id est jure non resistente, quia ad possessionem legitimam hoc requiritur, ut leges non impediunt, quominus detentio rei censeatur vera ejusdem possessio¹.

2. *Possessio juris* definitur: *Jus insistendi rei tanquam suæ non prohibita possideri*. Dicitur: 1° *jus*, per quod differt a possessione facti, quæ est ipsa occupatio rei vel ejus detentio; 2° *insistendi rei*, id est rem pacifice detinendi, et juris remediis eam tuendi contra perturbatores; 3° *tanquam suæ*; nam si quis insistat rei nomine alieno, non erit vera possessio. Sic tutor dici nequit possidere bona minoris, sed minor ipse possidet per tutorem; quia tutor non retinet illa bona ut sua, sed nomine minoris: 4° *non prohibita possideri*, id est nulla lege resistente.

685. *Possessio* hos habet *effectus*: 1. parit præscriptionem, et dominium possidenti acquirit, si ea habeat conditiones requisitas; 2. in dubio, an quis sit rei dominus, melior est conditio possidentis; 3. possessor non tenetur probare rem esse suam, possessio enim parit præsumptionem domini: et ideo tunc recte dicitur *possideo quia possideo*; 4. turbatus in possessione, in ea est restituendus prius quam de possessionis justitia agatur².

¹ Sic detentio rei sacra a laico, ne possessio quidem facti dici potest; quia jus talem possessionem impedit. Contra detentio rei furtivæ profanæ penes furem est vera possessio facti; quia jus non impedit, quominus talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

² Ferraris, *Bibliotheca*, etc., v^o Spoliator, Spoliatus. — Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 35. — Roncaglia, *Anacletus*, etc.

APPENDIX

DE MERCATURA SEU COMMERCIO

686. *Commercium* sic dictum quasi *commutatio mercium*, juxta hodiernam acceptionem solet communiter defini: *Complexio omnium operationum ac negotiationum ad lucra facienda, sive merces nova forma per industriam donando, sive eas uti sunt transvehendo et cum aliis commutando*. Hæc tamen commutatio nec semper nec facile oblinebat, quia nec facile nec semper unus habebat quod alteri deerat. Adde plura incommoda in mercium translatione: hinc electa fuit materia, quæ omnes res repræsenteret, et qua mediante, quisque posset merces cujusvis generis et vendere et emere etiam apud extraneos: hæc materia est pecunia. Verum nova difficultas, cum quælibet natio pecuniam habeat suam diversi valoris ac bonitatis; huic porro incommodo occurrerunt mensæ nummulariæ (vulgo *les banques*) Venetiis primum sæc. XII institutæ¹, quarum officium est commutare pecunias, quæ ibi a mercatoribus deponuntur. Tandem si quæ erat difficultas in tam frequenti pecuniæ translatione, sublata est per litteras *cambiales*; sicque hodie etiam remotissimæ urbes promptum ac securum secum invicem habent commercium.

Commercium præcipue dividitur in *terrestre ac maritimum*, prout vel terra vel mari exercetur. Item maritimum aliud est longi itineris, si nempe fiat ultra fretum Sundicum et Gibraltariæ; aliud parvi itineris (vulgo *cabotage*), si navigatio contingat non longe a terra, sed de littore ad littus, de capite ad caput. Ad commercium fuerunt peculiare adsignate leges, quas Theologus penitus ignorare non debet, si velit commerciatores rite dirigere, ideo magis quia hodierna societas negotiatoribus plena est.

Ut quis sit verus commerciator seu negotiator, requiritur tum ut actus commercii exercent; tum ut eos habitualiter faciat: item notandum commercium proprie dictum respicere res fungibiles, mobiles, quæ facile de manu ad manum venire possunt sine tot solemnitatibus. Quorum quidem omnium ratio habenda est, cum mercator particulari

¹ Quæ non sunt confundendæ cum aula commerciali, vulgo *bourse de commerce*; sub hoc enim nomine *Codex commercii*, art. 71, intelligit: «La Bourse de commerce est la réunion qui a lieu, sous l'autorité du roi, des commerçants, capitaines de navires, agents de change et courtiers.»

ac faciliori tribunali subdatur, nec semper teneatur bonis suis omnibus cedere, si decoctus evadat, ut tenetur non mercator¹.

687. Q. 1. Quinam commercia exercere possunt?

R. Omnes possunt commercia exercere qui possunt se obligare, nec prohibentur a lege. A civili autem lege hæc speciatim decernuntur: — 1. minores, si completa ætate annorum 18 emancipentur et simul auctorizationem ad hoc obtineant vel a patre vel a consilio familiæ juxta rerum adjuncta, commercium valent exercere: ac tunc reputantur uti majores, qui se obligare possunt, et sua immobilia alienare; — 2. filii-familias si ætate majores commercium exerceant, habentur ut patres-familias quoad ipsorum commercium: et possunt mutuare pecunias et pater in ipsorum bonis mobilibus in commercium positus non potest experiri jus usufructus in creditorum præjudicio, etc.; — 3. mulieres innuptæ libere possunt commercium exercere, atque in rebus commercii se fidejussores constituere: at mulieres nuptæ vetantur sine viri consensu. Uxor commercium exercens si ætate major, libere potest pignori dare, in judicio se sistere, hypothecare, immobilia vendere, quoad actus nempe sui commercii: attamen quod pertinet ad bona dotalia, servantur leges a Codice civili præscriptæ²; — 4. tandem tum proxenetæ tum agentes cambii prohibentur proprio nomine actus commercii exercere³.

688. Q. 2. Quid de societatibus commercialibus?

R. Contractus societatis, nisi suæ sint leges speciales, regitur juxta

¹ On appelle *marchand* celui qui fait de l'achat et de la vente des marchandises son trafic habituel; *fabricant* ou *manufacturier* celui qui convertit les matières premières en objets d'une autre forme pour en faire trafic; *commissionnaire*, celui qui fait des opérations pour le compte d'autrui, moyennant la rétribution d'un tant pour cent, appelé *le droit de commission*; *banquier*, celui qui trafique sur l'argent ou les valeurs de crédit, actions et obligations industrielles; *armateur*, celui qui arme des navires pour le transport des marchandises et des passagers. (Not. édit.)

² C. Ped. comm., art. 2 et seqq. — C. A. comm. 2. — C. G. comm. 7. — C. M. civ. 2417.

³ Les agents de change, constitués de la manière prescrite par la loi, ont seuls le droit de faire les négociations des effets publics et autres susceptibles d'être cotés; de faire pour le compte d'autrui les négociations des lettres de change ou billets, et de tous papiers commerciables, et d'en constater le cours. Les agents de change pourront faire, concurremment avec les courtiers de marchandises, les négociations et le courtage des ventes ou achats des matières métalliques. Ils ont seuls le droit d'en constater le cours. Il y a des courtiers de marchandises, des courtiers d'assurances, des courtiers interprètes et conducteurs de navires, des courtiers de transport par terre et par eau. — Cod. Gall. comm., art. 76, 77.

normam *civilis Codicis*. — Porro *Codex commercii* quatuor societatis commercialis species enumerat, ac leges adsignat: 1. est societas *nomine colectivo*, quam duo vel plures ineunt ad negotiandum sub uno nomine sociali (*sous une raison sociale*): in hac omnes socii obligantur in solidum, etsi unus tantum se subscribat; 2. est societas *in commendationem* (vulgo *en commandite*), et est quæ initer socios nomine colectivo, et socios qui rem suam ita conferunt, ac quasi commendant, ut nullum aliud periculum, nisi rei suæ in se suscipere velint; 3. est societas *anonyma*, quæ nullum sociorum nomen præ se fert, sed a re quam aggreditur, indicatur: sic dicitur *la banque de Gènes, la compagnie des Indes, la compagnie d'assurances*, etc.: pro hac tamen legitime constituenda requiritur supremi legislatoris permissio¹; 4. tandem est societas *participationis*, et tunc evenit cum singuli socii agunt proprio nomine ea conditione, ut postea invicem conferant lucra, atque dividant: hæc ultima societas non iisdem subditur regulis, quibus ceteræ jam supra numeratæ².

689. Q. 3. Quid de commissionario et mercium vectoribus?

R. Ad 1: « Le commissionaire est celui qui agit en son propre nom, ou sous un nom social, pour le compte d'un commettant³. » Illic non tenetur ei, quocum contrahit, nomen sui committentis indicare: hinc ipse dumtaxat tenetur erga eundem, perinde ac si negotium, quod agit, esset suum: committens autem non habet actionem casu quo damnificetur, nisi contra commissionarium. Quod si commissionarius expresse agat nomine committentis, tunc habetur uti simplex mandatarius, et ejus jura et onera etiam erga tertios in hoc casu declarantur a civili Codice, ubi de mandato⁴.

R. Ad 2: Commissionarii rerum quæ sibi committuntur, naturam, quantitatem, et si id postuletur, valorem in diarium (vulgo *journal*) tenentur referre; et eas transferre pacto temporis spatio, nisi impossibilitas obsistat. Item respondere debent de ipsarum interitu vel de-

¹ C. Ped. comm., art. 28 et seqq. — C. A. comm. 18. — C. G. comm. 19 et seqq. — C. M. civ. 2431.

² C. G. comm. 47 et seqq.

³ On appelle *expéditeur* celui qui fait l'envoi des marchandises, et destinataire celui à qui elles sont adressées. Quant aux transports, on distingue le commissionaire pour les transports, lequel se charge du transport, et le voiturier, qui effectivement fait l'opération du transport. Le commissionaire est, comme le voiturier, garant de l'arrivée des marchandises, des avaries ou pertes, hors les cas de force majeure. — Cod. Ped. comm., art. 97. — C. A. comm. 91. — C. G. comm. 91. — C. M. civ. 2475.

⁴ C. Ped. art. 98 et seqq. — C. A. comm. 92. — C. G. comm. 92. — C. M. civ. 2476.

trimento, nisi id sine culpa contigisse demonstrant. Quæ dispositiones applicantur etiam navium dominis, ac publicarum vecturarum¹.

690. Q. 4. Quomodo probatur emptio-venditio in commercio?

R. *Codex commercii*, art. 109, habet: « Les achats et ventes se constatent : par actes publics; par actes sous signature privée; par le bordereau ou arrêté d'un agent de change ou courtier, dûment signé par les parties; par une facture acceptée; par la correspondance; par les livres des parties; par la preuve testimoniale, dans le cas où le tribunal croira devoir l'admettre. »

Lex omnibus mercatoribus tres libros præscribit: unum, in quo adnotent quotidiana debita et nomina, item quotidianas commercii operationes ac permutationis litteras (vulgo *livre-journal*); alterum, in quo epistolarum quas miserunt exemplaria describant (epistolæ quas receperunt sunt custodiendæ); tertium, in quo singulis annis recensent omnia debita ac credita, licet ad commercium non pertinentia, item mobilia et immobilia (*livre d'inventaire*). In his libris nulla lacuna relinquatur, nihil abradatur vel ita deletur, ut legi amplius nequeat: signentur autem a iudice tribunalis commercii vel mandamenti, ac per decem annos serventur; si enim rite sint confecti, fidem facere possunt in iudicio, et liberare mercatorem a suspitione dolosæ decoctionis².

Etiam agentes cambii atque proxenetæ suos libros habere debent³.

691. Q. 5. Quid de litteris cambii (vulgo de change) 4?

R. Littera cambialis medium est, quo contractus cambii trajectitii facillime perficitur; etenim quin ipsa pecunia mittatur alibi solvenda, eo mittitur hæc littera cambii, quam qui accipit, illam pecuniæ summam a designata persona exigere valet. Hic plurima habet *Codex* tum quoad formam, qua hæc litteræ confici debent; tum quoad personas, quæ iis se valent obligare; tum quoad provisionem, quam debet suppeditare qui litteras mittit, et cui illæ mittuntur, ut solvat (vulgo *provision*); tum quoad earum acceptationem vel recusationem; tum

¹ C. Ped. comm. 106 et seqq. — C. A. comm. 103. — C. G. comm. 96. C. M. civ. 2487.

² En libri necessarii. Sunt et alii ad auxilium, quos etiam præstat habere: sunt vulgo *grand-livre*, *livre de caisse*, *livre des traites et remises*, *livre des achats et livre des ventes*. Ita *Cod. comm. Ped.*, art. 17 et seqq., 652. — C. A. comm. 8. — C. G. comm. 8. — C. M. civ. 2423.

³ *Cod. comm. Ped.*, art. 81, 89, 90 et 118. — C. A. comm. 84. — C. G. comm. 84.

⁴ C. G. comm., art. 110 et seqq. « On appelle *tireur* celui qui crée la lettre de change; *tiré*, celui sur lequel elle est tirée; *accepteur*, celui sur qui elle est tirée et qui s'engage à la payer en inscrivant sur ladite lettre de change le mot *accepté*, suivi de sa signature; *bénéficiaire*, celui au profit de qui elle est tirée; *porteur*, celui à qui elle est cédée. » Not. edit.

demum quoad casum, quo vel tempus pro solutione præfixum elaboratur, quin solutio facta sit (*échéance*); vel de uno in alium littera cambialis transferatur (*endossement*¹).

Huc etiam referri possunt schedulæ ad ordinem (*billets à ordre*). Porro solutio fit eo in loco, ubi hæc schedulæ emittuntur: quare nulla habetur translatio pecuniæ. Ut tamen schedula ad ordinem gaudeat privilegio litterarum cambii, necesse est, ut ipsa habeat pro objecto contractum commercialem, atque a mercatore signata sit; secus haberetur simplex obligatio ad normam *Codici* civilis².

692. Q. 6. Quid de contractu assecurationis commercialis?

R. Contractus assecurationis commercialis definiiri potest: *Conventio, qua quis vel plures, pacto præmio, rei alicujus periculum in se suscipiunt, se obligando ad ejus æstimationem solvendam, si pereat*. Qui periculum suscipit, *assecurator*; dominus rei, *assecuratus*; præmium vero, sub quo contractus initur, *præmium* appellari consuevit. Ut legitima sit assecuratio, pretium assecuratori statutum debet respondere periculo; item requiritur ut assecurator ignoret rem jam esse in tuto positam; assecuratus vero ut nesciat eam jam periisse. Item necesse est, ut assecuratus dolose rem suam non existimaverit ultra quam valeat; ipse autem assecurator non teneatur de detrimentis, quæ oriuntur ex vitio rei intimo, vel ex culpa proprietarii, vel vectoris, nisi contrarium stipulatum sit.

Duplex assecuratio: *terrestris* et *maritima*, prout quis suscipit tuenda pericula terræ vel maris in mercium translatione. De assecuratione terrestris nulla lex scripta habetur: unde ea resolvitur ex generalibus æquitatis aut juris principiis, habita ratione consuetudinis. Si tamen non de simplici assecuratore, sed de ipsis assecurationis societatibus (ut sunt quæ compensant damna ab incendio, vel grandine) agatur, tunc suæ speciales sunt leges a supremo legislatore probate. De assecuratione maritima (quæ ut valide obtineat, scripturam saltem privata fieri debet) plura habet *Codex commercii*: præcipua supra numerata sunt³.

Alia species contractus aleatorii est mutuatio ad omne periculum

¹ C. comm. Ped. 119 et seqq. — C. A. comm. 110. — C. G. comm. 110 et seqq. — C. P. civ. 1523. — C. M. civ. 2495.

² Les billets à ordre, souscrits ou endossés par des non commerçants, ne les rendent pas justiciables du tribunal de commerce. La lettre de change est, au contraire, un acte de commerce qui entraîne la juridiction des tribunaux de commerce. — Not. edit.

³ *Cod. comm. Ped.*, art. 502 et seqq. — C. A. comm. 352. — C. G. comm. 352 et seqq. — C. P. civ. 1854.

(*contrat à la grosse*) : poterit describi cum Bronzini : « Un prêt fait sur des objets exposés à des risques de mer, avec la condition que, s'ils arrivent à bon port, le prêteur sera payé de son capital et recevra en outre une somme déterminée à titre de profit maritime. Que si par les accidents de la navigation, ces objets viennent à périr ou sont détériorés, il perdra son argent et ne pourra recouvrer que le prix qu'on aura pu tirer de ces objets ¹. » In hoc contractu præcipua conditio est proportio inter lucra sperata et periculum rei ².

693. Q. 7. Quid de præscriptione in rebus commercii?

R. Spatio quinque annorum præscribuntur omnes actiones pro litteris cambii et epistolis ad ordinem. Ad debitores tamen eorumque hæredes deferri potest juramentum, quo affirmet se revera solvisse ³. Item quinquennio a finita vel soluta societate præscribuntur actiones contra solidarios socios ⁴ : actiones pro cambio maritimo vel navis assecuratione a die contractus ⁵.

Spatio unius anni præscribuntur omnes actiones pro conductione navis, stipendio nautarum, officialium, ceterorumque de comitatu, anno videlicet post confectum iter; item actiones pro alimentis ac ceteris rebus ad navem necessariis jussu navarci suppeditatis, ab anno videlicet post suppeditationem; item actiones pro salariis operariorum et operis præstitis, anno videlicet post acceptas operas; tandem actiones pro petitione mercium quæ tradendæ erant, anno videlicet post adventum navis. Ceterum in hisce casibus, juramentum debitori potest deferri ⁶.

Spatio sex mensium præscribuntur ⁷ actiones contra commissarios ac vectores (ubi dolus malus non intervenerit) propter merces deperditas aut deterioratas, si earum expeditio sit intra fines Ditionis : at si sit extra, ad præscribendum requiritur spatium unius

¹ Hujus contractus ex parte mentio fit in *Jure Romano*, tum *Digest.*, l. XXII, de nautico fœnore, tit. II; tum *Codic.*, lib. IV, de nauticis usuris, tit. xxxiii. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Nauticum fœnus.

² *Cod. comm. Ped.*, art. 341 et seqq. — C. A. comm. 311. — C. G. comm. 311.

³ *Cod. comm. Ped.*, art. 204. — C. A. comm. 166. — C. G. comm. 389. — C. P. comm. 172.

⁴ C. G. comm. 64.

⁵ C. comm. Ped., art. 462. — C. A. comm. 432. — C. G. comm. 452.

⁶ C. comm. Ped., art. 465 et seqq. — C. A. comm. 435. — C. G. comm. 455.

⁷ C. comm. Ped., art. 461, 405 et seqq. — C. A. comm. 452. — C. G. comm. 452.

anni computandum in rebus deperditis a die, qua transportatio perfici debuisset; in rebus deterioribus factis, a die qua fuerunt traditæ ¹.

Hic generatim observandum : dictæ præscriptiones particulares non currunt, ubi obligatio per scripturam etiam privatam redacta fuerit, vel intercesserint rationis redditio (*arrêté des comptes*), vel judicialis interpellatio compartis ².

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SEXTUM

(A) Page 365.

694. Violatio justitiæ legalis dicitur *illegalis injustitia*; justitiæ vero distributiæ dicitur *personarum acceptio*; justitiæ demum commutativæ, appellatur *injuria*. Nulli dubium est, quod cujuscumque justitiæ violatio sit ex genere suo mortalis; cum quælibet justitia sit gravissimi momenti ac gravissimi finis, utpote quæ respicit pacem civium, concordiam ac bonum commune, et jus alterius plus minusve lædat, ideoque semper includat læsionem charitatis : neque sane potest esse dilectio ubi committitur injuria. Quamquam diversa sit ratio justitiæ a ratione charitatis, nam charitas respicit bonum privatorum, quibus tenemur de nostro ex divina ordinatione providere; justitia e contrario respicit bonum publicum vel jus strictum alterius, id est quod jam est aliorum.

Quæstio autem a theologis institui solet, *an scilicet omnes injustitiæ species tales sint stricti nominis?* Sunt qui affirmant; quia veram obligationem inducunt unius ad alterum. Attamen verius alii id negant de justitia legali et distributiæ; nam illa tantum dici potest veri nominis justitia, cujus objectum est strictum jus, adeo ut ejus violatores teneantur de restitutione; hoc autem valet de sola justitia commutativa ex Angelico (2, 2, q. 61, a. 1; q. 185, a. 5). Quod vero pertinet ad vindictivam, hæc novam justitiæ speciem non constituit; nam tota in eo est, ut inclinet Superiorem ad infligendam reo pœnam

¹ C. comm. Ped., art. 117. — C. A. comm. 138. — C. G. comm. 138.

² C. comm. Ped., art. 464. — C. A. comm. 434. — C. G. comm. 454.

(*contrat à la grosse*) : poterit describi cum Bronzini : « Un prêt fait sur des objets exposés à des risques de mer, avec la condition que, s'ils arrivent à bon port, le prêteur sera payé de son capital et recevra en outre une somme déterminée à titre de profit maritime. Que si par les accidents de la navigation, ces objets viennent à périr ou sont détériorés, il perdra son argent et ne pourra recouvrer que le prix qu'on aura pu tirer de ces objets ¹. » In hoc contractu præcipua conditio est proportio inter lucra sperata et periculum rei ².

693. Q. 7. Quid de præscriptione in rebus commercii?

R. Spatio quinque annorum præscribuntur omnes actiones pro litteris cambii et epistolis ad ordinem. Ad debitores tamen eorumque hæredes deferri potest juramentum, quo affirmet se revera solvisse ³. Item quinquennio a finita vel soluta societate præscribuntur actiones contra solidarios socios ⁴ : actiones pro cambio maritimo vel navis assecuratione a die contractus ⁵.

Spatio unius anni præscribuntur omnes actiones pro conductione navis, stipendio nautarum, officialium, ceterorumque de comitatu, anno videlicet post confectum iter; item actiones pro alimentis ac ceteris rebus ad navem necessariis jussu navarci suppeditatis, ab anno videlicet post suppeditationem; item actiones pro salariis operariorum et operis præstitis, anno videlicet post acceptas operas; tandem actiones pro petitione mercium quæ tradendæ erant, anno videlicet post adventum navis. Ceterum in hisce casibus, juramentum debitori potest deferri ⁶.

Spatio sex mensium præscribuntur ⁷ actiones contra commissarios ac vectores (ubi dolus malus non intervenerit) propter merces deperditas aut deterioratas, si earum expeditio sit intra fines Ditionis : at si sit extra, ad præscribendum requiritur spatium unius

¹ Hujus contractus ex parte mentio fit in *Jure Romano*, tum *Digest.*, l. XXII, de nautico fœnore, tit. II; tum *Codic.*, lib. IV, de nauticis usuris, tit. xxxiii. — V. Ferraris, *Bibliotheca*, v^o Nauticum fœnus.

² *Cod. comm. Ped.*, art. 341 et seqq. — C. A. comm. 311. — C. G. comm. 311.

³ *Cod. comm. Ped.*, art. 204. — C. A. comm. 166. — C. G. comm. 389. — C. P. comm. 172.

⁴ C. G. comm. 64.

⁵ C. comm. Ped., art. 462. — C. A. comm. 432. — C. G. comm. 452.

⁶ C. comm. Ped., art. 465 et seqq. — C. A. comm. 435. — C. G. comm. 455.

⁷ C. comm. Ped., art. 461, 405 et seqq. — C. A. comm. 452. — C. G. comm. 452.

anni computandum in rebus deperditis a die, qua transportatio perfici debuisset; in rebus deterioribus factis, a die qua fuerunt traditæ ¹.

Hic generatim observandum : dictæ præscriptiones particulares non currunt, ubi obligatio per scripturam etiam privatam redacta fuerit, vel intercesserint rationis redditio (*arrêté des comptes*), vel judicialis interpellatio compartis ².

ADNOTATIONES

AD TRACTATUM SEXTUM

(A) Page 365.

694. Violatio justitiæ legalis dicitur *illegalis injustitia*; justitiæ vero distributiæ dicitur *personarum acceptio*; justitiæ demum commutativæ, appellatur *injuria*. Nulli dubium est, quod cujuscumque justitiæ violatio sit ex genere suo mortalis; cum quælibet justitia sit gravissimi momenti ac gravissimi finis, utpote quæ respicit pacem civium, concordiam ac bonum commune, et jus alterius plus minusve lædat, ideoque semper includat læsionem charitatis : neque sane potest esse dilectio ubi committitur injuria. Quamquam diversa sit ratio justitiæ a ratione charitatis, nam charitas respicit bonum privatorum, quibus tenemur de nostro ex divina ordinatione providere; justitia e contrario respicit bonum publicum vel jus strictum alterius, id est quod jam est aliorum.

Quæstio autem a theologis institui solet, *an scilicet omnes injustitiæ species tales sint stricti nominis?* Sunt qui affirmant; quia veram obligationem inducunt unius ad alterum. Attamen verius alii id negant de justitia legali et distributiæ; nam illa tantum dici potest veri nominis justitia, cujus objectum est strictum jus, adeo ut ejus violatores teneantur de restitutione; hoc autem valet de sola justitia commutativa ex Angelico (2, 2, q. 61, a. 1; q. 185, a. 5). Quod vero pertinet ad vindictivam, hæc novam justitiæ speciem non constituit; nam tota in eo est, ut inclinet Superiorem ad infligendam reo pœnam

¹ C. comm. Ped., art. 117. — C. A. comm. 138. — C. G. comm. 138.

² C. comm. Ped., art. 464. — C. A. comm. 434. — C. G. comm. 454.

debitam. Jam vero prout Superior per pœnam civium felicitati prospicit, ea ad legalem pertinet: prout pœnas ipsas criminum gravitati proportionatas decernit, ad distributivam: denique prout justitiæ vindicativæ officia exequitur ex quodam quasi-contractu cum Republica de recte negotiis publicis administrandis, pertinet ad justitiam commutativam (S. Thomas, 2, 2, q. 80).

695. In quonam discrepant justitia commutativa et distributiva?

R. Hoc discrimen notant, quod nempe justitia commutativa exercetur a cive ad civem, a privato ad privatum, et locum habet in contractibus ac in negotiis ad sociale commercium pertinentibus; servanda igitur in ea erit proportio rerum ipsarum, nempe æqualitas rei ad rem, uti si, v. g., debeas centum, reddas centum non attendendo nisi quod debetur, nullo habito per se respectu conditionis personæ: et hæc est proportio vulgo *arithmetica*. — Justitia autem distributiva exercetur a Superiore ad subditum, et locum habet in distribuendis honoribus et oneribus, præmiis ac pœnis; ideo non habet respectum rei ad rem, sed rei ad personas, seu ad merita personarum; unde illi, qui habent merita uti quinque, si tribuantur decem nummi, illi cui sunt merita, uti decem, tribui debent viginti: hæc proportio dicitur *geometrica*.

(B) Page 371.

Quando dicimus jus proprietatis in jure naturæ fundari, non ita intelligendum, quasi bonorum communionem jus naturæ absolute prohibeat; sed hoc sensu quod jus rationale rerum divisionem et vehementer suadeat et etiam præcipiat in præsentî miseræ statu, in quo vel ipsi fratres insurgerent, nisi esset adsignatum unicuique suum. In præsentiarum ergo supponimus peccatum tanquam causam divisionis; quia in statu innocentie ob summam hominum inter se coreordiam nulla fuisset causa aut necessitas dividendi. Et hoc sensu explicatur illud S. Clementis Papæ: *Per iniquitatem alius dixit hoc esse suum et alius istud; et sic inter mortales facta est divisio*. Neque dicas, jus proprietatis æqualitatem illam destruere, quam natura perfectam esse voluit inter omnes homines: natura quippe omnes quidem homines fecit æquales eo sensu, quod habeant æqualem originem et destinationem; sed natura non fecit homines æquales quoad conditiones privatas et individuales: hæc enim æqualitas stare nequit cum humana societate, quæ quidem ab ipsa natura enascitur.

696. Quomodo explicatur primæva dominiorum origo?

R. Docuere nonnulli dominia primum inter homines prodixisse a quo-

dam pacto, quod vocant *sociale*. Contendunt nempe, quod homines ab initio vitam egerint absque ulla inter se invicem relatione; quod pertæsi deinde incommo-
dorum, quibus in eo statu erant obnoxii, decreverint esse in societatem simul una et perpetuo cœundum: quod tandem societatis ejusdem vincula atque conditiones fundamentales, et revocabiles ad populi nutum, constituerint. Inter has vero condiciones illam dicunt præcipuam, ut singuli aliquam partem naturalis suæ libertatis amitterent et pro bono publico in unam personam vel in unum personarum cœlum conferrent, ut sic constitueretur aliquod Superioris imperium, seu *dominium*, ut dicunt, *jurisdictionis* (sine quo penitus perspexerant Societatem stare non posse); et simul induceretur conditionum inæqualitas, vi cujus distinguerentur etiam rerum et honorum proprietates. — Nobis hæc hypothesis non probatur; quis enim sanæ mentis credat hominem, quem Deus minuit paulo minus ab Angelis (Ps. viii), vix conditum more belluino vixisse? Homo est *animal sociale*, ait Angelicus, *et politicum in multitudine vivens* (Opusc. 20, l. 1).

Quod sane pertinet: 1. ad dominium jurisdictionis, falsum est illud a voluntaria hominum concessione derivasse: *Per me reges regnant*, ait Dominus; et Apostolus: *Non est enim potestas nisi a Deo* (Prov. 8); ideo qui potestati obedit, Deo obedit, quod nobile est et homine dignum.

2. Quoad rerum autem dominium, ab initio et mundi exordio res omnes fuisse communes ultro fatemur, dicente sacra Pagina: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum* (Psal. 115); sed vix crescente mortalium numero, ipso naturali jure compellente, necesse fuit a prima illa rerum communi-
one pedetentim discedere, quia aliter vitæ securitati consuli non poterat, neque discordia evitari, quæ in re communi immensæ solent oriri. Verum quidem est multas etiam nunc lites oriri occasione honorum temporalium; sed si omnia mansissent indivisa longe plures expectandæ erant. Lites igitur hac divisione si non extinctæ, admodum diminutæ sunt: non cessabunt autem omnino, nisi in patria cœlesti, quia non nisi in patria cœlesti cessabit, ut ait D. Chrysostomus, *meum ac tuum, frigidum illud verbum* (Orat. de S. Philol.). Nil ergo mirum, si ideo vel ab ipsis terræ exordiis rerum divisio induci cœperit; quod quidem ita factum est ex Lugo: *Nihil natura alicui in particulari applicuit, sed introduxit homines in mundum quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent et accipiendi facerent sua ea, quæ antea erant communia omnium; sicut ligna cœdua communia, antequam cœdantur, sunt in dominio communitatis....; per cæisionem vero sunt propria cædentis*. Sic Abel pastor effectus ovile sibi fecit proprium et proprias

oves : sic Cain factus agricola habuit proprios campos et eorundem proventus ; sic Henoch habuit propriam domum, imo et civitatem, quam ædificaverat, et donavit nomine filii sui : sic Abraham erat dives valde in possessione auri et argenti : sic a filii Noe divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis (Gen. 10 et 15).

(C) Page 372.

697. His qui, ut errorem suum tueantur, vetera communismi exempla proponunt, respondit Auctor Libri *Saggio intorno al socialismo*, ecc., de quo quidem libro hæc scite scribit *Civiltà Cattolica*, vol. VIII, p. 81 : *Nous ne craignons pas d'affirmer que cet écrit est un des plus opportuns et des plus admirables qui aient vu le jour en Italie dans ces derniers temps.*

Hæc igitur habet, p. 215 : « Le communisme ne saurait jamais trouver dans son principe seul la base d'une société capable de se suffire à elle-même. Il a besoin d'être régi par un principe et une force supérieurs, et les sociétés qu'il peut former ne sont jamais que des sociétés secondaires renfermées dans une autre plus grande qui les protège et les défend; autrement elles n'ont pas de consistance, ou elles deviennent par le fait le brigandage d'une minorité qui tyrannise la majorité, et elles ne durent pas. On voit une sorte de communisme chez les anciens Esséniens et dans les institutions religieuses et monastiques du christianisme; mais ce communisme n'a point été et n'est point absolu, ni forcé, ni isolé. — Les Esséniens se considéraient comme une portion de la synagogue, et ils reconnaissaient tous les droits individuels, ainsi que toutes les supériorités établies par la nature et par la loi mosaïque; bien loin d'étendre le communisme à la destruction de la famille et de la sainteté du mariage, ils professaient la sainteté du mariage dans toute sa pureté : ce n'était donc pas le communisme entier, mais partiel, et il ne faisait pas disparaître l'individu. — Cela est encore plus vrai du communisme des institutions monastiques; sociétés exceptionnelles, dans lesquelles la famille n'est point condamnée : mais, comme elle en est exclue par le célibat, il en résulte que ces sociétés ne se propagent qu'artificiellement, ne se constituent et ne se conservent que comme des parties et des dépendances de la société publique, dont elles reconnaissent les lois religieuses et civiles, sans lesquelles elles ne pourraient subsister. Ces communautés ne forment qu'une personne morale, comme autant de familles artificielles et spirituelles, comme des corporations soumises à la société religieuse et civile à laquelle elles appartiennent; comme per-

sonnes morales, elles conservent le respect pour les autorités publiques, pour les autres membres de la société civile, et tous leurs droits : la communauté n'est qu'intérieure, et pour les individus qui y sont entrés volontairement, et qui, en étant une fois sortis, reviennent à la vie ordinaire des citoyens et des fidèles. L'individu, en religion, n'est pas propriétaire, c'est la communauté, soit quant au domaine, soit au moins quant à la possession et à l'usage des biens; le profès n'est plus libre de sa volonté; mais ni la communauté ni ceux qui la gouvernent ne peuvent disposer de lui d'une manière absolue, étant eux-mêmes dépendants des autorités publiques, des lois communes et des lois particulières concernant les communautés; de plus, les liens qui attachent le religieux à son institut ne sont pas un simple engagement contracté par lui avec la communauté, mais aussi avec Dieu, avec la religion et la société publique; de sorte que, même avec le consentement de tous les membres, ils ne peuvent être changés sans l'intervention d'une autorité supérieure.

« On n'est pas plus en droit de parler du communisme des chrétiens de Jérusalem; il n'était pas alors considéré comme principe social; cette Église n'était pas fondée sur le communisme, mais chaque fidèle le pratiquait librement et par choix, par héroïsme de vertu, sans que celui qui s'y refusait fût exposé à être exclu de la société ecclésiastique; les paroles de saint Pierre à Ananie (*Act. v, 5*) prouvent que le dépouillement était tout à fait facultatif. Il n'était autre chose que l'héroïsme de la pauvreté et de la bienfaisance évangélique, et néanmoins il ne laissa pas que de se produire bientôt des divisions à propos de la distribution des secours (*Act. vi*), et ce communisme ne s'étendit point aux autres Églises. Ce n'est pas moins à tort que les novateurs citent l'exemple du régime merveilleux du Paraguay, sous les jésuites, puisque leurs établissements étaient fondés sur une hiérarchie de chefs qui n'étaient point tirés du peuple lui-même, soumis au gouvernement de la mère patrie et de l'Église, autorisés et protégés par lui; et de plus le communisme y était toute autre chose qu'absolu. Ajoutez à cela qu'il s'agissait d'un peuple sauvage qu'il fallait élever comme on élève des enfants au collège, où il se pratique parmi eux à certains égards une communauté de travaux, de plaisirs, de régime, pour les rendre capables de vivre ensuite selon les devoirs de la société. »

698. « Le droit de propriété est un droit sacré; personne ne peut être contraint de céder sa propriété, si ce n'est pour cause d'utilité publique et moyennant une préalable indemnité. Ce qu'on appelle le haut domaine, le droit éminent du prince, *jus altum*, n'est pas un droit de propriété, un domaine proprement dit : ce n'est qu'un droit

d'administration, que le droit d'ordonner, de prescrire ce qui convient au bien général; d'établir sur les biens des particuliers les impôts nécessaires pour soutenir les charges publiques, d'infliger des amendes plus ou moins fortes, suivant la gravité des délits. Le pouvoir appartient au roi, à ceux qui gouvernent, la propriété aux citoyens: *Ad reges potestas omnium pertinet*, dit Sénèque; *ad singulos, proprietas* (*De beneficiis*, lib. VII, c. IV). Sous un bon gouvernement, le prince possède tout à titre de souveraineté, et les citoyens à titre de propriété: *Sub optimo rege, omnia rex imperio possidet; singuli, dominio.* » (*Ibid.*, c. III.) Gousset, *Théol. mor.*, t. I, n. 674.

« Ce prince, que personne ne peut nier, étant admis, il faut reconnaître que la Convention nationale a violé le droit de propriété en supprimant les rentes féodales, sans indemnité. « L'abolition de ces rentes, dit Toulhier, ayant été jugée nécessaire au bien de l'État et aux progrès de l'agriculture, l'Assemblée constituante en permit le rachat; en cela elle n'excéda point ses pouvoirs. Les propriétaires de ces rentes ne pouvaient justement se plaindre, puisqu'ils recevaient une juste et préalable indemnité. Mais, en supprimant ces mêmes rentes sans indemnité, la Convention fit acte d'injustice: elle viola la loi sacrée de la propriété, base fondamentale des sociétés. Elle ne put détruire l'obligation naturelle de payer ou de rembourser ces rentes qui étaient le prix des héritages possédés par les débileurs. » Quod dicendum de aliis usurpationibus.

« Napoléon, au conseil d'État de 1805, disait: « La propriété est inviolable; avec toutes mes armées, je ne saurais me rendre légitime possesseur d'un champ, car en violant la propriété d'un seul on viole la propriété de tous. » Et Bossuet disait: « Le droit contre l'iniquité et la violence est immortel. » (*V. Avvedimenti politici*, cap. xx.)

(D) Page 377.

Circa domini objectum quædam notanda quoad mobilia, fructus ingenii, animantium usum et famæ nostræ curam.

699. a. Quoad mobilia ex *Codice civ. Gallico* notanda art. 527 et seqq.: — 1. verba *biens mobiliers, effets mobiliers, mobilier*, si adhibeantur, quin aliquid addatur ad eorum significationem restringendam, comprehendunt omnes res mobiles, de quibus diximus in textu; — 2. verbum *mobilier* usurpatum a lege vel ab homine, qui

opponatur immobilibus, vel quidquam adjungatur ad extendendam significationem, non complectitur pecuniam, lapides pretiosos, credita, libros, numismata, artium scientiarumque instrumenta, linteamina ad usum personæ, equos, currus, arma, segetes, fœna et similia. neque quæ constituunt commercii aut alterius negotiationis objectum; — 3. verbum *mobilia* non significat, nisi res mobiles destinatas usui et ornamento domorum, uti specula, tapeta, lectus, scamna tabulas, pocula, etc.; non tamen collectiones tabularum pictarum, statuarum, poculorum, murrheorum, etc., quæ sint in pinacothecis, aut particulari conclavi; — 4. quando venditur aut donatur aliqua domus cum omnibus quæ sunt in ea omnes res mobiles comprehenduntur, exceptis pecunia, nominibus (vulgo *créances*) et juribus, quorum documenta sint in domo. Item addit *Codex Gallicus*: « La vente ou le don d'une maison meublée ne comprend que les meubles meublant. » (Art. 535 et 536.)

700. b. Quoad libros auctorum editos vel edendos seu, quoad *propriatatem litterariam* uti dicunt, conventio inita est, cum omnibus fere regnis. Consentaneum sane est æquitati, ut concedatur aliquod privilegium auctori vel ad certum tempus vel ad ejus vitam, ut sic alliciantur homines ad utilia inquirenda, et de labore fructum percipiant (*V. Civiltà Cattolica*, ser. III, vol. XI: *Congresso per la proprietà letteraria*). — Verum (lege positiva seclusa) Gury docet uti probabilius eum, qui librum typis edidit, non habere jus impediendi, ne quisquam illum prælo committat, et vendat cum damno auctoris aut editoris cui auctor jus suum transmittit; nam res in communitatem tradita fit eo ipso de jure communi: et ita usus se habet ubique. Violat tamen jus alienum et tenetur de restitutione qui opus manuscriptum sine consensu auctoris typis evulgat; nam opus quamdiu in lucem non est emissum, sub dominio auctoris remanet. Idem dicendum si quis typis daret lectiones publicas alicujus professoris, vel concionem oratoris, si eas audiendo memoria tenerit. Aliud enim est, quod quis publice doceat aut concionetur, aliud quod opus suum alteri transmittat ad illud edendum et vendendum. Ita judicavit tribunal appellationis Parisiense die 28 feb. anno 1801. Vide *Carriere et Gury*. Quod vero spectat ad alias productiones et inventiones industriæ *V. lex Gall.* 5 jul. 1844.

701. c. Quoad autem eos qui utilia inventa vel occultant, vel secum interire patiuntur, audiatur Stapf, § 574: « Equidem condignum foret, ut talibus justum præmium obtingeret, et præsertim expensæ hunc in finem factæ refunderentur. Attamen etiamsi ex hac parte aliquid desideretur, tales nihilominus divinæ Providentiæ parum respondent, ubi talentum sibi concessum in terram defodiunt. »

702. *d.* In animantium usu duo cavenda (uti monet Stapf, § 445) indigna affectio et inhumana sævities. Primum creaturæ rationali est indignum: sane carpendi sunt quos certa animalcula ita sibi devincta tenent, ut hæc pluris videantur facere ipsis hominibus, quos ideo importunant, vexant, non curant. Sed non minus ratio omnem adversus animantia petulantem sævitiem abhorret. Hæc enim divinis consiliis repugnat. « Deus enim etiam animantia sensu vitæ pro illorum modulo jucundæ donavit: absit ergo ut hunc eorum sensum absque omni ratione vulneremus.... Tum vero talis animalia torquendi consuetudo semper indignam animi ferocitatem supponit: mens enim vel mediocriter humana hanc torquendi libidinem refugit.... Denique per hanc affectus humanitatis magis semper magisque hebetari solet: qui in bruta animalia desævire consuevit, brevi etiam contra homines ferociet... Quam pium benignitatis sensum Testamentum vetus erga animantia spiret, ex compluribus locis patet: *Exod. 23; Deut. 25; Prov. 12; Eccli. 7.* » In pluribus etiam Galliæ et Germaniæ locis est instituta societas ad animalia tuenda contra hominum vexationes.

703. Publica fama quam curare debemus, non in multitudine opinantium, sed in opinantium reclusione collocanda est: *Bonum, ait Tullius (De Leg., l. I, c. xvii), non est opinionibus, sed natura.* Spemenda ergo illa opinio publica, de qua hodie tot verba faciunt: « Je ne vous crois pas si innocent ou si ignorant des choses de ce monde, que vous ne sachiez pas de quelle manière et dans quels lieux se forme ce que l'on appelle l'opinion publique; quel est maintenant l'enfant qui ne le sait pas? Quatre ou cinq paires de journalistes vendus, quelques centaines de parleurs répandus parmi le peuple, dix ou douze émissaires dans les belles sociétés, forment en peu de temps l'opinion publique; ce qui équivaut à dire: ils forment un concert d'imbéciles plus ou moins peuple qui répètent à chaque coin de rue les mêmes déraisonnements et les mêmes folies, avec d'autant plus d'assurance que leur incapacité est plus grande. Or dites-moi s'il y a une plus grande tyrannie que de prendre pour vérité inébranlable la voix si inconstante d'une si faible minorité. » (*Civiltà Cattolica*, vol. II, pag. 392.)

« Le consentement universel en vertu duquel on dit: *Vox populi, vox Dei*, est l'expression des esprits droits, sages et prudents, et non celui des imbéciles, des aveugles et des méchants; ce n'est pas celui d'une minorité qui prend l'apparence d'une majorité, parce qu'elle parle lorsque les autres se taisent. L'opinion qui est exprimée par une multitude en désordre sur les places et parmi le bruit; celle que s'arrogent les partis politiques par l'organe d'un journalisme servile et méprisable, est une opinion menteuse et qu'il faut rejeter.

Celle des méchants, dès le commencement du monde, peut se vanter d'être dominante, et une seule famille ne la suivait pas lorsque le déluge submergea l'univers. Dans les cinq villes, une seule famille échappée, ayant évité la corruption, fut préservée des flammes. La gloire du peuple juif fut due aux Machabées, qui ne suivaient pas l'opinion publique qui abandonnait les rites antiques et la loi de Moïse pour obéir à Antiochus. Pilate redouta l'opinion publique et condamna le Sauveur du monde, que l'opinion publique portait en triomphe peu auparavant dans les rues de Jérusalem. Comment un sentiment si changeant peut-il avoir une valeur? tantôt il se porte sur une chose juste, tantôt vers une injuste, selon le caprice de la multitude et la perfidie de ceux qui l'excitent et la trompent. » (*Avvedimenti*, c. ix.)

(E) Page 380.

704. *a.* Qui Ecclesiam negant posse jure proprio temporalia bona possidere audiant cl. Taparelli, *Saggio teoretico*, etc., n. 1471 et seq.: « Pour rendre cette proposition évidente d'après les principes du droit naturel, je demande: L'Église est-elle composée d'hommes? Les hommes ont-ils le droit de posséder? Oui. Le possesseur, quand il ne blesse pas le droit d'autrui, peut-il disposer à son gré de ce qu'il possède? Oui. Plusieurs propriétaires peuvent-ils s'associer pour obtenir un bien spirituel obligatoire? Oui. Cette société a-t-elle une autorité? Oui. Cette autorité doit-elle unir les efforts, même pécuniaires, des associés en tant qu'ils sont nécessaires au but social? Oui. La même autorité est-elle juge compétent elle-même de ce qui convient à la fin sociale? Oui. Ses sujets sont-ils obligés de concourir à la fin sociale selon ce jugement compétent? Oui. Donc l'Église, ce qui équivaut à dire son autorité légitime, en vue de sa fin propre, non-seulement peut, mais doit exiger de ses membres ce qu'elle juge nécessaire à la fin externe, interne de l'association, et ils doivent y contribuer. Donc, si les associés veulent employer des valeurs pour atteindre cette fin, même au delà de leur stricte obligation, ils sont maîtres, sauf les lois de la justice, de les employer tout au moins autant qu'ils le seraient s'il leur plaisait de les employer en carrosses, théâtres, palais et voyages. Et la société à laquelle ils donneront ces capitaux les possèdera au même titre au moins que la société des comédiens possède l'argent donné au théâtre. On ne dira pas, j'espère, que les prétentions de l'Église sont exagérées, lorsqu'elle demande ce qui n'est pas même refusé à une troupe de comédiens.

« Or, si l'Église possède des biens pour les ordonner à sa fin, il est

clair qu'elle doit les administrer elle-même, à moins que les politiques, leurs antagonistes, ne veuillent la mettre au rang des stupides et des idiots auxquels on donne un tuteur, et qu'ils ne veuillent refuser la capacité d'administrer les biens matériels à ceux à qui ils confient ou feignent de confier leur âme et leur conscience. S'ils ne veulent pas lui faire cette injure, ils doivent confesser que le droit de possession de l'Église emporte le droit de disposer. »

705. Neque probanda bonorum ecclesiasticorum distributio per sæculares acta, uti nonnulli decantant; non enim licet sine furto uni tribuere quod jam est alterius loci vel Ecclesiæ; esset enim quædam communismi species: præterea qua auctoritate civilis status distribuit quod suum non est? Hoc ipse fassus est Nuytz certe adversariis non suspectus: *Quum res Ecclesiæ* (ait, *Institutiones Juris eccles.*, t. VII) *a fidelium collatione procedant, atque ubi ipsi aliud non dixerunt, de ea Ecclesia peculiari cogitasse credendi sint, in qua aut ejus intuitu aliquid erogarunt, patet dominium rerum non Ecclesiæ universalis esse, non Ecclesiarum in universum nostræ diœcesis, sed peculiaris illius aut Parochiæ aut alterius Ecclesiæ. cui data sunt...* Concedit tamen Ecclesiam posse (et solam Ecclesiam), cum conditiones necessariæ se sistunt, de iis ecclesiasticis bonis dispo- nere; cum subsint ejus dominio.

706. b. Quod pertinet ad Clerum, illum bonis temporalibus spoliare volunt, vel quia hisce Clerus abutitur; vel quia ita liberius posset vacare divinis.

R. Quoad primum audiant S. Augustinum: *Propellenda est utique talis assertio, quod propter Clericorum vitia licitum laicis sit ad Christi patrimonium manum apponere: facile præbere posset aditum ad simile asserendum de Regibus, Principibus, et aliis dominis temporalibus* (*De bono cons.*, l. IV, c. ix). Quamquam et grati supponitur abusus, cum potius bonis Ecclesiæ omnes utique perfruantur; et non raro qui magis in hanc rem debacchantur, ii sint qui et victum et vestitum et educationem ex hisce bonis repetunt. — Ad secundum, ad rem Audisio (*Introduzione agli studi Ecclesiastici*, lib. VI, c. v).

707. Objc. 1: *Nonne Christus suis ministris interdixit temporalium administrationem his verbis: Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joann.* 18)?

R. Si objecta verba in sensu adversariorum essent accipienda, non solum ministris Altaris, sed omnibus Christifidelibus esset penitus interdicta temporalis omnis gubernatio; siquidem nulla ibi distinctio fit inter sæculares et ecclesiasticos, ut legenti apparet. Sed directe respondemus cum celeberrimo Mamachio (*Del diritto libero della Chiesa*

di acquistare e possedere, ecc., l. I, c. 1, § 1, n. 8): « Jésus-Christ n'a point dit à Pilate: *Mon royaume n'est pas en ce monde*; mais il lui a dit: *Mon royaume ne vient pas de ce monde*. Il n'a point dit: *Mon royaume n'est pas ici*, mais: *Il n'est pas d'ici* (*Augustinus, in Joan.* et D. Thomas, *lect. 6 in Joan.*). Notre-Seigneur a donc dit que son royaume n'est pas d'ici, ce qui signifie qu'il ne vient pas de ce monde, parce qu'il ne prend pas sa source dans les choses de ce monde, ni dans l'élection de la part des hommes, mais ailleurs. Il n'a pas besoin de se fortifier par l'appui des hommes, mais il est fort de sa propre force (*Joann. Chrysost., in Joan., hom.*); et, au lieu de recevoir quelque chose d'eux, il leur donne à eux-mêmes des royaumes, en même temps qu'il donne des conseils, de la force et de la persévérance à leurs ministres (*id., loc. cit.*). Le Seigneur n'a point nié qu'il fût roi, même en tant qu'homme; bien plus, il avoue qu'il l'est en disant que *son royaume n'est pas de ce monde*; mais il a fait comprendre qu'il n'était pas roi comme l'entendait Pilate, par la conspiration des peuples soumis à l'empereur (*Augustin., loc. cit.*); et que, bien qu'il fût roi, il n'avait pas manifesté son règne, puisqu'il était venu pour être jugé, pour racheter, en mourant, le genre humain, entrer ainsi dans sa gloire et juger (*Augustin., loc. cit.*, n. 3).

« Il avait donc la puissance royale, mais il ne l'avait pas manifestée en administrant un royaume temporel (*D. Thomas, loc. cit.*, et III p., q. 59, a. 4); puissance que saint Paul déclare absolue et universelle sur toutes les choses du monde (*ad Hebr.* xi). En effet, Jésus-Christ, en naissant sur la terre, *in propria venit*; et, bien qu'un grand nombre des siens ne l'aient pas reçu, il n'en était pas moins à lui (*Joan.* 1); il avait par conséquent sur eux puissance et autorité. C'est de lui aussi que nous lisons dans l'Évangile que, même avant sa Passion, *le Père lui a remis en main toutes choses* (*Joan.* xiii); et dans l'Apocalypse que sa devise est: *Le Roi des rois et le Seigneur des seigneurs* (*Apoc.* xix); et encore dans l'Évangile, qu'il a renversé par deux paroles, et la compagnie des soldats, et la tourbe des ministres envoyés contre lui par les princes et les pharisiens (*Joan.* xviii): *Tantum turbam odiis ferocem*, dit saint Augustin (*in Joan.* tr. xxi), *armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit*. Et que dit-il à saint Pierre? *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi motu plus quam duodecim legiones angelorum, sed quomodo implebuntur Scripturæ?* Il fit donc assez connaître qu'il avait la puissance, mais qu'il n'avait pas voulu l'exercer, parce que les divers oracles devaient être accomplis. »

Ex quibus patet objecta verba nobis potius favere.

Tommaseo, qui in suo liberculo *Roma e il mondo, ecc.* (prohi-

bito decr. 20 apr. 1852), appellat ad beata tempora nascentis Ecclesiae, in quibus Clerici nihil possidebant, sic Clericum inducit respondentem opus: *La Civiltà Cattolica*, vol. VII, 1851: « Si quelqu'un me disait que, pour mettre en harmonie toutes les parties de la société et tous les membres de l'Église, il ne suffirait pas de ramener les ecclésiastiques seuls à leur condition primitive, mais qu'il faudrait faire la même chose pour les laïques, qui ont aussi dans les premiers fidèles des exemples ravissants de vertu héroïque, que devrais-je lui répondre? Dans ces heureux temps, pourrait-on me dire, si le trône destiné aux papes était la *croix*, l'habitation destinée aux simples fidèles était les catacombes. Si les évêques et les prêtres mouraient (de mort violente, bien entendu), les simples fidèles n'échappaient pas longtemps au même sort et mouraient rarement dans leur lit, puisqu'ils étaient amenés par myriades dans l'amphithéâtre pour y être dévorés par les bêtes, ou au moins dans les prisons pour y être égorgés ou étranglés. Si les ecclésiastiques étaient pauvres et méprisés, les laïques étaient dépouillés de leurs biens et destitués de leurs emplois. De plus, si parmi les temps anciens nous nous arrêtons aux temps apostoliques, les laïques alors communiaient journellement, passaient les nuits en prières continuelles, et, après avoir vendu leurs biens, en apportaient le prix aux pieds des apôtres. Pourquoi n'imites-t-on pas de si beaux exemples? Pourquoi nos zéloteurs italiens adressent-ils toujours leurs exhortations au clergé, jamais aux laïques?...

« J'entends qu'on me répond, en fin de compte, que les temps sont changés, que les premiers laïques devaient, par-dessus tout, donner des preuves de leur foi, pour prix de laquelle tous leurs droits devaient plus tard leur être garantis. Mais c'est là précisément ce que disent les ecclésiastiques pour leur défense, savoir: que les temps sont changés; qu'alors il fallait convaincre le monde de la divinité de la religion chrétienne, et par conséquent procéder sans moyens humains et même, tout au contraire, par l'héroïsme de l'humilité, de la pauvreté, de la patience; mais que, cette nécessité ayant cessé, on a dû entrer dans l'état normal et ordinaire providentiel, dans lequel la coopération humaine vient s'unir à l'appui divin, et où c'est tenter Dieu que de faire autrement, chose qui est défendue, comme vous le savez: *Non tentabis Dominum Deum tuum...* De plus, la primitive Église, quoique privée, par l'iniquité des temps, de ces honneurs, de ces richesses, de cette puissance dont elle a joui plus tard, n'a jamais refusé, même alors, d'employer les moyens naturels que la Providence lui offrait et développait peu à peu; car on ne doit jamais tenter Dieu ni le forcer à perpétuer les miracles. Les premiers pontifes acceptaient de bon gré les riches offrandes que leur faisaient les matrones romaines,

ou les patriciens qui se convertissaient à la foi, et ils les employaient à rendre le culte plus pompeux, à assurer davantage la subsistance des ministres sacrés. Et lorsque Constantin offrit enfin *la grosse dot au premier Père riche*, le pape Sylvestre, quoique saint et vénéré comme tel dans toute l'Église, ne s'est pas fait prier deux fois pour l'accepter. Il en fut de même des autres évêques répartis dans tout l'univers. Vous voyez donc que, même les anciens pontifes et ecclésiastiques, bien que prêts à supporter avec joie les privations, les humiliations, les persécutions, ayant égard, non à ce qui leur convenait davantage, mais à ce qui tournait à l'utilité générale et plus stable de l'Église, ne se refusaient pas à employer et à étendre peu à peu à la faveur des circonstances les moyens terrestres, Dieu le voulant ainsi. Pour qui veut y réfléchir, c'est encore ce que font, ni plus ni moins, les ecclésiastiques de nos jours. Autant qu'il est en eux, ils ne refusent pas et ne peuvent refuser les ressources que la Providence leur a confiées pour la garde et l'ornement de l'Église, étant prêts d'ailleurs à supporter avec joie les spoliations, l'exil, les persécutions, lorsqu'il plaît à Dieu de leur envoyer ce genre d'épreuves. »

708. Objic. 3: Apostolus (II Tim. 2) aperte tradit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Ergo adest lex divina positiva, qua Clerici prohibentur temporalia possidere, iisque se implicare. — R. Unde deducunt Lutherani eo in loco Apostolum loqui de solis Ecclesiasticis? nonne etiam laici militant Deo? quare dicendum, aliud esse res suas possidere, et aliud implicare se negotiis sæcularibus. Militiæ spiritualis finis est, ita fere Angelicus, ut victoriam habeat ab omnibus, quæ sunt contra Deum, et ideo oportet quod absteat se ab omnibus, quæ distrahunt a Deo, et ideo dicit: *implicat se*, et non dicit: *exercet se*. Implicat enim se quis negotiis sæcularibus, quando sine pietate et necessitate assumit negotia: sed quando necessitas officii, pietatis et auctoritatis exigit, tunc non implicat se, sed implicatur hujusmodi necessitate. V. Tassoni, *La Religione dimostrata*, ecc., c. xxxviii. — Opus, *Saggio elementare di diritto pubblico ecclesiastico*, t. II. — Scotti, *Teoremi*, p. 4, teor. 4. — Abelli, *Della supposta avarizia sacerdotale*, ossia *Il Clero vendicato e difeso dalla taccia d'interessato ed avaro*. Cuneo, 1845. — Muzzarelli, *Buon uso della Logica*, opusc. xv; et *Esame sulle ricchezze del Clero*. — Riccardi, *Gemiti*, ecc. — Balmès, *Observations sociales, politiques et économiques sur les biens de l'Église*. — Mamachi, *Del diritto libero di acquistare e possedere beni temporali*, libri tre. — *L'Amico Cattolico*, ser. 2, vol. 1. — *Annali Religiosi*, t. III, pag. 245. — *Civiltà Cattolica*, ser. I, t. I: nuovo disinganno; ser. II, t. II et III: del diritto della Chiesa intorno al possesso dei beni temporali; t. IV

et 10: di una nuova filosofia del diritto, t. XI: la roba della nazione; ser. III, t. VI: la proprietà secondaria, e le mani morte; t. VII: la proprietà estesa e la minuta. Ser. IV, vol. VI: Breve di scomunica; item le Armi spirituali a difesa del temporale. — Costa della Torre, *Discorsi pronunciati nella Camera dei deputati contra la legge di soppressione di comunità religiose e stabilimenti ecclesiastici*, ecc. Torino, 1855. — *Allocuzione della Santità di N. S. Pio IX al sacro Collegio nel Concistoro secreto dei 22 genuajo 1855, seguita da una esposizione corredata di documenti sulle incessanti cure della stessa Santità Sua a riparo dei gravi mali, da cui è afflitta la Chiesa Cattolica nel Regno di Sardegna*. Roma e Torino, 1855. — Nardi, *Elementi di diritto ecclesiastico*, § 550. — Martinet, *Le Réveil du peuple*, lec. XIII et XVIII. — Torricelli, *Dissertationi*, ecc. vol. 8 et 5. — Ségur, *Le Pape*, etc. — Ferraris, *Bibliotheca canonica*, etc., v° Sæcularizatio. — *Analecta juris pontificii*, Romæ; anno 1859. — Desing, *La questione, se le ricchezze del Clero nocevoli sieno alla repubblica*, Torino, 1860 (Collezione de' buoni libri), e Lugano, 1841.

(F) Page 387.

709. *An qui ab ecclesiastico aliqua accipit donante ex superfluis redditibus sui beneficii, et non in usus pios, peccet hæc bona accipiendo et teneatur ea restituere vel tribuere in usus pios?* R. In eorum sententia qui censent beneficiarium non obligari ex iustitia ad talia bona in usus pios eroganda, nulla est in illa accipiente obligatio restitutionis; nam tunc beneficiatus etsi peccaminose, valide tamen donavit, cum donaverit suum; et ideo deficit in modo, non in substantia. An vero accipiens et ipse peccet (cooperando peccato donantis) contra religionem aut charitatem, alii affirmant quia accipiens vere cooperatur ad consummationem peccati donatoris concurrendo ad translationem domini rei donatæ quod non transfertur nisi per acceptationem, sed alii probabilius negant, si donatarius non induxerit ad donandum, sed libenter oblata acceptaverit sine conscientia peccati. Ratio est, quia peccatum ex parte donantis consummatur per ipsam oblationem, quæ jam posita est: acceptatio autem quæ sequitur, non dat causam illi oblacioni, sed perficit tantum donationem ut cum effectu transferatur dominium; igitur peccatum totum positum est in oblacione et donatione, id est ante acceptationem. Hoc sensu conjux quæ reddit debitum conjugi petenti sed obstricto voto castitatis, sacerdos qui occulte indigno tribuit eucharistiam publice petenti, excusantur a pec-

cato cooperationis; etsi enim res non consummatur nisi per utriusque donationem, conjugis videlicet et sacerdotis; attamen peccatum totum est in iis qui petunt, prout pluribus probat Lugo, *De just. et jure*, disp. 4, sect. 3).

In nostra autem sententia, qua tenuimus beneficiatum obligari ex iustitia dare superflua pauperibus, an illa accipiens ad usus non pios peccet et teneatur de restitutione, distinguendum putamus: si Clericus ex illa donatione non reddatur impotens, ut tantumdem expendat de aliis bonis in causas pias, accipiens nihil tenetur restituere nec peccat; adhuc enim Clericus potest non peccare sed satisfacere suo debito: quod si non faciat, id provenit ex ejus malitia, non ex donatione et acceptatione præcedenti. Si tamen beneficiatus per talem donationem reddatur impotens ad satisfaciendum præfatæ suæ obligationi, alia nempe bona tribuendo, utique accipiens et peccat et de restitutione tenetur; nam donatarius accipiendo vere inluit in damnum pauperum, qui jus habent in illa bona; cum illis sint adjudicata a Conciliis, a Patribus, et fidelium intentione. Hoc tamen intellige si accipiens sit in mala fide; si enim quis acciperet superflua Beneficii in bona fide tuto credens ea accipere se posse, nihil postea teneretur restituere, quia ex una parte sententia, quæ tenet superflua non esse danda pauperibus ex iustitia, est satis probabilis; ex altera vero parte possessio bonæ fidei tribuit jus insistendi in re possessa, quamdiu certo prohibetur res illegitime possideri. At ideo qui accepit cum dubia fide tenetur tantum ad partem restituendam, habita ratione probabilitatis contrariæ sententiæ. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 35; et l. III, nn. 492, 612 et 722. Et *Homo Apostolicus*, tract. X, n. 8.

710. *Teneturne (addes) qui pensionem accipit de Beneficii redditibus, erogare superflua pauperibus, saltem ex præcepto Religionis?* — Negative si pensio data sit laicis, puta principibus, patronis, etc., ob præstita Ecclesiæ obsequia; vel Ecclesiasticis, sed ob aliquod munus temporale, v. g., cantoribus, advocatis, etc.; quia omnia hæc sunt in stipendium laboris. Si vero pensio detur Ecclesiasticis ob aliquod ecclesiasticum munus obeundum, ut ea quæ datur Parochi Coadjutoribus, etc., tunc alii affirmant pensionatum superflua pauperibus erogari debere; nam cum illa pensio sit ex fructibus Beneficii detracta, transit cum onere suo. Alii vero satis probabiliter negant: et ita decisum refert Azorius a Romana Rota; nam cum Pontifex ob causam detrahit de fructibus Beneficii, jam eosdem pie applicat: ergo fructus illi non amplius ferre debent talem obligationem, ut iterum atque iterum pie applicentur. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 491; l. IV, n. 182.

711. *Quid (dices) si a Clerico ad usus pro anos superflua in*

morte relinquuntur? — Ecclesia circa hujusmodi alienationes nihil decernit, cum sit admodum difficile probare eos fructus e Beneficiis provenisse; quia aliis modis, industria, arte, frugalitate, etc., acquiri poterunt. Imo ad tollendas omnes lites per Concordatum inter Benedictum XIV et Carolum Emmanuelem III, 24 junii 1750 facta est in Subalpino Regno facultas de iis disponendi pro arbitrio, *juxta tamen propriæ conscientiæ dictamen* (V. *Practica legale*, t. VI, par. 6. Et *Concordatum Austriacum*, § 21). Unde hodie *ordinarie* quidquid relinquit Beneficiatus cedit hæredibus, vel ab ipso vocatis: in quo juri Canonico fuit derogatum, quod statuebat proventus ecclesiasticos ad Ecclesiam pertinere, ut habetur Decr. Greg. I. III, t. XXVI, c. *Relatum*. Diximus *ordinarie*; nam excipiuntur mobilia magna (vulgo *gros meubles*), uti scamna, tabulae, vasa vinaria, etc., quæ si in domo Ecclesiæ reperiuntur tempore mortis successoribus in Beneficio cedunt iis in locis, ubi recepta est Bulla Pii V, *Romani Pontificis* (in Novariensi communiter non fuit recepta).

An autem etiam in conscientia hæc legis dispositio obtineat, affirmandum in dubio an bona a Clerico relicta sint ex superfluis; nam non est supponendus testator contra conscientiam disposuisse. Quod si certum sit bona relicta esse superflua beneficii, tunc sicut testator tenebatur ea sub gravi expendere in usus pios, ita tenebitur hæres (vel ex justitia vel ex religione, juxta diversas sententias); cum repræsentet ipsam personam defuncti, et in ejus loco tum in iuribus tum in oneribus circa res ab ipso defuncto relictas, succedat. Hinc in Bulla dicitur *juxta tamen propriæ conscientiæ dictamen*; quibus verbis satis indicatur obligatio quæ semper urget in foro fori, dandi superflua locis piis. Lugo, *De just. et jure*, disp. 23, sect. 6.

(G) Page 397.

712. Proprie loquendo *venatio* dicitur si quadrupedes; *aucupium*, si aves; *piscatio*, si pisces capiantur. Hodie tamen *aucupium* sub uno venationis nomine includunt. Nonnulla loca ad venandum pro Rege reservata sunt: quæ quidem reservatio legitima est, cum conveniat ejus dignitati. Hinc Lessius cum aliis contravenientem non solum de gravi peccato reum dicit; sed etiam ad restitutionem teneri contendit, si loca reservata clausa sint, nec alia sit imposita pœna. Hoc pariter valet de piscatione. — Ceterum generatim leges hac de re prohibitiivæ ex communi hominum æstimatione et consuetudine habentur uti pure penales, nisi aliunde violetur in aliquo jus strictum alterius. Hinc videant venatores, ne venando segetibus fructibusque inferant damnum (quod

non semel lugendum est); qui enim damnum infert, de damno tenetur. V. Liguori, *Op. Mor.*, l. I, n. 145; l. III, n. 605.

713. *Quid (quæres) si animal a te captum, fugam arripiat? Si fugam arripiens animal a te captum, naturalem acquisivit libertatem, desinit esse tuum et fit primi occupantis: secus semper tuum erit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur animal, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio*: ita Justinianus.

*Quid (dices) si fera est ab uno vulnerata aut illaqueata, capta vero ab alio? — Si fera ita vulnerata erat aut illaqueata, ut adhuc posset fugam arripere, fit primi occupantis; quia adhuc censetur in naturali sua libertate. Si vero ita vulnerata erat aut illaqueata, ut non amplius potuisset fugam arripere, propria erit vulnerantis et illaqueantis: est enim jam inchoata ejus possessio. Si vero res dubia sit, dividetur in partes æquales, cum æquale tunc sit utriusque et jus et spes: quamquam sit tunc attendenda juxta alios lex illa generalis: *Feræ bestiæ capientibus cedunt, non vulnerantibus*.*

Quid (dices) de iis, qui venantur in fundo alieno? Id lege civili sub pœna velitum est, si fiat contra domini voluntatem; utrum enim peccet etiam contra legem naturalem atque commutativam justitiam qui venatur (qui piscatur) in fundo alterius contra ejus voluntatem, affirma solum in casu quo fundus sit omnino clausus ita, ut feræ non possint inde exire: quia tunc censentur illæ propriam amisisse libertatem. Secus si fundus sit omnibus apertus: unde tunc dominus habet quidem jus impediendi, ne venetur in ejus fundo; item ut sibi compensetur damnum a venatore illatum: non potest tamen facere suam feram ibi occisam, sed ad occisorem pertinet. Ita Lugo.

(H) Page 403.

Hic notanda specialius quoad bona relicta res inventas, thesaurum, ac bona naufragorum.

714. a. *Quoad bona relicta* hæc observamus maxime quoad praxim: in fundo alieno fungos perquirere, vel colligere glandes, vel sibi vindicare nuces ac castaneas, quas (his jam collectis) conductæ mulieres stramen pectinando, vel alii casu inveniunt, ferme ubique consuetudo permittit, ut permittit in alienis agris vel vineis colligere spicas vel uvas, quæ fugiunt manus metentium vel vindemiatorum. Hæc tibi totidem bona a domino derelicta habentur. Sed cavendum ne talia inquirendo alienis fundis damnum inferatur, ut non raro evenit. Quoad spicarum collectionem, absoluta messi, V. Benedictus XIV, Epist.

Acerbi, 1742. Ferraris, Bibliotheca Canonica, etc., v° Spicæ. — Liguori, Op. Mor., l. III, n. 529, quær. 2.

715. b. *Quoad res inventas, non valet dicere, quod juxta præsumptam domini voluntatem est res illa eroganda in usus pios; nam quando attentis dictis circumstantiis, judicari potest, quod dominus amplius non possit inveniri (ut evenit in casu, quo omnia a supra memorata civili lege præscripta impleantur), tunc nulla supponi debet præsumpta domini voluntas; nam iste per suam impossibilitatem eam recuperandi, ejus dominium prorsus amisit. Hanc sententiam expresse docet S. Thomas, qui ait: Si (res) pro derelictis habeantur, et hoc credit inventor, licet sibi eas retineat, non committit furtum (2, 2, q. 66, a. 5). Ratio a priori est, quia jus gentium tribuit privatis dominium rerum non ad aliud, quam ut illis utantur. Hinc quando est impossibile rem pervenire ad ipsorum usum, illa tanquam derelicta evadit nullius, et redit ad primævum jus naturæ; ac ideo fit primi occupantis sine ulla obligatione (Liguori, Op. Mor., l. III, n. 603. — Gousset, Théol., n. 704).*

716. *Quid (dices) si Confessarius a pœnitente rogetur de rerum inventarum restitutione domino faciendâ? — Confessarius non debet in se tale onus suscipere, nisi aliter restitutio satis commode fieri nequeat. Quo in casu ad omnem suspicionis notam efugiendam, attestationem peractæ restitutionis in scripto exaratam a domino ipso reportet, eamque pœnitenti caute consignet. Ita Synodus Novariensis, pag. 124.*

717. V. *etiam Gousset, Théol., n. 104. Ubi hæc habet: « Quant aux choses perdues dont le maître ne se présente pas, doit-on les laisser à l'inventeur? 1° Tous les théologiens conviennent que celui qui a trouvé une chose égarée qui mérite d'être regrettée par celui qui l'a perdue doit la faire publier dans les lieux où elle a été recueillie, afin qu'on puisse la réclamer. L'inventeur ne peut se l'approprier, sans avoir fait préalablement les publications accoutumées; 2° celui qui a trouvé une chose quelconque, de quelque peu de valeur qu'elle soit, doit la rendre à celui qui la réclame si celui-ci prouve qu'elle lui appartient; 3° si le maître ne se présente pas, on ne peut s'opposer au régisseur des domaines qui, en vertu de quelque loi, réclamerait une épave au profit de l'État. Le gouvernement a le droit de s'approprier les choses perdues dont on ne peut découvrir le maître; 4° enfin, si après avoir fait les publications prescrites l'épave n'est point réclamée ni par le propriétaire ni par l'État, le parti le plus sûr, conformément au sentiment le plus commun parmi les auteurs ecclésiastiques, serait d'en disposer en faveur des pauvres ou en œuvres pies. Il en est de même pour les choses qui sont trop peu considérables pour mériter*

d'être publiées. Si l'inventeur est pauvre lui-même quoique moins pauvre que d'autres, il pourra, de l'aveu de tous, se les approprier, et en disposer à volonté. — Mais, si l'inventeur ne peut se regarder comme pauvre, commettra-t-il une injustice en gardant pour lui-même les choses perdues dont il n'a pu découvrir le maître? La plupart des théologiens pensent qu'il se rendrait coupable d'injustice, parce que, disent-ils, l'inventeur ne peut se les approprier sans aller contre l'intention du maître, qui est alors présumé vouloir que les choses égarées, qu'il ne peut recouvrer, soient employées en bonnes œuvres. Cependant plusieurs docteurs de réputation, dont le sentiment est probable, dispensent l'inventeur de l'obligation d'employer en bonnes œuvres les objets qu'il a trouvés. Ils se fondent et sur l'enseignement des jurisconsultes, et sur la condonation mutuelle générale et tacite qu'invoquent les fidèles eux-mêmes, qui s'attribuent assez communément les choses dont il s'agit, les regardant comme une compensation des choses qu'ils ont perdues, ou qu'ils sont exposés à perdre tous les jours. — Quoi qu'il en soit, pour ne pas confondre l'incertain avec le certain, il est prudent de ne pas insister, dans les instructions qu'on fait au peuple, sur l'obligation de donner aux pauvres les choses trouvées dont le maître ne se présente pas. On y exhortera les fidèles comme à un acte de charité, évitant ce qui pourrait leur faire croire qu'ils y sont tenus comme à un acte de justice. — Quand il s'agit de rendre au maître les choses qu'on a trouvées, on n'en doit rien exiger. On peut seulement recevoir ce qu'il offre librement; cependant on est en droit de réclamer le remboursement des dépenses qu'on a été obligé de faire, soit pour découvrir le maître, soit pour la conservation de la chose qu'on lui rend. — Nous ferons remarquer, tant pour le for intérieur que pour le for extérieur, que, si le possesseur actuel de la chose perdue l'a achetée dans une foire, ou dans un marché, ou dans une vente publique, ou d'un marchand vendant des choses pareilles, le propriétaire originaire ne peut la réclamer qu'en remboursant au possesseur le prix qu'elle lui a coûté. » — Cod. civ. Gall., art. 2280, § 1, n. 1. Not. édit. (R)

718. « Quelques ouvriers, réparant la voie publique en 1848, trouvèrent fortuitement quelques fragments des statues et d'autres objets d'art dans une propriété du Chapitre de Saint-Jean de Latran. Les chanoines firent opérer des fouilles qui amenèrent la découverte de monuments de très-grand prix. Le gouvernement les acheta pour en orner le Musée de Saint-Jean de Latran, au prix de 1200 écus, dont 50 pour les objets découverts par les ouvriers, et 1150 pour ceux que les chanoines avaient trouvés. Les fouilles avaient coûté environ 80 écus. Lorsqu'il fallut délibérer sur la destination de cette somme,

l'assemblée capitulaire se fractionna en plusieurs sentiments. Les uns furent d'avis qu'elle appartenait entièrement à la mense capitulaire; selon d'autres, la moitié appartenait à la mense et l'autre moitié devait être partagée entre les chanoines qui étaient dans le chapitre au moment de la découverte; d'autres, enfin, qu'elle devait être entièrement pour les chanoines. Devant une si grande disparité de sentiment, il fut décidé à l'unanimité de soumettre la question à la S. Congrégation du Concile. Elle s'est prononcée pour la mense. Au doute: *An et cuius favore constet de pertinentia ex integro, vel ex parte summæ retractæ ex venditione monumentorum in casu, etc.* Elle a répondu: *Affirmative favore mensæ Capitularis ex integro.* Die 28 jan. 1854 (V. *Analecta juris pontificii*, 1854, pag. 1165).

719. *Quid de bonis naufragorum? suntne inter derelicta habenda?* Negative: *alia sane causa* (ad rem Justinianus, cui ceteri legislatores conformantur) *est earum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa efficiuntur; hæ enim dominorum permanent, quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat: qua de causa si quis eas fluctibus expulsas vel etiam in ipso mari nactas, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Nec longe videntur discedere ab iis quæ de rheda currente, non intelligentibus dominis, cadunt* (Instit., l. II, t. I, de rer. div.). Imo si naufragorum bona pertineant ad Christianos, ea surripientes incurrunt excommunicationem lætæ sententiæ (Decr. Greg., t. V, de excomm., c. III. — V. Ferraris, V. *Naufragantes*). Hic etiam notamus, quod tum jura super bona in mare projecta, aut a mari rejecta, tum jura super plantas et herbas, quæ crescunt juxta litus, propriis reguntur legibus (Cod. civ. Ped. a. 691. — C. A. 388, 408. — C. G. 717. — C. S. 657).

(f) Page 409.

720. *An (quæres) omnes, qui usum rationis habent valide, possint de bonis suis per testamentum disponere ipso jure naturæ?* Affirmant communiter, et probant: — 1. ex Scriptura, ubi legitur: *Addiditque Abraham: Mihi autem non dedisti semen, et ecce vernaculus meus (Eliezer) hæres meus erit* (Gen. 15). Unde sic: Abraham nullis tunc, saltem valde probabiliter, regebatur legibus positivis; atqui tamen intendebat servum suum instituire honorum suorum hæredem, sicque de bonis suis per actum testamentarium disposuisset: ergo persuasum habebat talem facultatem a legibus positivis non exoriri; — 2. ex ratione: supponamus plures homines in quadam insula,

nullis legibus positivis subjectos. Unus prope mortem dicit aliis: *Volo ut cum obiero, bona mea inter vos sic dividatis: Petrus habebit vestes meas, Paulus libros, etc.* Vel illa dispositio est valida, vel non: si valida est, facultas disponendi per testamentum est naturalis; si non esset valida, tunc bona defuncti erunt primi occupantis, et non obstante illius dispositione, fortior poterit absque ceterorum injuria, omnia sibi arrogare. At hoc rectæ rationi et obvio sensui repugnat: etenim *nihil est tam conveniens, naturali æquitati, ait Justinianus, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam habere* (Inst. De rerum divis., § 40). Adde ex naturali lege quisque suum donare potest sub conditione suspensiva; talis autem est donatio per testamentum: est nempe donatio sub conditione mortis. Hinc sequitur quascumque dispositiones, lege positiva non clare prohibitas, esse validas per se; facultate enim naturali valide et licite uti possumus, dum illius usus nulla certe lege restringitur. Bouvier.

721. Quoad testamenti confectionem in Regno Austriaco hæc specialius notantur: tribus modis testamentum fieri potest, privatim, cum testibus et præsentibus judice.

1° *Privatim*, scribendo scilicet manu propria testamentum et se subscribendo; et nulla requiritur necessario diei designatio, anni et loci; cautius tamen erit si apponatur. C. A. 578;

2° *Cum testibus* et voce et scripto. *Voce*, verbis scilicet, ultimam declarando voluntatem coram tribus testibus, quorum si unus a vita migret, duorum sufficit testimonium; invalidum esset testamentum, si unus tantum testis superesset. *Scripto*, et nomen suum propria manu testator subscribet, et coram tribus legitimis testibus, quorum duo saltem sint præsentibus simul, declarare debet scriptum illud ultimam suam continere voluntatem; insuper opus est, ut singuli tres testes vel intus, vel extra, semper tamen ipsi documento se ut testes ultimæ voluntatis subscribant. Quod si testator scribere nesciat, aut nequeat, aut nolit præter relatas formulas, signum crucis ab eo est supponendum coram tribus testibus simul præsentibus. Quod si legere nesciat, aut nequeat, necesse est etiam ad validitatem, ut testamentum ab aliquo ex testibus coram aliis legatur, et declaret testator illud suæ consentaneum esse voluntati. C. A. 578 et seqq. (Cautum erit si unus ex testibus testatoris nomen scribat notando id egisse ex ejus mandato, sed non requiritur ad validitatem. C. A. 580);

3° *Præsentibus judice*, vel voce, vel traditione testamenti clausi, saltem a testatore subscripti. Præter judicem requiritur etiam persona publica judiciali fungens officio, et hac deficiente, requiruntur duo testes. C. A. 569.

Ex *Cod. Austr.* §§ 591 et seqq. ad testis officium notantur uti

inepti : qui usu rationis carent, cæci, surdi, muti, qui testatoris linguam ignorant, damnati ob criminale fraudis delictum, femina, Religiosi ; qui nondum 18 annos habent completos ; non christiani pro christiano testatore ; hæres et legatarius quoad hæreditatem ac legatum ; hæres ac legatarii uxores ; consanguinei et affines in primo gradu, eorumque domestici mercede conducti. — Religiosi tamen, mulieres et adolescentes qui 14 annum compleverunt sunt testes idonei in testamentis privilegiatis, et tunc duo sufficiunt.

Jure Romano testes esse debent masculi, puberes, liberi, non surdi, non muti, non cæci, non intestabiles a lege, non hæredes in testamento, nec domestici testatoris vel hæredis ; non excluduntur legatarii (Liguori, *Opus Mor.*, l. III, n. 920).

(J) Page 425.

722. « D'après ce sentiment (audiatur el. *Goussel*), le donataire ou légataire qui est en possession des objets qu'on lui a donnés ou légués sans observer les formalités prescrites par la loi, peut les conserver en sûreté de conscience ; mais les héritiers du donateur ou testateur peuvent également, en conscience, refuser d'exécuter les dispositions de leur auteur, en faisant casser, au besoin, le testament ou l'acte de donation. Dans cet état de choses, à quoi s'en tenir ? Voici ce que nous pensons pour la pratique, modifiant l'opinion que nous avons émise dans nos *Conférences d'Angers* :

« 1° Un curé, un confesseur étant consulté si l'on peut en conscience recevoir des héritiers du testateur, ou conserver un legs ou un don nul par défaut de forme, répondra qu'on le peut certainement...

— 2° Consulté par les héritiers s'ils sont obligés en conscience d'accomplir les volontés bien connues du testateur, il leur conseillera de les accomplir ou de traiter à l'amiable avec le légataire ; mais il évitera de leur en faire une obligation, de crainte d'aller trop loin ; à moins qu'il ne s'agisse d'un legs pieux, et qu'on n'ait de fortes raisons de croire que le testateur n'a fait ce legs que pour réparer une injustice, ou satisfaire au devoir de l'aumône envers les pauvres, pour lesquels il n'aurait pas fait, pendant sa vie, ce qu'il était obligé de faire, de l'aveu de ceux qui l'ont connu. — 3° S'il est consulté sur les donations manuelles, accompagnées ou suivies de la délivrance des choses qui en sont l'objet, il répondra qu'elles sont valables. On suppose qu'elles n'excèdent point notablement la quotité disponible et qu'elles ne sont point faites en fraude de la loi qui défend de donner à un incapable. (*Théol. Mor.*, n. 796.)

Anatolius (addit Gury), confecto testamento olographo, moritur antequam subscribere potuerit. Sabinus, hæres nominatus in hoc testamento, subscriptionem testatoris tam bene simulat, ut vere ab ipso confecta visa fuerit. Attamen, cum suborta fraudis suspicione, testamentum ad judiciale forum fuisset delatum, a giudice validum declaratum fuit. Quid judicii? — R. Sabinus ad restitutionem tenetur, quia per fraudem legatum sibi vindicavit ; fraude enim remota, certo per sententiam ab hæreditate exclusus fuisset. Sententia igitur Sabino favere non debet, cum in falso facto innitatur.

(K) Page 427.

723. Scotti, *Teoremi di politica cristiana*, part. IV, teor. III et teor. IV, ait : « Les adversaires, qui savent bien que le peuple qu'ils veulent tromper se laisse facilement séduire par les paroles, et que les plus propres à donner une mauvaise idée sur notre sujet sont d'appeler ces biens de *mainmorte*, en ont abusé en les répétant continuellement dans les livres, les journaux, les discours, pour le porter à ne plus rien donner à l'Église, et à réprouver, comme des suites de la barbarie, les donations que l'antiquité lui avait faites.

« Mais qu'y a-t-il de plus ridicule que cet abus ? Ces biens sont-ils de *mainmorte* dans le sens qu'on ne les met pas en culture ? Mais nous savons le contraire. On entend peut-être que les produits ne vont pas au peuple, et que l'État et les pauvres n'en retirent aucun avantage ? Mais c'est tout le contraire. Veut-on dire que les *main* des ecclésiastiques sont *mortes* en ce qu'elles sont inutiles au peuple ? Mais nous avons montré les grands avantages que la société en reçoit. Peut-être ces biens périssent comme périt un vaisseau dans un naufrage, une forêt dans l'incendie, une armée dans une défaite ? Mais cette idée est absurde. Les prêtres forment une partie vivante, énergique et distinguée de la société chrétienne, et dès lors le public profite toujours de ses biens. Si l'on attache à ce nom la notion qui lui convient, qu'importe au public que les biens soient d'une classe ou d'une autre, si leur produit n'est pas détourné et circule sans cesse ?

« Il faut donc éloigner toute idée odieuse des biens de *mainmorte*, et ne pas les regarder comme des dettes, car il ne faut pas enlever les choses qui sont consacrées au culte divin. » (*Extrav. ambitiosæ, de reb. Eccl. non alienandis.*)

(L) Page 451.

724. Hic audiendus cl. Gousset : « Ici se présente une question : Pierre est possesseur de bonne foi d'une chose qui ne lui appartient pas ; il la possède comme *siene* tout le temps requis pour prescrire. Paul, son fils et son héritier présomptif, connaissant parfaitement que cette chose n'appartient point à Pierre, ne l'a point averti, de crainte d'interrompre une prescription dont il espérait profiter un jour. Pierre meurt, et Paul, en sa qualité d'héritier universel, recueille avec la succession le fonds que le père avait prescrit. Peut-il le conserver sans injustice? Nul doute, à notre avis, qu'il ne puisse le conserver, non en vertu de la prescription, car ce n'est pas lui qui a prescrit, mais en vertu de son titre d'héritier, qui lui donne un droit réel sur tous les biens de son père légitimement acquis. Il a péché contre la charité en n'avertissant ni son père ni celui contre qui courait la prescription ; mais il n'a point péché contre la justice. Et le père, étant devenu maître et propriétaire du fonds qu'il a prescrit, a pu le transmettre à son fils, comme il aurait pu le transmettre à un étranger, soit à titre lucratif, soit à titre onéreux. Qu'on n'objecte point la mauvaise foi du fils ; elle n'a pu vicier la possession du père, qui était de bonne foi ; elle n'a pu, par conséquent, empêcher la prescription. » (*Théol. Mor.*, t. I, n. 721.)

« Une autre question : Un enfant mineur peut-il prescrire par une possession de bonne foi? Il le peut, car la possession court au profit de tous ceux qui, de bonne foi, possèdent civilement, avec un titre translatif de propriété, réel ou présumé. Mais pourra-t-il, étant devenu majeur, conserver les biens qu'il a prescrits de bonne foi, dans le cas où le tuteur eût été de mauvaise foi? Nous pensons qu'il peut les conserver, puisqu'il a pour lui le titre d'une prescription légitime : la mauvaise foi du tuteur ne peut nuire aux droits que le mineur tient de la loi. Si, durant son administration, le tuteur a fait tort à un tiers, lui seul doit en être responsable. » (*Ibid.*, n. 722.)

(M) Page 454.

725. 1. Theologi contractum virtualem appellant *quasi-contractum*. E contra Juristæ utrumque et formalem et virtualem verum contractum appellant, unum expressum, alterum tacitum; nomen autem *quasi-contractus* unice applicat obligationi nascenti ex aliquo facto, ubi vel lex vel naturalis æquitas consensum supplet: v. g.,

Petro obsente, ipsius domum ab incendio cum nonnullis expensis tuor: Petrus ex quasi-contractu tenetur mihi refundere expensas. Discrepantia videtur tantum de nomine, cum æque videantur convenire et Theologi et Juristæ quoad partem obligationem.

726. 2. Non est autem attendenda, notat Alasia, illorum paucorum doctrina, qui docent ad validitatem contractus sufficere, ut quis consentiat in verba externa, etsi interius nolit contrahere; contractus enim est conventio voluntatis, at conventio voluntatis sine ejus actu et assensu esse non potest: et certe consensus fictus non magis est consensus, quam homo pictus reapse sit homo. Neque inde sequitur omnes contractus dubios esse; nam libere contrahentes interius consentire solent, et hoc sufficit ad securitatem. Adde: nemo credere tenetur ei qui affirmat se interius non consensisse. Adde: qui fecte consensit, tenetur partem deceptam indemnem facere, et etiam vere consentire, si opus.

Huc questioni alia videtur affinis, an valeat contractus interno consensu initus, sed sine animo se obligandi? Alii cum Lessio affirmant; qui enim vere vult contrahere, vult omnia consecraria ejus, ut est obligatio. Alii cum Croix dicunt valere prout prævalet vel non prævalet volitio contractus. Verum qui sic contrahit, in probabiliori sententia ab omni obligatione immunis est, uti dicunt Sanchez, Salmanticenses, etc.; apposita enim conditio quæ contractus substantiæ adversatur, contractum ipsum invalidat; uti conditio, quæ adversatur substantiæ matrimonii, ipsum facit invalidum, licet adsit intentio contrahendi. — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, nn. 709 et seq.

727. 3. *Monitum*. Materia omnis, quæ ad contractus refertur vel ad restitutionem, ita est scitu necessaria, ut si in ea Confessarii non sint bene versati, ipsos in multa offendiçula incurrere oporteat: quare videant tyrones quanto animorum conatu niti debeant in rebus his, ut bene omnia addiscant. Facile autem evenire poterit, ut quæ principiis nostris inhærentes dicturi sumus, non omnibus satisfaciant: quædam videbuntur sapere indulgentiam nimiam, quædam nimiam austeritatem. Quoniam vero sententias nostras, ubi non facit *Codicis Albertini* dispositio, desumpsimus ex doctrina S. Alphonsi, nostram defensionem adstruimus ipsiusmet verbis, qui scribit: « Testor Deum, cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, quod quicquid scripserim, non ab aliquo impulsus, aut verbis aliquorum auctorum adductus, vel austeritati aut benignitati nimis adhærens ad hæc scribenda me induxi, sed in qualibet quæstione, prævio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare præcipue in iis, quæ ad praxim magis faciunt. Et propterea non solum diligenti trutina perpendere elaboravi rationes, quas Doctores classici tradunt, sed etiam plures doctos recen-

tiores consulere non neglexi... Siquidem non tanquam ovis (ut verbis utar rigoristarum) semitam scriptorum caeco ductu sectatus sum; sed operam dedi, ut veritatem assequerer, aut sententias quæ veritati magis accedunt, amplexarer... Non prætermisi rigida sententiæ Auctores legere ac præcipue Merbesium, Contensonium, Habert, Natalem Alexandrum, Juvenenium, Cabassutium, Tournely, Genetum, Petrocoreensem, Concinam, etc., paratus a sententiis meis desciscere, si de veritate me convicissent. Sed quomodo me convincere poterant, dum videbam, quod ipsi (ut plurimum) magis conviciis, quam vi rationum, sententias suas suadere conantur? quomodo in omnibus adherere potuissem iis, qui opiniones suas sæpius veriores et Evangelio conformiores prædicant, nonnisi quia rigidiores? et frequenter insultant in oppositas sententias tanquam falsas ac Evangelio adversas, nonnisi quia libertati favent? » (*Op. Mor.*, l. III, n. 547.)

(1) Page 164.

728. *An sit (quæres) aliqua regula, qua dignosci possit legem civilem, ratione publici boni, illico obligare etiam in conscientia, cum aliquid circa contractus decernit?*

R. 1: Princeps seu Respublica habet quidem jus de civium bonis etiam in conscientia disponendi, eorum nempe contractus validos, vel invalidos declarando, non tamen ad merum arbitrium, sed sola necessitate boni publici impellente; Princeps enim seu Respublica non est domina honorum, sed tutor, ut ita dicam, et vindex. Verum non modica difficultas est inter peritos discernere, quandonam revera lex Principis velit in conscientia firmitatem vel nullitatem ratione publici boni statuere; ideo magis, quia non semper utitur eadem verborum formula in suis expressionibus, neque semper satis constat de publico bono.

Sic aliquando lex directe, et absolute rerum dominium de uno in alium transfert, ut facit in usufructu legali et rerum inventione. Aliquando obligationem solvit, quam quis jure nature contraxisset, ut evenit plerumque in mutuo filiisfamilias dato. Aliquando tribuit jus repetendi quod jam alteri solutum est; sic minores habent jus repetendi amissum in ludo. Aliquando prohibet quidem contractum, sed non irritat, ut ludos vetitos; aliquando vero et prohibet et irritat, at post sententiam judicis, ut contractus metu ac dolo imitos; aliquando denique, nulla facta mentione judicis sententiæ, et prohibet et irritat et impedit, ne quis rerum suarum dominium transferat in alium, idque vel absolute vel relative. Sic impedit absolute omnes a testando

quæcumque bona habeant, si nondum 16 annum compleverint¹; et si compleverint, eos impedit relative, ne scilicet ad hæreditatem certas personas vocent, puta filium adulterinum, etc. His positis:

R. 2: Quando certo constat ex sensu omnino obvio verborum, ex motivo legis, ex discussionibus ejus, ex praxi tribunalium et opinione peritorum, etc. legem civilem revera ob publicum bonum voluisse vel non voluisse transferre rerum dominium de uno in alium, certum est eo in casu ipsam civilem legem obligare in conscientia. Sic hodie nemo dubitat de validitate præscriptionis etiam pro foro conscientiæ ac de legitimo jure parentum in usumfructum bonorum filiorumfamilias.

E contrario si lex tribuat jus irritationis, quin tamen irritet, nemo dubitat, tunc valere contractum quoadusque hic a judice scindatur: sic si in venditione intervenerit gravis læsio, venditio valida est; quia lex dat quidem jus rescindendi contractum, sed non ipso facto eum scindit. Idem est ordinarie, si verba legis sint tantum prohibitiva, non irritantia; nam multa facta tenent, quæ tamen fieri prohibentur: sic lex prohibet conficere testamentum in charta non obsignata (vulgo *non timbré*); si tamen id fiat, testamentum tenet. Quod etiam valet, si lex fundata sit in præsumptione alicujus facti, quod non subsistat; nam præsumptio facti juxta omnes cedit veritati: sic lex statuit, judicalem depositionem semel actam, semper obtinere contra ipsum deponentem, nec revocari posse; si tamen illa depositio fundata fuerit in falsa alicujus facti suppositione, tunc lex ejus revocationem admittit; quia nempe præsumebatur factum, quod tamen non aderat².

R. 3: Si supradictis regulis rite perpensis, de ipsius legis vi adhuc dubitetur, in hoc casu dicimus: — 1^o ex ipsa naturali æquitate resolvendam esse controversiam. Hoc sensu ordinem ac modum a lege civili præstabilitum ad solvendum creditoribus casu, quo quis decoctus evadat, tuemur vel in ipso foro interno obligare; — 2^o interrogandum esse communem Theologorum sensum: sic hac ratione defendimus, legem deobligantem filiosfamilias a reddendo mutuo etiam in conscientia probabilius tenere; item legem quæ legitimam determinat in hæreditate, etc.; — 3^o videndam esse quotidianam timoratorum praxim atque consuetudinem: sic dicimus dona manualia valide tribui,

¹ Y. Cod. civ. Gall., art. 905 et 1095.

² Y. Cod. civ. Gall., art. 1356. — Exemple: « Je devais cent francs à votre oncle; vous m'en demandez le payement; j'ai fait en justice l'aveu que j'étais débiteur de la somme réclamée, parce que je croyais réellement que vous étiez l'héritier de votre oncle. Apprenant que vous n'êtes pas son héritier, je pourrai révoquer mon aveu. »

etiam non servatis a civili lege præscriptis solemnitatibus, quamvis generatim ipsa lex omnes donationes ita factas videatur prorsus irritare; — 4^o tandem si hisce omnibus consideratis, vel ob discrepantiam auctorum vel ob rationes ex utraque parte momentosas, adhuc dubium sit, an lex decernat contractus nullitatem ratione publici boni an non, eo in casu dicimus potius esse jus possessoris, illius nempe qui rem controversam jam sibi definet: et hoc quidem rationi consentaneum est ex communi Doctorum.

Q. In quo consistit damnorum compensatio, quæ fieri debet ob non impletum vel vitiosum contractum?

R. Si obligatio contractus sit certa pecuniæ summa tradenda, si ea tradita non fuit, ex Codice civili compensatio consistit in solutione usurarum (vulgo *interêts*) juxta taxam legis (quin teneatur creditor probare damna, quæ passus est); attamen salvis iis, quæ speciatim præscribuntur in commerciis, fidejussione et societate. Hæc autem solutio non debetur, nisi a die judicialis petitionis: excipe si lex declaret usuras decurrere pleno jure. Quæ porro legis civilis determinatio generatim loquendo locum habet probabiliter etiam in conscientia (quin attendatur an tale revera fuerit damnum), ut sic inter tot eventus casus habeatur certa regula, et omnibus occurratur anxietatibus ex parte creditoris et fraudibus ex parte debitoris¹. — Si vero materia contractus non sit pecunia, sed alia res, tunc si compensatio sit a partium conventionione determinata, ipsi standum est²; secus compensanda sunt, interveniente dolo, omnia damna, quæ directe sequuntur ex contractus inexecutione vel vitio: dolo autem non interveniente, compensanda sunt tantum damna quæ prævisa sunt, aut potuerunt prævideri tempore contractus; cum eo in casu nulla adsit culpa³.

(Q) Page 478.

729. An (quæres) vita hominis possit constituere objectum emptionis? Homo non potest esse venalis hoc sensu, quasi nempe trans-

¹ Occurrere potest casus extraordinarius, in quo, ipsa ratione dictante, taxam legis excedere liceat: ut si debitor fraudulenter solvere omittat tempore præfixo, et creditor inde majus et certum patiatur damnum vel vendendo minoris vel majoris mutuando; tunc si non ex lege civili, certo ex lege conscientiæ debitor tenetur de damnis.

² C. Ped. art. 1240.—C. A. 1525.—C. G. 1289 et seq.—C. S. 1100.—C. P. 1119.—C. M. 1196.

³ V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 704.

ferre possit in alium jus suæ vitæ ac necis; hoc enim jus est solius Dei: poterit tamen vendere usum suæ vitæ ac suorum actuum, cum usus vitæ et actuum bene cadat sub alterius dominio. Hinc, ubi res in se ipsa spectetur, et debitis intervenientibus conditionibus, commercium Nigrorum, etsi legendum, non tamen jure naturæ primario illicitum dicunt. Conditiones sunt: 1. ut justo titulo nigræ libertate sua priventur: 2. ut humano modo tractentur; 3. ut in contractu non sit fraus. — Quæ tamen conditiones cum fere nunquam reperiantur, ideo merito in praxi uti illicitum et detestabile commercium illud habetur: atque ideo merito Pontifices complures illud expresse damnarunt. Præstant inter eos Paulus III, Urbanus VIII, Benedictus XIV, Pius VII et nostra ætate gloriosæ memoriæ Pontifex Gregorius XVI, qui Apostolicis Litteris 2 decembris anno 1850 hoc commercium aperte declaravit *Christiano nomine prorsus indignum*, et simul districte prohibuit, *ne quis Ecclesiasticus aut laicus illud... veluti licitum sub quovis obtutu aut quæsito colore tueri, aut aliter publice vel privatim docere præsumat*.

Quod ipsa civilis lex prohibet: hæc de re inita est conventio 20 dec. 1841, inter Austriam, Galliam, Angliam, Borussia et Russiam. — Item lege lata mens. aug. 1855 apud nos. — V. *Cattolico di Lugano*, Giornale, vol. 17. — Biot, *Sur l'abolition de l'esclavage*. — Audisio, *Jur. nat. et gent.*, l. II, t. XVI. — Roberti, *Lettera sopra il trattamento dei Negri*. — *Annali Religiosi*, vol. I. — Balmes, *Le protestantisme*, etc., c. xvi et xxxi. — Cochin, *Sur l'abolition de l'esclavage*. — Huc mire faciunt duo recentiora Opera, quibus nigri ac infideles ad hominis libertatem et animæ salutem redimuntur. — 1. *Œuvre de la sainte Enfance pour le rachat des enfants dans la Chine et les autres pays infidèles*, sub Episcoporum protectione erecta. — 2. *Pia Opera del riscatto dei fanciulli e delle fanciulle more*, studiosa charitate sac. Olivieri genuensis. V. *Civ. Catt.*, Ser. 2, vol. II: la chiavità in America; vol. 7: la redenzione delle morette. Ser. 4, vol. v: i popoli non si vendono: i popoli mercanzia, ecc.

(P) Page 490.

730. Sed (quæres): Quantinam credita emi possint? — Fatentur omnes credita incerta et litigiosa emi posse minoris, habita ratione periculi, laboris et difficultatis, quæ in solutione eorum exigenda haberi solent; quia credita hæc in communi æstimatione valent revera minoris. Quod currit, etsi emptor ob peculiarem ac personalem causam, puta favorem, clientelam, dexteritatem posset credita illa nullo im-

pendio nulloque labore vindicare; nam rerum pretia non ex casu hominis particulari, sed ex communi hominum sensu accipiendi sunt. Hoc etiam civili lege sustinetur, in ea tamen statuitur, quod si quis jus litigiosum emerit, is contra quem lis vertitur, poterit tale jus redimere solvendo emptori pretium ab ipso solutum una cum expensis factis necnon usuris computandis a die, quo pretium ab emptore ipso fuit solutum. — Attamen jus redemptionis lex non tribuit litiganti, si cessio juris litigiosi ab adversario facta sit vel heredi aut proprietario juris cessi; vel alicui creditorum in solutionem omnium, quæ illi debentur; vel possessori fundi, de quo lis est¹, vel titulo gratuito, quia tunc cessio non est odiosa, nec potest verificari aliqua pretii solutio pro illius redemptione (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 825).

Si autem agatur de creditis liquidis, certis et tatis, utrum hæc etiam tuta conscientia minoris emi possint, disputant. Alii volunt cum Anacleto, Azorio, Bellarmino, Bernardino Senensi, Cajetano, Navarro, Sanchez et Tournely probabiliter etiam hæc emi posse pretio minori, quam infimo; quia non emitur pecunia, sed emitur actio ad illam: ideo justum censetur pretium, quod communiter negotiatores pro talibus chirographis persolvere solent. — Alii ex adverso negant cum S. Thoma, Croix, Laymano, Lessio, Sylvio, Sporer et Viva; quia actio ad creditum certum, liquidum et tutum, quin adsit periculum, vel difficultas occurrat in eo exigendo, tanti valet quanti valet ipsa pecunia debita. Hæc secunda sententia est quidem suadenda uti communior et tutior; sed prima tam ob auctoritatem Doctorum illam propugnantium, quam ob rationem cui innititur, non videtur rejicienda uti improbabilis. Sane in praxi credita hujusmodi semper revera æstimantur minoris, quam ipsa pecunia numerata; quia vix unquam libera sunt a periculo exactionis et sumptibus, vel saltem a molestiis atque incommodis sane non paucis.

731. *Quid si res nullum habeat pretium determinatum in humano commercio, uti gemmæ quædam, aves indicæ, veteres picturæ, statuæ, libri rari, antiqui et similia? venditæ tanti poterunt, quanti quis sibi voluerit? Idem quæritur de cantu, saltatione et abusu mulieris.* Omnes istæ res extraordinariæ, quæ non sunt necessariæ ad communem convictum, possunt vendi quanti plurimi, ut docent Diana, Serra, Sotus, etc.; quia cum non sint taxatæ, illud pretium putatur justum, quod convenitur inter partes: hoc recte vocant probabile Salmanticenses. Verum nos probabilius negandum putamus cum Bouvier, Gury, Continuatore Tournely, Lessio, Lugo alisque; quia tametsi pretium talium rerum magnam recipiat latitudinem,

¹ Cod. civ. Gall., art. 1689 et seqq.

æquum semper est, ut habeat quamdam taxam arbitrio prudentum; cuiuslibet enim rei sua est æstimatio.

Attamen in his sicut et in aliis venditionibus, quando ex utraque parte bona existat fides, communiter poenitentes non sunt inquietandi, nisi ex fundato indicio appareat veram extitisse injustitiam. Sic quotidie veteres libri in se optimi vili pretio venduntur, qui si novi, licet non meliores, quadruplo plus venderentur; at nemo suspicatur aliquam ibi esse injustitiam, quia sic inter homines receptum est. Qui autem res minoris pretii in se asportant in regiones ubi maximi æstimantur, v. g., cultellos vel specula ad Indos, eas pretio ibi recepto vendere possunt: quia pretium hujusmodi objectorum communi hominum ibi commorantium æstimatione determinatur; hoc vero pretium excedere injustum esset. Qui inter res communes invenit rem, quam scientia privata novit pretiosam; v. g., herbam medicinalem inter herbas communes, illam cum ceteris vili pretio emere potest, si sit in loco ubi valor iste a nemine æstimatur; et etiam probabilis, licet in eodem loco plures rei valorem æstimare valeant, quia ex usu et destinatione res illa censetur amisisse pretium et honorem: sic in praxi apprehendunt omnes. Ita multi Theologi, Billuart, Dens, Vernier, etc., contra Collet.

(Q) Page 501.

Circa locationem et conductionem quædam sunt inquirenda pro praxi.
732. a. *Quæ regule speciales pro conductione domorum et fundorum rusticorum?*

R. Ad 1: Conductor domus (seu inquilinus) tenetur: 1. eam sufficienti suppellectili instruere, quia in illis locator privilegium habet: excipe nisi alio modo de pensione locatori solvenda cautionem tribuat: aliter expelli potest; 2. tenetur ad reparationes locativas, nisi aliud stipulatum vel nisi vetustas aut vis major detrimenti sit causa: expensæ autem pro puteis et cloacis expurgandis pertinent ad locatorem; 3. tenetur solvere locatori pensionem respondentem tempori, quod expectare debet ad aliam locationem ineundam: item ad cetera damna, atque ad id quod interest, si ipsius culpa resolvatur locatio. Hic etiam notandum, quod locatio suppellectilium pro domo vel parte domus, aut apotheca instruenda, nullo statuto tempore, censetur facta ad illud tempus, quod determinat consuetudo regionis; locatio vero domus jam instructæ censetur facta ad annum, ad mensem, ad diem, prout pretium in annum, mensem vel diem pactum fuerit¹.

¹ C. Ped., art. 1759. — C. A. 1096. — C. G. 1752 et seqq. — C. S. 1598. — C. P. 1642. — C. M. 1679.

R. Ad 2: Conductor fundi tenetur: 1. fundum instruere animalibus et instrumentis ad agros excolendos necessariis, culturam curare, uno verbo re locata uti ut bonus paterfamilias: secus poterit judicialiter expelli et teneretur eo in casu de omnibus damnis; 2. fructus in loco statuto reponere; fructus enim qui ibi nascuntur, tacite intelliguntur pignori esse domino fundi locati; 3. admonere locatorem si quæ usurpatio in suis fundis contingat, et quidem sub pœna compensandi damna, id quod interest, et expensas omnes quæ sustineri debent a domino ad rem suam indemnem tuendam; 4. cum a locatione cessat, tenetur relinquere paleas, stramina, finum collecta per annum, ubi hæc sublocationis initium et ipse acceperit: quod si illa non recepisset, adhuc ea relinquere tenetur; sed casu quo justo pretio dominus ea velit sibi comparare. Hic autem notandum, quod si messis unius anni ex dimidia saltem parte casu fortuito interierit, conductori fas est petere, ut pensio solvenda minuatur iuxta regulas in Codice relatas: excipe nisi id ubertate aliorum annorum compensetur; vel nisi conductor expresse omne in se suscepit periculum, quod tamen de solo ordinario, ut grandine, fulmine, gelu; pruina intelligitur; nam ut etiam teneatur de casibus extraordinariis, v. g., aquarum insolita inundatione, bellica vastatione, critogma, debet omnibus casibus fortuitis expresse se submittere sive prævisis sive non. *Cod. Ped. art. 1771. — C. A. 1104. — C. G. 1763 et seqq. — C. S. 1609. — C. P. 1675. — C. M. 1688.*

b. Quisnam colonus partiaris, et quid de eo?

R. Qui fundum rusticum alterius suscipit excolendum eo pacto, ut fructus inter ipsum et proprietarium dividantur, dicitur colonus partiaris, et contractus ipse colonia partiaris. Qui contractus moderatur iis legibus quibus locatio rerum in genere, et præsertim fundorum rusticorum, salvis hisce specialibus: 1. fructuum iactura, si contingat casu fortuito, a domino et colono æque ferenda est; 2. colonus partiaris non potest alie fundum sublocare, neque cedere sine domini facultate: secus tenetur de damnis et lucro cessante, et potest etiam expelli; 3. neque potest fœnum, paleas, aut lætamen vendere, aut pro aliis vecturas facere absque proprietarii consensu: et merito ne fundi cultura minuatur; 4. contractus hic quovis modo initus non cessat ipso jure sed requiritur ut proprietarius det, vel colonus missionem petat inter tempus a consuetudine definitum. Potest etiam ante ipsum tempus, iudicio tribunalis, postulari contractus solutio, si colonus non faciat satis suis obligationibus, vel si ob habitalem morbum ad id ineptus foret. Item per mortem coloni resolvitur contractus, non tamen ante elapsum annum integrum, quo ipso obiit (ubi notandum quod annus agrarius generatim incipit die undecima novembris):

imo si obierit in postremis quatuor mensibus, competit filiis et ceteris hæredibus, qui cum defuncto habitabant facultas in conductione manendi per annum sequentem: et his deficientibus vel nolentibus, facultas hæc ipsi viduæ competit. Poterit tamen semper sibi cavere dominus, ut tam hæredes quam vidua tanquam boni patresfamilias fundum colant.

Pro iis autem casibus, in quibus supradictæ regulæ non provident, neque expressa partium conventio, servandæ sunt locorum consuetudines; et his deficientibus, hæc a lege præscribuntur: 1. animalia necessaria ad fundum excolendum, instrumenta, finum et quidquid culturæ occurrit, item expensæ pro agro colendo et fructibus colligendis, a colono sunt suppeditanda: semina vero a proprietario et colono æqua parte; 2. coloni est plantationes ordinarias et in substitutionem arborum demortuarum perficere, domini vero plantas dare, nisi eas producat ipsius fundi seminarium, item fascies, vimina ac palos; 3. sulci aquarii inter ipsos agros existentes aut viis publicis adhærentes a colono expurgandi sunt: qui insuper tenetur materias transvehere pro reparando fundo et domo colona: necnon fructus ad proprietarii domum transferre, si tamen hæc non longe distet, ut æquitas docet; 4. non licet colono metere messes, frumenta excutere, uvas colligere, etc., nisi prius admonito proprietario: fructus autem omnes naturales et industriales æque dividuntur; sed de palis et ramis arborum colono licet sumere tantum quæ fundo aut suo usui occurrunt; 5. tandem contractus hic ad annum censetur initus, si nullum fuerit tempus determinatum: annus autem (ex dictis) incipit die undecima novembris. Quod si elapsus sit mensis martii, quin data aut petita fuerit missio, tunc contractus censetur ad alium annum renovatus. De his omnibus standum est legibus et consuetudinibus patriis. (Not. Edit.)

733. c. Quid de locatione operarum et industriæ?

R. Ex civili Codice tres recensentur species locationis operarum et industriæ: una ea est, qua quis propriæ personæ operam obligat ad alicui famulandum; altera est vectorum, qui personas vel res alienas terra marique devehere sibi assumunt; tertia est redemptorum (vulgo *entrepreneurs des travaux de ferme*), qui nempe operas perficiendas suscipiunt.

1. Quoad locationes operarum, quæ a famulis et operariis præstantur, hæc sancuntur: 1. nemo potest operas suas obligare nisi ad tempus; aut ad certum aliquod opus perficiendum: hinc etiam nulla est obligatio, qua ipse dominus se obstringit ad retinendum famulum ad ejus vitam; 2. fides adhibenda est domino, modo juret, sive agatur de mercedis quantitate, sive de facta solutione salarii pro anno elapso præstiti famulitii, sive de rebus in antecessum suppeditatis pro anno currenti;

3. servandæ etiam sunt peculiare leges politiæ, quæ operarios et famulos respiciunt¹.

2. Vectores, qui terrestri itinera aut navi vecturam faciunt, quoad custodiendas res ipsis commissas iisdem obligationibus tenentur quibus cauponæ quoad res apud se depositas a viatoribus: quare inter cetera tenentur etiam de furto aut damno, nisi probent vi majori aut casu id evenisse. Insuper debent: 1. respondere de rebus, quæ sibi commissæ fuerunt in ipso portu, aut in loco in quo res illæ colliguntur, ut inde in navim aut currum transferantur; 2. habere tabellam, in qua describantur quæ transferenda accipiunt: quod quidem dicendum est etiam de direttore publicarum vecturarum; 3. tandem servare omnia statuta specialia, quæ vel apud ipsos legis vim habent, vel constituunt cum iis quibuscum contrahunt².

5. Quod spectat ad illos, qui operas peragendas suscipiunt, v. g., murum, palatium, hæc speciatim veniunt observanda: 1. si artifex una cum opera materiam suppeditet, opus ejus periculo stat antequam domino tradatur, modo iste non sit in mora illud accipiendi. Si vero artifex suam operam tantum impendat, et res pereat, non ei perit, nisi sit in culpa; at in hoc casu, si neque dominus sit in mora eam recipiendi, neque vitium materiæ fuerit causa ruinæ, artificii nullum est jus ad mercedem exposcendam; 2. si agatur de opere quod pluribus constet partibus, aut ad mensuram conficiendum traditum sit, singulæ separatim partes jam confectæ approbari poterunt, ne amplius stent periculo artificis: et sic præsumitur, si dominus mercedem pendat artificii pro rata operis confecti; 3. et artifex et architectus ad decem annos respondere debent de detrimentis, quæ ædificium vel aliud opus notabile ob vitium constructionis vel soli patiat; 4. neque artificii neque architecto, qui cum proprietario de æde construenda convenerint juxta delineatam idnographiam, jus est ad mercedis augmentum prætextu, quod creverit pretium constructionis aut materiarum: aut factæ fuerint innovationes, siquidem hæc debuerant scripto probari, ac determinari pretio; 5. artifex debet respondere de operibus personarum, quas ipse operi destinavit: hinc cæmentarii, fabri-lignarii, ferrarii ac ceteri, qui conducti fuerunt in conficiendo aliquo opere, nullam habent actionem contra dominum, nisi quoad summam quæ adhuc solvenda superest artificii, ut ex ea propriam mercedem accipiant; 6. semper licet domino contractum solvere, modo artificii pendat, quidquid ei interest.

¹ C. Ped., art. 1801. — C. A. 1155. — C. G. 1780 et 1781. — C. S. 1635. — C. P. 1709. — C. M. 1701.

² C. G., 1782 et seqq.

Hic contractus solvitur, ipso jure, artificis morte: sanè personalis industria, cujus ratio censetur habita in hisce conventionibus, cum ipsa persona deficit: attamen hæredibus artificis, architecti, aut redemptoris solvendum est a domino pretium partis operis jam perfecti, necnon materiarum quæ jam paratæ fuerunt, si tamen hæc omnia aliquam ipsi domino afferant utilitatem (Cod. civ. Gall., art. 1787 et seqq.).

(R) Page 509.

734. a. Differt omnino census ab usura; nam ille est jus percipiendi annualitatem ex re frugifera, est ergo emptio partis usufructus; ista autem est jus percipiendi ex re infrugifera, cum pecunia de se sterilis sit, ideo fundamentum non habet. Census excogitatus fuit, ut locum faceret mutuo pecuniæ: at hodie obsolevit; cum mutuum pecuniæ fuerit in pluribus legitimatum.

735. b. Ex Bulla Piana hæc sunt conditiones præcipuæ ad census: — 1. ut res, in qua constituitur census, sit immobilis, frugifera et certis finibus nominatim designata; — 2. ut census fiat in numerata pecunia et publico instrumento; — 3. ut non solvatur anticipate; — 4. ut nulla conventio fiat obligans ad casus fortuitos; — 5. ut nullum sit pactum auferens, vel restringens facultatem alienandi rem censui suppositam: quæ si sit vendenda, dominus census est præferendus et per mensem expectandum, an velit uti optione. Item nulla pacta omnia adversus morosum census debitorem: item pacta novi census: item pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem non pertinet; — 6. ut re pereunte et census pereat, vel pro rata, prout res perit; — 7. ut censitor non possit pretium unquam repetere: et contra possit censuarius semper redimere census, facta denuntiatione per bimestre ante; — 8. denique ut pretium semel constitutum neque minuatur neque augeatur.

Quæ omnia tum ad inducendam contractus æqualitatem, tum ad avertendam usuræ suspicionem constituta sunt: ubi notandum: 1. quod si pacta in censu repugnent illius substantiæ, census nullus evadit; nisi clausula sit, contractum intelligi semper constitutum ad formam Bullæ Pianæ (tunc pacta habentur uti non apposita, si non sint executioni mandata); 2. quod hæc Bulla quoad omnia apud omnes non viget: alibi enim ea usum non habuit, alibi vero abiit in desuetudinem, et hoc evenisse plures dicunt de Regno Sabaudia, ex quo, nemine reclamante, novus Codex per tot annos inductus est. — V. Alasia, *De censu*. —

Liguori, *Opus. Mor.*, l. III, nn. 848, etc. (Hanc Bullam ex nostris illustravit Borellus; item *Practica legale*, ecc.).

736. c. Hic notamus licitum esse: — emere syngraphas, seu census annuos in gubernio fundatos (vulgo *rentes sur l'État*, *obligations*, *bons du Trésor*), pretio currenti (vulgo, *au cours de la Bourse*); nam venduntur et emuntur, ut merces ordinariæ: et pretium eorum crescit aut decrescit juxta communem hominum æstimationem judicantium majus vel minus in iis esse periculum. Quod pariter dicendum de actionibus, quæ emuntur a nummulario publico (*billets de Banque*); — 2. negotiari actiones, quæ constituuntur in viis ferreis, in ephemeride, in operibus industrialibus, etc.; illæ enim actiones sunt jus ad emolumenta sperata, ideo pretio æstimabiles, ideo subjecta venditionis et emptionis; — 3. facere pecuniæ collocationem (vulgo *caisse d'épargne*); societates enim, quibus committuntur illæ pecuniæ, vendunt collocantibus jus ad pensionem annuam redimibilem, et quandoque etiam jus ad emolumenta indeterminata partienda; est ergo vera venditio et emptio census, et Sacra Pœnitentiaria hæc de re interrogata, 25 febr. anno 1856, respondit: *Ut jam alias, nihil obstare.*

An autem liceat in mutuo exigere sex et amplius pro quolibet centenario, juxta redditum syngrapharum, nega per se, si id constituatur tanquam regula; regula enim generalis et ordinaria est, ut non liceat in mutuo plus exigere quam quinque pro centum. Affirma in casu speciali quo quis suam pecuniam sit determinatus, potius quam mutuum dare, ponere in syngraphis; tunc enim potest tantundem exigere a mutuario titulo lucri cessantis; non enim tenetur pretio minori mutuum dare, cum possit legitime ex alio negotio majus lucrum facere.

737. d. Quum census constitutus fuit mediante solutione certi pretii, qui dicitur census consignativus (*rente simple*), censuarius, qui census redimere cupit, tenetur restituere eandem pecuniæ quantitatem, quæ soluta fuerat pro ejusdem census constitutione. Quod si fuerit census reservativus (*rente foncière*), nempe constitutis mediante cessione alicujus boni immobilis, quocumque titulo oneroso vel gratuito facta fuerit hujusmodi cessio, censuarius qui census redimere cupit, tenetur solvere censualistæ sortem pecuniariam respondentem annuo proventui, si hic in pecuniâ solvebatur: vel respondentem valori ejusdem annui proventus quum hic in fructibus præstatur; valor autem hujus postremi proventus desumitur ex pretio medio quod fructus illi in postremo decennio ex communi æstimatione obtinebant. Attamen si in ipso contractu constituta fuit sors minor illa, quæ annuo proventui respondeat, tunc debitor, seu censuarius ab annuo proventu solvendo, et ab omni onere liberabitur, si restituat sortem ipsam in contractu præfinitam.

(S) Page 523.

738. Pecunia hodie est ferme sola mutui materia. Egregie pro more suo cl. Taparelli, *Saggio*, ecc., § 957 et seqq. « L'essence de la monnaie est d'indiquer (*monère*) et de représenter une valeur.... L'impossibilité d'accroître le commerce fait au moyen du simple échange de choses équivalentes a donné naissance à l'usage de cet agent, chez toutes les nations commerçantes: la ductilité, la solidité, la divisibilité et le prix du métal recommandaient cette matière comme plus apte que toute autre à recevoir et à retenir le signe des valeurs échangées, et à en exprimer exactement les divers degrés de quantité ou de qualité. On voit par là quel est le véritable rôle de la monnaie. Si je veux par exemple échanger ma maison et mes terres contre un produit des Indes, faudra-t-il que je transporte là-bas mes terres et ma maison? Non, avec le secours de la monnaie, que je reçois en vendant mes biens en Europe, j'en transporte dans les Indes la valeur réduite en un faible volume, et là, remettant cette valeur à un commerçant, j'en reçois l'équivalent en denrées. Ainsi, en tant que monnaie, la fonction de l'argent consiste à passer d'une main à l'autre contre échange de valeurs reçues. Je pourrais le conserver comme médaille ou le fondre pour le transformer en vases ou ustensiles: mais alors j'en userais comme médaille ou comme métal, et non plus comme monnaie: le propre de la monnaie est de circuler en transportant les valeurs.

« Cela posé, il est facile de comprendre que le prêt de la monnaie est le prêt d'une chose qui se perd par l'usage puisque en l'échangeant contre un objet je m'en dessaisis et ne puis la représenter *identiquement* à celui qui me l'a prêtée; si je devais la remettre identiquement il me serait défendu d'en faire usage, et cet emprunt ne me servirait à rien comme monnaie, sinon à me charger d'un métal inutile. »

Pulchre *Eccles.* 10: *Pecuniæ obediunt omnia.* V. *Civiltà*, ser. 5: *la monnaie.*

(T) Page 530.

739. Q. *Quid si usura sit pure mentalis vel mentalis?*

Si usura, sit *pure mentalis*, nihil restituendum est, cum nihil sit receptum; sed sufficit se pœnitere ob malam illam animi voluntatem. Si vero usura sit *mentalis*, tunc ita questio resolvitur: — 1. si usura mentalis se habet ex parte utriusque, nempe tam mutuantis quam mutuatarii, ita ut et mutuans lucrum accipiat tanquam pretium mutui, et

mutuarius ut tale etiam persolvat, certe lucrum restituendum est, cum non adsit titulus legitimus retinendi, ut supponimus; — 2. si usura mentalis est ex parte solius mutuarii, quatenus iste dat lucrum uti pretium, et mutuator accipit bona fide ut gratis datum, tunc non tenetur restituere ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, cum noverit mutuarium non gratis praestitisse; — 3. si usura mentalis est ex parte solius mutuantis, quatenus mutuarius dederit gratis et mutuans receperit uti pretium, tunc cum noverit ipsum liberaliter donasse datum retinere potest; sed interim est culpandus ob malam conscientiam, quam habet (Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 761).

Sed quid (dices) in dubio, an mutuarius dederit gratis, necne? Poterit mutuans datum sibi retinere, si bona fide acceperit, et dubium postea supervenerit; quia melior est conditio possidentis. Secus vero si acceperit cum ipso dubio; quia hoc modo nequibat inchoare possessionem rei alienae, maxime cum in dubio mutuatis regulariter praesumi debeat dedisse coacte, non gratis. Difficiliter sane homines solent sua gratis elargiri, nisi praesumptionem contrariam circumstantiae personae, loci aut temporis oriri faciant.

740. Q. Quid de Montibus Pietatis, ut vocant?

R. Montes Pietatis definiiri possunt: *Cumulus pecuniarum ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, ex illis mutuo accipere possint ad tempus, quae sibi sunt necessaria*: et ideo pietatis dici solent, cum pium sit pauperum necessitati providere. Aliquando, consentiente tamen S. Sede, aliquod auctarium exigitur: sed non vi mutui ad ditescendum, bene vero ratione expensarum ad alendos ministros aliaque onera sustinenda; et ideo si Mons sit valde dives, nihil est percipiendum. Ita S. C. C. penes Benedictum XIV, *De Syn. Diac.*, l. x, c. 5; it. vide *Notificatio LXXIX.* — V. Liguori, *Op. Mor.*, l. III, n. 765. — Ferraris, v^o *Montes Pietatis, Mutuum.* — *Analecta juris Pontificii*: Romae, anno 1859.

Montes Perusiae primum (anno 1450) erectos, opera Franciscani *Barnabae*, approbavit Lateranense V sub Leone X (1517); et Tridentinum eos Episcoporum curae ac visitationi commisit. Dicunt aliqui pauperibus tantum ex illis mutuum dari posse, cum ideo tantum sint constituti; sunt tamen qui hanc ponunt exceptionem, nisi Mons adeo abundans sit, ut sine pauperum damno ceteris etiam satisfieri possit. Notandum autem: si mutuum non restituatur suo tempore, pignus sub hasta vendatur, ac retento pretio, quod Monti debetur reliquum restituatur domino pignoris (si ille inveniri poterit), vel pauperibus vel cedat eidem etiam Monti si pauper sit. V. Tridentinum *sessione 22, C. 8 de R.* — Audin, *Histoire de Léon X*, vol. II: Les Monts de Piété.

(U) Page 534.

741. Q. Quid de pacto, ut restituatur res mutuata in eadem specie et qualitate, si res augenda sit, vel minuenda tempore restitutionis? Vel dubium est, utrum res tempore restitutionis augenda sit, an minuenda: vel certe praevideatur eo tempore plura esse valitura. Si 1, licitum erit pactum, quia in tali dubio aequalis est contrahentium conditio, ac induit naturam sortis. Si 2, dicimus mutuatores pacisci non posse, ut restitutio fiat in eadem qualitate, tempore quo plura est valitura, tunc enim non servaretur aequalitas. Quod si prudenter praevideatur tempore restitutionis valitura minoris, poterit mutuator pacisci de majori mensura sibi restituenda, quanta sufficiat ad seipsum servandum indemnem, nisi decrevisset illam servare usque ad tempus, quo praevidet minoris valituram, quod supponi vix potest.

Juvenit autem hic referre quae a lege civili sancita sunt circa mutui restitutionem, maxime pro casu quo nullum fuerit initum pactum inter contrahentes: quae quidem communiter admittunt etiam in conscientia, cum aequitati sint consona, et statuta sint ad publicum bonum. Vel igitur mutuo datae sunt virgae metallica aut aliae res fungibiles a pecunia distinctae, ut vinum, triticum, vel ipsa pecunia. — Si 1, sive res pretio crescant sive decrescant, non est restituendum, nisi tantumdem ejusdem quantitatis et qualitatis; nam in his rebus plus entitas physica attenditur, quam valor earum extrinsecus: unde reddi debet una libra butyri pro una libra butyri¹, nulla habita ratione, quod pretium variatum sit, si tamen adhuc res sit in commercio. Quod si

¹ a L'emprunteur est tenu de rendre les choses prêtées en même espèce, quantité et qualité, et au terme convenu. Si, par exemple, je vous ai prêté 100 bouteilles de vin de Bordeaux, vous êtes obligé de me rendre 100 bouteilles de bordeaux; si je vous ai prêté 100 mesures de froment, vous êtes tenu de me rendre la même quantité de froment, et ce froment doit avoir la même qualité que celui que je vous ai livré. Si l'emprunteur est dans l'impossibilité de satisfaire à cette obligation, il est tenu d'en payer la valeur, en égard au temps et au lieu où la chose devait être rendue d'après la convention. Si ce temps et ce lieu n'ont pas été fixés, le paiement se fait au prix du temps et du lieu où l'emprunt a été fait. — Quand il s'agit d'un prêt en argent, l'obligation qui en résulte n'est toujours que de la somme numérique qui est l'objet du contrat. S'il y a eu augmentation ou diminution d'espèces avant l'époque du paiement, le débiteur doit rendre la somme numérique prêtée, et ne doit rendre que cette somme dans les espèces ayant cours au moment du paiement. — Exemple: Vous m'avez prêté dix pièces d'or de 20 fr., ce qui fait une somme de 200 fr.; postérieurement une loi porte la valeur de ces pièces à 22 fr.; serai-je obligé de vous ren-

rem in natura non habeat mutuarius, tenetur solvere illius valorem, habita ratione temporis et loci, ubi juxta conventionem restituenda erat res mutuata: et si conventio nulla sit inita, solutio fit juxta valorem, qui obtinebat eo in loco ac eo tempore, quo res fuit mutuo data. Si 2, tunc satis est, ut idem valor extrinsecus detur, etsi moneta quæ tradita fuit, interim creverit, vel decreverit; nam ubi de pecunia numerata agitur, magis valor extrinsecus attenditur, quam entitas physica: et revera objectum contractus non est ipsa aurea moneta ut talis, sed ejus valor: hinc illud, *in pecunia non corpora quis cogitat, sed quantitatem*. Excipitur tamen casus, quo sint mutuo dati nummi aurei vel argentei, et conventum sit de aliis in eadem specie et quantitate reddendis: tunc conventio servanda est; quod si haberi nequeant vel sint extra usum, vel intrinsecus eorum valor fuerit immutatus, tunc tantundem erit dandum juxta bonitatem nummis quo tempore fuerunt dati. Unde si mutuo data sint 10 ducata argentea talis anni 10 ducata argentea talis anni reddenda sunt, si talis fuerit conventio (C. Ped. 1917. — C. A. 985. — C. G. 1895. — C. S. 1767. — C. P. 1980. — C. M. 1711). Hic notamus, quod nummus papiraceus (vulgo *papier monnaie*) tenet locum veræ monetæ (ex legis præscripto), quæcumque sit ejus qualitas, sive ænea, sive argentea, sive aurea: unde quodcumque mutuum in eo potest restitui, non obstante contraria stipulatione. Sane cum hæc carta causa supremæ ac publicæ utilitatis excogitata sit, si cuiquam fas esset illum pacto refutare, non satis bono Reipublicæ esset provisum.

742. *Quid (quæres) de usuris usurarum?* Etiam civili lege prohibita sunt *usuræ usurarum*: nempe *usuræ debita*, si non solvantur, non ideo ex se induunt naturam sortis, ut istæ *usuræ* et alias *usuras* producant. Neque suffragatur pactum, si quod in initum sit; hoc enim *lucrum communiter uti turpe habetur, cum in jure repugnet dari accessionem accessionis*. Excipiunt tamen (etiam in conscientia ob rei ipsius æquitatem); — *a.* si *usuræ* revera naturam sortis sumant: ut est si priori aliud debitum substituatur specie diversum; vel si persona debitoris aut creditoris mutetur; — *b.* si agatur de pensionibus

dre les dix pièces d'or que vous m'avez livrées? Non; je suis seulement obligé de vous rendre une somme de 200 fr., parce que ce ne sont point les pièces de monnaie, mais seulement la valeur qu'elles représentent, qui fait la matière du prêt. Il n'en est pas de même lorsque ce prêt se fait en lingots: car c'est alors la matière elle-même qui est l'objet du contrat. Si donc ce sont des lingots ou des denrées qui ont été prêtés, quelle que soit l'augmentation ou la diminution de leur prix, le débiteur doit toujours rendre la même quantité et la même qualité, mais il n'est obligé de rendre que cela. » *Théol. Mor.*, par le card. Gousset, t. I, n. 814. Not. edit.

quæ debita sint inquilinis, a conductoribus; vel de fructibus debitis causa census aut vitalitii: *usuras* enim producant a die judicialis postulationis aut factæ conventionis; tunc enim non considerantur ut quid accessorii, sed censentur induere naturam debiti principalis. Item dicendum est, si agatur de aliquo tertio, qui alicui creditori, debitoris ipsius nomine, *usuras* aut debitos fructus pependerit. Tales exceptiones a lege civili inductas admittunt etiam in conscientia, quia æquitati sunt consonæ, ut dictum est. Attamen lex civilis non obtineret in conscientia si permetteret cuique *usuras* *usurarum* pacisci et exigere pro libitu; ut enim id licitum sit, requiritur tum ut *usuræ* *usurarum* sint non ultra 5 pro 100; tum ut iudicio prudentum et timoratorum revera censeantur induere naturam capitalis. Vid. etiam dicenda, n. 746.

(F) Page 536.

743. Ita sentit cl. Taparelli in percelebri suo opere, *Saggio teoretico, ecc.*, vol I, ubi ad rem ait: « Si le commerce est vraiment un bien, il est clair que la société doit contribuer à sa prospérité, et, par suite, qu'elle a le droit de prendre les moyens nécessaires pour atteindre ce but. Or quel est le principal moyen d'amener la prospérité du commerce, c'est-à-dire le mouvement des capitaux? C'est de faire que les capitaux passent facilement des mains qui les garderaient inactifs dans des mains disposées à les employer; faciliter les prêts, voilà le secret de ce succès. Mais comment cela? La société obligera-t-elle les capitalistes à se dépouiller de leur argent pour aider les négociants? Ce serait évidemment contraire à la loi fondamentale de l'action sociale. Elle prendra des moyens indirects et déterminera par l'avantage qu'ils y trouveront les propriétaires particuliers à contribuer par le prêt au bien général. La société pourra promettre à celui qui voudra prêter un avantage capable de compenser le bien qu'il procure à l'ensemble des citoyens. »

Mais d'où tirera-t-elle les fonds nécessaires pour cette prime ou cette compensation? N'est-il pas juste d'imposer à ceux qui retireront de ce prêt le principal avantage une taxe proportionnelle à cet avantage même? C'est ainsi d'ailleurs qu'elle en use généralement pour toute autre chose: le timbre, l'enregistrement, les jugements, les hypothèques, et tant d'autres formes protectrices des contrats, sont payés

¹ C. Ped. 1245. — C. A. 998, 1355. — C. G. 1154. — C. S. 1108. — C. M. 1205.

par les contractants eux-mêmes; les voies publiques ont des impôts et péages pour leur entretien; les armées sont soldées avec les contributions des peuples qu'elles défendent, etc. Si donc la société doit provoquer le prêt dans un intérêt général, elle reste dans la plus exacte équité en taxant l'emprunteur. Cette taxe n'est plus le fruit de l'argent prêté, mais une prime publique destinée à encourager les prêts..., une récompense du bien apporté à l'État. Il ne se trouvera personne qui veuille mettre en doute qu'il soit licite d'accepter cette prime. Celui qui rend un service à la société peut en accepter la compensation; et, parce que le service qu'il rend est pour lui une chose facile, il n'est pas pour cela obligé à refuser la compensation. Il en a acquis le droit au moment où il a accompli ce que la société lui demandait; de même que, par exemple, si une récompense était promise pour le nettoyage des rues, celui-là même y aurait droit qui se serait servi des matières ramassées pour fumer ses terres. Son œuvre devient-elle donc moins utile au public, parce qu'il sait en retirer un avantage particulier? »

Attamen tuctur nihil exigi posse vi mutui. Hinc ad objectionem Turgot:

Qui voudra prêter, si, après s'être privé de l'usage de son argent pendant des années, on se retrouve avec la même somme, tandis qu'elle aura servi à enrichir l'emprunteur? Ita Turgot apud Taparelli.

R. « Cette objection de Turgot ravient à ces trois autres: 1. Si mon argent fructifie entre les mains de l'emprunteur, j'ai bien le droit de percevoir une partie des fruits: 2. celui qui prête perd une utilité réelle en se privant de l'usage de son argent; 3. si vous faites disparaître l'espoir du bénéfice, il n'y a plus de raison pour qu'on se décide à prêter. Examinons-les.

« La première proposition est contraire à l'indépendance naturelle, ou bien elle est contradictoire en elle-même: 1. Si ces paroles, *mon argent* signifient *l'argent qui m'a appartenu*, il s'ensuit qu'il ne m'appartient plus; et dès lors c'est une souveraine injustice de vouloir que le bien d'autrui fructifie pour moi, et que son industrie tourne à mon profit: c'est réduire mon semblable à l'esclavage par rapport à moi; 2. si ces mots, *mon argent*, signifient que je conserve encore la propriété de l'argent prêté, il s'ensuit que le prêt n'est plus un contrat de prêt, mais un contrat de société; ce qui est contradictoire. Je suis libre de faire un contrat de société au lieu d'un contrat de prêt; mais je ne puis faire que le prêt soit la société. Donc la première proposition est injuste ou contradictoire.

« La deuxième proposition change l'état de la question et en confond

les règles; car ou le prêteur était décidé à ne pas faire valoir l'argent déposé dans sa caisse, c'est-à-dire à ne pas l'employer, et dans ce cas en perdre l'emploi, c'est ne rien perdre du tout; ou bien il le destinait à quelque opération avantageuse, et alors il peut réellement percevoir un avantage proportionné à la probabilité du profit auquel il renonce. C'est pourquoi un grand nombre de moralistes conviennent qu'on peut toucher quelque intérêt toutes les fois que le prêt doit être de longue durée, attendu qu'un long délai peut rendre le prêt préjudiciable au prêteur, en changeant les circonstances d'une manière imprévue.

« La troisième proposition est en définitive le résultat de l'égoïsme dominant dont les sophistes admettent et fomentent soit les principes, soit les conséquences avec bien peu de philanthropie. Assurément si je dois vouloir à autrui le bien que je veux pour moi-même, je dois le lui faire quand je le puis sans en souffrir; or, lorsque le remboursement n'est pas douteux, je puis sans détriment lui prêter un argent qui ne me rapporte rien; je dois donc le lui prêter dans ces circonstances, et ce devoir sera plus ou moins pressant en proportion du bien dont je prive mon prochain et des obligations qui me lient à son égard. »

744. Nonne (dices) *Deus Judæis permisit ab alienis usuras exigere?* Vel est dicendum cum D. Ambrosio permissum dumtaxat fuisse Judæis usuras exigere ab inimicis, a quibus jam Deus dominium abstulerat rerum omnium, sicut permisit Judæis ipsis, ut vasa auferrent Egyptiorum (*In Tob. c. 15*). Vel dicendum cum Angelico, id tantum fuisse toleratum uti minus malum, eo pacto, quo propter eorum duritiam fuit toleratum uxorum repudium (2, 2, q. 78): sed Deus nunquam potuit probare quod intrinsece malum est. Ex hactenus dictis colligitur, in conscientia teneri usurarium ad usuram mutuuario restituendam; nam cum contractus omni jure sit nullus, nequit dominium transferre, neque sane ipsa nuda traditio transfert.

(I) Page 537.

745. Quæres: *Quid sentiendum de Confessario, qui cum intime persuasus sit sententiam, quæ rejicit titulum legis civilis tanquam insufficientem, esse longe probabiliorem, securiorem et solam in praxi tenendam, donec S. Sedes definiarit, penitentibus qui ab eo consilium petunt, utrum possint auctarium percipere ex mutuo (tametsi nullum habeant titulum a Theologis communiter admissum præter titulum legis civilis), respondet eos non posse præfa-*

tum auctarium exigere, et denegat ipsis absolutionem Sacramentalem, si illud exigant?

Respondemus hunc Confessarium nimis dure et severe se habere erga hujusmodi fideles, quandoquidem ex datis a S. Pœnitentiaria responsis liquet fideles, qui bona fide ita se gerunt, non esse inquietandos. Ipse autem responsione sua prædicta inquietat profecto : et ideo debet se abstinere studendo, ut in praxi sese ejusdem Pœnitentiariæ oraculis valeat conformare : ita ex Decreto 14 novemb. anno 1831. Ubi etiam notamus : 1. illa allatarum responsionum verba : *Non esse inquietandos*, non meram tolerantiam, sed positivam permissionem significare, ut docet S. Alphonsus in alia re (*Op. Mor.*, l. III, n. 765) ; 2. Ecclesiasticos, qui in publicis concionibus decretorie prædicant, licitum esse auctarium legis reticendo clausulam : *Modo sint parati*, etc. probari non posse ; quia privata auctoritate definiant questionem, quam S. Sedes nondum voluit definire. Ita responsum fuit Episcopo Vivariensi 7 martii, anno 1835.

Sed quomodo (instabit fortasse quispiam) cum his Decretis poterit conciliari celebris Encyclica Benedictina Vix pervenit ad aures? In hypothesi veræ contradictionis, non potius Bullæ adhærendum, quam Decretis posterioribus? — Negamus suppositum : hæc nempe objectio supponit Benedictum XIV directe vel indirecte controversiam circa usuras in Scholis pendentem prædicta Encycl. definivisse et ejus definitioni adversari responsa posteriora SS. Congregationum : atqui hoc est falsum. Sapientissimus enim Pontifex tantum abfuit a tali definitione ferenda ut anno 1746, id est vix post editam anno præcedenti suam Encyclicam, permiserit Romæ sub ipsis oculis suis in lucem typis edi, imo et sibi dedicari opus Scipionis Maffei Veronensis cum titulo : *Sull' impiego del danaro*, ubi thesim ipsam aperte tuetur, quam adversarii supponunt in Encyclica illa fuisse proscriptam (et eo pacto permisit Pontifex, ut auctor operis præfigeret Encyclicam suam, necnon epistolam subjectionis). Hoc adeo verum est, ut etiam post Benedictum XIV thesis ipsa fuerit adhuc apertissime in scholis Catholicis propugnata, et adhuc a compluribus propugnetur, sciente et non reclamante Sede apostolica, uti videri potest in libris : 1. Bolgeni (S. Pœnitentiariæ Theologus), *Dissert. sopra l'impiego del danaro e l'usura*. — 2. Mastrofini, *Le usure*, libri tres, Romæ sub Pio VIII. — Card. de la Luzerne, *Sur le prêt de commerce*. — 4. Rolando, *Osservazione sull' usura* ; aliorumque plurium. Quis autem credat tot Auctores catholicos, et quidem tam magni nominis, voluisse thesim tueri, quæ jampridem tam expresse et apposita Bulla fuisset a Benedicto XIV proscripta? Hinc S. Pœnitentiaria interrogata ab Episcopo Veronensi : *An Confessarius ille possit absolvi, qui licet Benedicti XIV et alio-*

rum summorum Pontificum de usura definitiones noverit, docet ex mutuo divitibus aut negotiatoribus præstito percipi posse præter sortem lucrum quinque pro centum etiam ab iis, qui nullum omnino alium præter legem civilem titulum habent mutuo extrinsecum ; aperte respondit sub die 14 augusti anno 1831 : *Confessarium illum non esse inquietandum quousque sancta Sedes definitivam decisionem emiserit, cui paratus sit se subjicere, adeoque nihil obstare ejusdem absolutioni in Sacramento Pœnitentiæ.*

Hoc clarius patebit, si objecta Encyclica attendatur ; in ea enim nedum damnatur titulus legis, de quo tunc primum exorta fuit controversia, imo potius aperte declaratur, quod de illo nullus sermo instituitur : sic legitur § 6 : *De contractu statuimus*. « Il résulte nécessairement de ceci (scite observat cl. auctor operis *Dissertationi di un Can. Poliziano*, ecc.) que tous les textes de l'Écriture, des Pères, des conciles, des canons, des Pontifes, doivent être appliqués sans crainte au prêt et à l'usure définis comme tels par l'Encyclique ; mais que, pour ce qui est du contrat controversé et tout autre contrat sur l'emploi de l'argent pour un temps avec intérêt fait d'une manière déterminée et dans des circonstances qui n'exigent pas le prêt nu et simple, ces textes ou ne peuvent s'appliquer, ou restent divisés et indécis. En effet, par la définition de Benoît XIV *Nihil statuimus*, il est évident que ces contrats ne sont pas identiques, au moins entièrement, et à l'exclusion de tout doute, au prêt nu et simple dont le Pontife a parlé, et qu'il a prescrit d'être reconnu comme usuraire dans l'Église. »

746. Nuperrime pro Pedemontano regno quæsitum fuit : Il était réglé par le Code civil que l'intérêt ne pouvait dépasser le taux établi par la loi (cinq pour cent pour les contrats civils, et six dans le commerce), et que tout intérêt supérieur devait être réduit conformément à la loi. — Une loi nouvelle distingue deux intérêts, le légal et le conventionnel. Le légal reste le même qu'auparavant et s'applique au cas où un intérêt est dû et n'a été réglé par aucune condition ; le conventionnel est fixé à la volonté des contractants, et en matière civile doit résulter d'un écrit, à peine de nullité.

On demande :

1° Si par cela même que la Sacrée Pénitencerie a déclaré qu'on ne devait pas inquiéter ceux qui, sans autre titre que la loi exigent dans le prêt un intérêt à cinq pour cent, cette doctrine s'applique aussi à ceux qui, profitant de la faculté illimitée laissée par la nouvelle législation, exigent, en vertu d'une convention, un taux beaucoup plus élevé, comme 15 ou 20 p. 100?

2° En cas de réponse négative pour le cas précédent, un confesseur peut-il faire usage de la solution donnée, le 16 août 1850, par le Pape Pie VIII à plusieurs prêtres du diocèse de Reims sur cette matière, et laisser dans la bonne foi un pénitent qui a exigé et exige un intérêt de 15 ou 20 p. 100, parce qu'on prévoit qu'en essayant de le détourner de ces contrats illicites et injustes, il ne sera disposé ni à restituer ni à abandonner un tel profit ?

3° Toujours dans l'hypothèse d'une réponse négative à la première demande, un notaire peut-il passer un acte dans lequel serait stipulé un intérêt de 15 ou 20 p. 100, ou plus encore par la raison que la loi autorise les contractants à faire leurs conventions là-dessus et que lui, comme fonctionnaire public, s'exposerait à de graves inconvénients s'il se refusait à passer un tel acte ?

4° Peut-on approuver la pratique d'un confesseur qui, à cause d'une notable augmentation dans les impôts et par suite de la nécessité où sont les sujets d'accroître leurs revenus, tenant compte des autres motifs susmentionnés qui rendent l'argent plus recherché, *negative se habeat vis-à-vis* des pénitents qui, dans le prêt, exigent un intérêt plus fort, par exemple 8 p. 100 ; supposant toujours qu'il les croie de bonne foi ; ou bien qui, étant consulté, ne les oblige pas à restituer, parce qu'il les trouve disposés à obéir à tout ce que le Saint-Siège pourra prescrire sur ce point.

Feria IV die 18 aug. 1818, in Congreg. generali habita, etc., rescriptum fuit : — *quoad fructus legales provisum per decreta alias data ; — quoad fructus conventionales, eorumque titulos provisum per Encycl. VIX PERVENIT ; — quoad quantitatem eorum fructuum conventionalium, et fructus de fructibus rationem habendam esse in singulis casibus ; habito respectu ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum et temporum, juxta regulas a SS. Canonibus et a probatis auctoribus traditas. — Et dentur decreta 15 januarii 1780 et 26 mart. 1840, prout sequuntur :*

DECRETA.

Decretum 1 : Feria V coram Sanctissimo 15 jan. 1780 ; ad quasi-tum : Usura communis abusus est in Sinis et multi sunt christiani qui hujus labe inficiuntur ; huic morbo occurrere optantes antiqui missionarii arbitrati sunt impossibile esse totam spem lucri eripere ab ipsis ; tantummodo conati sunt ipsorum cupiditatem ad certos fines cohibere, unde passim et indifferenter ab ipsis permissum est lucrum quindecim per 100 in hac missione exigere. Hujus permissionis ratio fuit, quia

mutuatores ordinarie et communiter loquendo inter Sinas grave periculum subeunt amittendi sortem principalem, aut insolitos assumendi labores pro recuperatione debiti, et periculum istud commune tantum est, ut inter centum mutuatores plus quam media pars illud onus sustinendum habeat. Motivum etiam ipsis fuit aliarum provinciarum exemplum ; nihilominus existimavimus probabilius et tutius ad singulares et individuos casus attendere, ut permittatur vel prohibeatur lucrum, abstractione facta a dicto communi periculo quod de facto reale est, ita ut sublato titulo lucri cessantis aut damni emergentis, si in particulari casu specialiter non deprehendamus circumstantias periculi extrinseci, propter quas declaravit S. C. *non esse inquietandos Sineses* ; aut etiam si mutuatores nihil speciale timendum ex parte mutuatarii fateantur, tunc absolute quodcumque lucrum prohibemus et acceptum mandamus restituere. Hæc est nostra praxis, cui multi ex christianis non obtemperant. Enixe ergo S. Congregationem rogo, ut dignetur sententiam ferre et declarare, nam periculum istud commune modo quo propositum est, det facultatem indifferenter lucrum percipiendi absque eo quod ad speciales casus individui circumstantias attendatur, prout expositum est.

Responsum : *Cum æqualitas in contractibus, ut justii sint, requiratur, nihil in mutuo vi mutui accipiendum ultra sortem principalem. Quod si mutuantii lucrum cessare vel damnum emergere aut periculum imminere amittendæ sortis vel assumendi insolitos labores pro illius recuperatione contingat, horum quidem compensationem repeti posse, duabus tamen conditionibus semper ob oculos positis, quarum prima, ut reapse titulus novus aliquis ex ipsis concurrat ; altera ut nihil amplius quam vere ille postulat, exigatur. Quamobrem a justitiæ regula deficere et restitutioni obnoxios esse omnes contractus, in quibus aut interesse fingitur quod compensetur, aut plus petitur quod adæquata compensatio requirit. Imprudenter igitur atque illicite agere, manifestoque se injustitiæ discrimini committere patet, qui ex eo quod periculum, quod inuimus plerumque in Sinis occurrat, lucrum semper atque semper idem requirunt, quasi periculum semper intercedat, et cum adsuerit eandem semper remunerationem petat ; neque excusari quod minorem quam quæ regni lege permittitur, usuram percipiunt, cum non ideo rectum sit aliquod quod a justitia minus defleat nisi ad recti formam prorsus componatur ; neque humana, sed divina lege ac lege naturali, quæ æquitatis tenax est, hominum actiones pensandæ sint. Eos tantum recte se gerere qui ad individuos casus respicientes, tunc solum compensationem exposcunt, cum periculum revera intervenit, et non aliam compensationem*

tunc quærent, quam quæ periculi gravitati, quæ proborum idcirco prudentumque iudicio existimanda est, respondet.

Decretum 2: Feria V, loco iv, 26 mart. 1840: Dominus de Laffaire Diocesis Bituricensis Sanctitati V, devote exponit, patrem suum dum viveret, fœnerasse D. de Fongieres ab anno 1807 ad au. 1832 quinque millia francorum, ea conditione ut dictus D. de Fongieres solveret quotannis francos decem pro centum. Ignorat filius an pater fœnerans titulos extrinsecos habuerit; tantummodo opinatur patrem suum, et voluisse ex hac pecunia fructum percipere, indigebat enim; et insuper potuisse cum eodem fœnore, gubernium enim tunc temporis dabat decem per centum; fœnerator vir probus erat. In hoc conscientie discrimine rogat Orator Sanctitatem Vestram, cuius solius sententiam pro norma vult habere: 1. an ad aliquid reddendum teneatur; 2. posito quod teneatur, utrum saltem quinque pro centum retinere valeant?

Responsum: Quoad usuras in genere, consulat Decreta jam lata; quoad excessivitatem fructuum consulat R. D. Episcopum, qui expendat facti circumstantias et praxim illius temporis, quæ vigebat apud viros timorata conscientie, et provideat.

(F) Page 540.

747. An donatio ante acceptationem sit valida?

R. Negative: donatio ante acceptationem non est valida; nemo enim potest acquirere jus in res alienas, quin prius consentiat. Hinc donatarius si nescit rem, quæ apud se est, sibi esse donatam... donatæ rei dominus non fit (Digest. l. xxxix, t. V de donat., l. X): et donatio ante acceptationem revocari potest, etiamsi juramento firmata sit; cum juramentum sequatur naturam actus cui adnectitur. Excipitur, si sit facta contemplatione certi et determinati matrimonii, antequam sit initum: quæ donatio ob defectum acceptationis nequit impugnari, lege civili sic statante. Item valet facta ad causas pias ante acceptationem, si tam immediate sit facta Deo, v. g., promitto Deo dare tali Ecclesie, etc.; quia cum intentio feratur in Deum, donatio valet uti votum. Aliter esset si promissio sit facta immediate Ecclesie, hospitali, etc.: tunc probabilis semper requiritur acceptatio. In dubio autem intentionis præsumitur animus votendi, quia in causis piis communiter intentio fertur primario in ipsum Deum.

Ex tradita doctrina plura resolvuntur: — 1. donatio facta absenti, si per nuntium fiat, potest revocari, donec coram nuntio acceptetur. — 2. post mortem donantis probabilis non potest valide donatio acceptari, etsi donatio sit jam facta, et donans ante mortem mittat nun-

tium aut epistolam; nam post mortem donantis nequit voluntas ejus uniri cum donatarii consensu. Cum tamen adhuc probabile sit, quod possit acceptari, quia donatio potest dici permanere virtualiter in nuntio vel litteris, ideo dicimus: qui sic acceptavit bona fide, cum jam acquisierit possessionem, juste potest retinere. — 3. si donatio nondum sit facta, sed mandata fieri a nuntio (per illum etiam munere misso), tunc post mortem donantis amplius acceptari nequit ex I. inter causas ff. Mandati (quamquam alii adhuc putant posse acceptari, cum sit quasi gratia facta). Ceterum si hæc donatio fuerit facta a nuntio, inscio tam nuntio quam donatario mortis mandantis, tunc donatio valebit ex citata lege. — 4. mortuo donatario ante acceptationem, probabilis ejus hæres non potest acceptare donationem, quia hæres succedit in juribus realibus defuncti, non autem personalibus, uti est jus acceptandi donationem. Concedit tamen Lessius quod si hæres sit filius donatarii, ex æquitate posset acceptare; cum talis præsumenda tunc sit mens donatoris. — V. Liguori, Op. Mor., l. III, n. 728, etc. — Ferraris, Contractus donationes. — Liguori, Op. Mor., l. III, n. 702. — Cod. civ. Ped., art. 730 et 1155. — C. A. 765. — C. G. 894. — C. S. 337. — C. P. 1025. — C. M. 1935.

748. Quid de donationibus factis sponsis occasione matrimonii?

R. Donationes, quæ fieri solent sponsis occasione certi et determinati matrimonii, a quocumque fiant, consistunt vel in bonis præsentibus, vel in futuris, vel in utrisque simul.

a. Si donationes sint de bonis præsentibus, sive proveniant ab extraneis, sive a parentibus, sive fiant utrique sponso, sive tantum alterutri, iisdem regulis subjacent, quibus donationes ceteræ inter vivos, sed cum clausulis: 1. istæ nequeunt invalidari ob defectum acceptationis in donatariis, neque revocari ob eorum ingratitude; 2. si matrimonium non sequatur, habentur uti non factæ; 3. præsumuntur factæ etiam favore prolis nascituræ.

b. Si donationes sint de bonis futuris, complectuntur bona, quæ tempore mortis suæ habebit donator, et inducunt in donatore obligationem relinquendi tempore mortis suæ illa bona donatario. Ergone (inquires) non amplius in vita sua de bonis illis poterit aliter disponere donator? Non poterit titulo gratuito: v. g., donando aliis bona ipsa, quia sic jam de iis disposuit in actu donationis prioris; sed poterit disponere titulo oneroso et extra fraudem, v. g., annuo canonico pecuniario bona illa subiciendo, non ut donatarius bonis privet, sed ut bona ipsa in melius convertat: imo potest donator de illis disponere etiam titulo lucrativo, v. g., vendendo, si supersit satis ad implendam donationem.

c. Si donationes sint circa bona præsentia simul et futura, tunc s

actui donationis fuerit adnexum inventarium bonorum mobilium cum debitis et oneribus donatoris, moriente donatore, potest donatarius eligere inter hæc duo: vel acceptare omnia bona existentia tempore mortis donatoris ipsius, et solvere omnia ipsius debita: vel acceptare bona existentia tempore actæ donationis solvendo debita item eodem tempore extantia. Quod si inventarium illud non fuit actui donationis adnexum, tunc donatarius non habet jus, nisi ad bona existentia tempore mortis donatoris: ideo debet vel omnia acceptare cum debitis et oneribus, vel omnibus valedicere. Ratio discriminis est: in 1. casu bona actu donationis vi inventarii censentur translata in dominium donatarii; in 2. non sic ob inventarii defectum (Cod. civ. Ped. art. 1168, 1180, 1176. — C. G. 959, 1081. — C. P. 1927. — C. M. 1914).

APPENDIX I

NONNULLA AXIOMATA ET EFFATA JURIS CONSULTORUM ET PHILOSOPHORUM ELUCIDANTUR

749. 1. *Vitandus est absurdus intellectus, quamvis litteræ vis inferatur;* id est lex est explicanda etiam contra sonum materiam ejus verborum, si secus absurdam daret intelligentiam.

2. *Non procedit argumentum a contrario sensu, quando in casu contrario militat eadem vel major ratio;* id est quod dicitur de uno, non potest negari de alio, si una et eadem ratio, vel major in eodem genere pro utroque militet; tunc enim non habetur contrarietas, sed uniformitas.

3. *Argumentum a contrario sensu non valet, quando contrarium est decisum in jure;* id est quando aliquid est specialiter definitum a jure, tunc non potest de facili argumentari de eo ad suum contrarium; quia illa definitio potest esse exceptio, quæ non facit regulam.

4. *Annalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum;* id est cui datur actio ad repetendum solutum, datur etiam actio ad excipiendum ne solvatur; inutiliter enim datur quod statim potest repeti; et quamvis actio repetendi sit annualis seu temporalis, tamen jus excipiendi si nondum solutio facta est, semper durat et perpetuum est.

5. *Una pars alternative dubia declaratur per aliam;* id est cum ponitur aliqua alternativa, v. g., *hic, vel alius*, si una dictio sit dubia,

explicatur juxta veritatem dictionis secundæ, nisi urgeant fortiores conjecturæ in contrarium.

6. *Ad præteritum nulla est potentia;* id est cum præteritum redire non possit, non cadit sub nostra voluntate.

7. *Actus præsumitur factus secundum ejus naturam;* id est in dubio res accipitur prout sonat in se, et juxta genuinum, proprium et radicalem ejus sensum.

8. *Casus omissus manet in juris communis dispositione;* id est si aliquis casus non inveniatur resolutus in particulari, resolvitur juxta regulam generalem juris, et æquitalis.

9. *Delictum alicujus non debet operare immunitatem;* id est si ob tuum delictum ego liber evado a fide data servanda, non ideo tu liber et immunis es.

10. *Quod juris est de toto quoad totum, est de parte quoad partem;* id est ipsa ratio quæ vult, ut ponatur tota res quando tota poni potest, eadem vult ut eodem motivo ponatur pars, quando ipsa solummodo potest poni.

11. *Exemplum non arctat regulam;* id est quod ponitur exempli gratia non limitat, non coarctat dispositionem, ita ut ad aliud simile lex applicari non possit.

12. *Fictio non operatur plus quam veritas;* id est si quod vere ponitur non valet, multo minus valere debet quod ponitur fide; si illud lex non admittit, hoc multo minus admittere debet.

13. *Quod a principio est voluntatis, postea fit necessitatis;* id est ex eo quod quis voluntarie inierit contractum, postea necesse est, ut ipse stet promissis.

14. *Mitius agitur cum lege, quam cum homine;* id est cum homine ministro legis; seu magis fuerit præceptum speciale ab homine alicui specialiter datum, quam præceptum generale in lege generali contentum.

15. *Negatio magis negat, quam affirmatio affirmat;* id est una negatio totum subito destruit, at una affirmatio non undequaque rem statim sancit, sed habet latitudinem; negatio semper urget, affirmatio non semper.

16. *Quod incontinenti fit, dicitur inesse;* id est quod statim fit, censetur fieri uno tempore.

17. *Quæ casu absunt, non dicuntur abesse;* id est quæ contingunt per accidens, non inducunt regulam generalem; qui casu abest, non ideo perdit domicilium, quia casus singularis non consideratur.

18. *Nihil refert quid ex æquipollentibus fiat;* id est si in aliquo quis debeat consentire, idem est si expresse verbis consentiat, ac si id faciat aliquo facto, quod manifeste consensum illum indicet, æquivalet.

actui donationis fuerit adnexum inventarium bonorum mobilium cum debitis et oneribus donatoris, moriente donatore, potest donatarius eligere inter hæc duo: vel acceptare omnia bona existentia tempore mortis donatoris ipsius, et solvere omnia ipsius debita: vel acceptare bona existentia tempore actæ donationis solvendo debita item eodem tempore extantia. Quod si inventarium illud non fuit actui donationis adnexum, tunc donatarius non habet jus, nisi ad bona existentia tempore mortis donatoris: ideo debet vel omnia acceptare cum debitis et oneribus, vel omnibus valedicere. Ratio discriminis est: in 1. casu bona actu donationis vi inventarii censentur translata in dominium donatarii; in 2. non sic ob inventarii defectum (Cod. civ. Ped. art. 1168, 1180, 1176. — C. G. 959, 1081. — C. P. 1927. — C. M. 1914).

APPENDIX I

NONNULLA AXIOMATA ET EFFATA JURIS CONSULTORUM ET PHILOSOPHORUM ELUCIDANTUR

749. 1. *Vitandus est absurdus intellectus, quamvis litteræ vis inferatur;* id est lex est explicanda etiam contra sonum materiam ejus verborum, si secus absurdam daret intelligentiam.

2. *Non procedit argumentum a contrario sensu, quando in casu contrario militat eadem vel major ratio;* id est quod dicitur de uno, non potest negari de alio, si una et eadem ratio, vel major in eodem genere pro utroque militet; tunc enim non habetur contrarietas, sed uniformitas.

3. *Argumentum a contrario sensu non valet, quando contrarium est decisum in jure;* id est quando aliquid est specialiter definitum a jure, tunc non potest de facili argumentari de eo ad suum contrarium; quia illa definitio potest esse exceptio, quæ non facit regulam.

4. *Annalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum;* id est cui datur actio ad repetendum solutum, datur etiam actio ad excipiendum ne solvatur; inutiliter enim datur quod statim potest repeti; et quamvis actio repetendi sit annualis seu temporalis, tamen jus excipiendi si nondum solutio facta est, semper durat et perpetuum est.

5. *Una pars alternative dubia declaratur per aliam;* id est cum ponitur aliqua alternativa, v. g., *hic, vel alius*, si una dictio sit dubia,

explicatur juxta veritatem dictionis secundæ, nisi urgeant fortiores conjecturæ in contrarium.

6. *Ad præteritum nulla est potentia;* id est cum præteritum redire non possit, non cadit sub nostra voluntate.

7. *Actus præsumitur factus secundum ejus naturam;* id est in dubio res accipitur prout sonat in se, et juxta genuinum, proprium et radicalem ejus sensum.

8. *Casus omissus manet in juris communis dispositione;* id est si aliquis casus non inveniatur resolutus in particulari, resolvitur juxta regulam generalem juris, et æquitalis.

9. *Delictum alicujus non debet operare immunitatem;* id est si ob tuum delictum ego liber evado a fide data servanda, non ideo tu liber et immunis es.

10. *Quod juris est de toto quoad totum, est de parte quoad partem;* id est ipsa ratio quæ vult, ut ponatur tota res quando tota poni potest, eadem vult ut eodem motivo ponatur pars, quando ipsa solummodo potest poni.

11. *Exemplum non arctat regulam;* id est quod ponitur exempli gratia non limitat, non coarctat dispositionem, ita ut ad aliud simile lex applicari non possit.

12. *Fictio non operatur plus quam veritas;* id est si quod vere ponitur non valet, multo minus valere debet quod ponitur fide; si illud lex non admittit, hoc multo minus admittere debet.

13. *Quod a principio est voluntatis, postea fit necessitatis;* id est ex eo quod quis voluntarie inierit contractum, postea necesse est, ut ipse stet promissis.

14. *Mitius agitur cum lege, quam cum homine;* id est cum homine ministro legis; seu magis fuerit præceptum speciale ab homine alicui specialiter datum, quam præceptum generale in lege generali contentum.

15. *Negatio magis negat, quam affirmatio affirmat;* id est una negatio totum subito destruit, at una affirmatio non undequaque rem statim sancit, sed habet latitudinem; negatio semper urget, affirmatio non semper.

16. *Quod incontinenti fit, dicitur inesse;* id est quod statim fit, censetur fieri uno tempore.

17. *Quæ casu absunt, non dicuntur abesse;* id est quæ contingunt per accidens, non inducunt regulam generalem; qui casu abest, non ideo perdit domicilium, quia casus singularis non consideratur.

18. *Nihil refert quid ex æquipollentibus fiat;* id est si in aliquo quis debeat consentire, idem est si expresse verbis consentiat, ac si id faciat aliquo facto, quod manifeste consensum illum indicet, æquivalet.

19. *Paria sunt esse et apparere*; id est tunc res dicitur fieri, quando ipsa innotescit.

20. *Qualitas adjuncta verbo debet regulari secundum tempus verbi*; sic, v. g., si quis aliquid alicui promittat de bonis suis, qualitas illa *de bonis suis* adjuncta verbo *promitto* quod est temporis presentis, debet intelligi de bonis in presenti possessis.

21. *Quoties duplex vitium ex una radice nascitur, una lege tollitur*; id est lex si tollit causam, omnes effectus, etsi plures ejusdem causæ, aufert.

22. *Quando duo sic se habent, ut alterum sit mensura, et alterum res mensa, lex corrigens vel limitans mensuram, censetur pariter corrigere vel limitare rem mensam, si eadem ratio in utrisque militet*. Patet; regula enim dat normam regulato.

23. *Causa causæ est etiam causa causati*; nempe quod producit aliquam causam, remote est etiam causa illius quod ab hac causa, a se prius posita producit, in effectibus naturalibus; nam causa producens causam dat illi potentias et vires operandi; ita sol producens lumen est causa remota manifestationis colorum.

24. *Causæ quædam sunt sibi invicem causæ*; id est in diverso genere: sicut purgatio est causa sanitatis in genere causæ efficientis, sanitas vero est causa purgationis secundum genus causæ finalis.

25. *Contrariorum eadem est disciplina*; nempe ad quam facultatem spectat rem aliquam recte cognoscere, ad eandem spectat etiam ejus contrariam perpendere; hinc dicitur quoque *contrariorum eadem est scientia*.

26. *Generatio unius est corruptio alterius*; id est dum aliqua res sua forma primitiva exiit, alteram induit: dum materia novam formam recipit, alteram deponit.

27. *Habitus entitativus et operativus*; nempe habitus qui subjectum bene vel male afficit quoad ipsum esse, dicitur *entitativus*, ut est pulchritudo et deformitas in vultu. Habitus vero quo subjectum proclive redditur ad aliquid facile agendum, ut habitus canendi, studendi, dicitur *operativus, dispositivus, etc.*

28. *Ad habitum a privatione non datur regressus*; id est forma seu potentia jam habita et per privationem amissa recuperari non potest; sic a morte ad vitam non est naturalis conversio, a vera cæcitate ad visum.

29. *Logica est omnia et nihil*; omnia nempe in potentia, quia qui perfecte illam possidet, omnia facile capit artium et scientiarum genera; est *nihil*, quia non docet res, sed solummodo rationem tractandi res.

30. *Malo contrarium est tum bonum tum malum*; sic avaritia male adversatur tum liberalitas bona, tum prodigientia mala.

31. *Motus intensior est in fine, quam in principio*; cum appropinquet ad terminum suæ naturæ convenientem.

32. *Negatio reducitur ad genus affirmationis*; quia nempe fundatur super aliqua affirmatione, quæ est quodammodo ejus causa; sic *non album* ad genus qualitatis reducitur.

33. *Primum movens debet esse immobile*; sane omne quod movetur, ab alio moveatur oportet; jam vero si illud quod movet, ab alio movetur, et hoc rursus ab alio, ita ut nunquam deveniatur ad primum movens omnino immobile, procederetur in infinitum in moventibus et motis; at si ita esset, nullus omnino daretur motus. Nam ad quemcumque motum concurrere deberet infinita series moventium et motorum; et ultimum movens non moveret, nisi quia motum ab alio et hoc ab alio et ita porro in infinitum; infinitum autem petransiri nequit, alioquin non esset infinitum. Non ergo daretur neque primum neque ultimum movens, ideoque nullus esset motus.

34. *Propter quod unumquodque tale et illud magis*; sic id quo est ratio diligendi, magis diligitur, quam id quod propter hanc rationem diligitur.

35. *Quæ in superioribus sunt unita, sunt multiplicata in inferioribus*; sic natura humana in universali est una; at in individuis est multiplicata, ita ut tot sint naturæ humanæ particulares numero et re distinctæ, quot sunt homines.

36. *Relata sunt simul cognitione*; hinc qui novit unum relatorum novit et alterum.

37. *Sapientis est ordinare*; ordinare est disponere secundum prius et posterius; at id solum valet qui novit rerum naturam; sed qui novit naturas rerum, ille sapiens est.

38. *Sicut se habet magis ad magis, sic simpliciter ad simpliciter*; v. g., si ultimus homo est melior optimo equo, homo absolute melior erit equo.

39. *Tale additum tali facit magis tale*; hoc est si sit aliqua qualitas in subjecto, et alia similis adjungatur, subjectum fit magis tale: ut si lignum sit calidum et adjungatur alius ligno calor, fiet magis calidum.

40. *Tria sunt omnia*; non quia omnia quæ sunt in rerum natura, sunt tria; sed quatenus hanc denominationem *omnis* non possunt aliqua accipere nisi sint saltem tria: sic si sint tria dicimus *omnes* tres, non si sint duo, neque dicimus *omnes* duo, *omnes* ambo.

Item ternarius numerus vocatur perfectus, quia in eo reperitur ratio principii, medii et finis; ex D. Thoma. — V. Bordes, *Summa Theologica minuta, seu totius Summæ Theologiæ D. Thomæ, manuale compendium*, Neapoli, 1862; sub initio, ubi alia explicantur vocabula.

APPENDIX II

DE ROTANTIBUS TABULIS ET SPIRITUUM
MANIFESTATIONIBUS


750. Quoad tabulas rotantes et spirituum manifestationes, præstat audire clariss. Bouix (*Revue des sciences ecclésiastiques*, première année, tom I, page 411 et seq.). Les tables tournantes n'ont pas seulement offert le phénomène d'un mouvement de rotation, par suite du contact de quelques personnes, dont les mains touchaient la table et se touchaient entre elles; mais aussi celui de frapper des coups répondant aux lettres de l'alphabet et exprimant la réponse à des questions; et même celui d'écrire sur un papier avec un crayon attaché à l'un des pieds de la table. Je ne m'arrête pas à rechercher si la réalité de ces sortes de faits a été bien constatée. D'après ce qui a été dit précédemment sur ce que les théologiens nomment *sacramenta diaboli*, on doit les regarder comme possibles. Il y en a eu de semblables ou d'équivalents à toutes les époques, et il s'en reproduira probablement jusqu'à la fin du monde. Ce qui importe, c'est d'apprécier exactement ces pratiques au point de vue de la licéité.

1° Quant au phénomène de la table qui répond à des questions en frappant un certain nombre de coups, et à celui de la table qui écrit lisiblement, et des phrases qui ont un sens, il est hors de doute qu'on ne doit point l'attribuer à une loi physique, mais à un agent surhumain. D'autre part, d'après les principes déjà établis, il n'est pas moins certain que cet agent surhumain n'est ni Dieu, ni un bon ange, ni l'âme d'un défunt, mais un démon. Enfin, d'après les paragraphes précédents, le phénomène diabolique peut avoir lieu, quand même ceux qui se livrent à ces pratiques n'auraient point l'intention de provoquer l'intervention du démon, ou même qu'ils protesteraient contre. Faire répondre des tables ou les faire écrire est donc de sa nature un acte des plus criminels. L'ignorance, la légèreté et la bonne foi pourront néanmoins faire que cette coupable tentative ne soit pas quelquefois un péché mortel.

2° Pour la simple rotation de la table, on a imaginé qu'un courant galvanique, déterminé par le contact des mains avec la table et entre elles, pourrait en être la cause physique. Nous ne pensons pas que des esprits sérieux et versés dans l'étude de la physique s'arrêtent à une pareille hypothèse. Mais, la laissant pour ce qu'elle vaut, nous ferons

observer l'inconstance, l'irrégularité et la bizarrerie du phénomène en question. Quelquefois la table qui a tourné ne tourne plus, quoique les personnes et les autres conditions physiques soient les mêmes. De plus, la table de tournante devient parlante par les coups qu'elle frappe. Ces circonstances et autres non moins bizarres excluent l'hypothèse d'une loi physique. Les lois de la nature ont pour caractère la régularité, la constance et la précision; caractère que l'action diabolique ne peut pas prendre. Nous pensons qu'en fait de casuistique on s'est complètement trompé en regardant comme licite l'expérience des tables tournantes. Le phénomène devait être regardé pour le moins comme très-probablement diabolique; et dès lors l'expérience ne pouvait en être licite. On ne saurait trop, ce semble, détourner les fidèles de ces pratiques dangereuses.

3° *Des esprits frappeurs.* — Il ne sera pas nécessaire de raisonner longtemps pour apprécier cet autre phénomène. Interroger des esprits qui répondent en frappant un certain nombre de coups corrélatifs aux lettres de l'alphabet, c'est évidemment entrer en communication et en société avec ces esprits. Or ces esprits, d'après les principes établis plus haut, ne sont ni les bons anges ni les âmes des défunts. Ce sont donc les démons. Et d'après tous les théologiens, communiquer avec le démon autrement que pour le repousser et le combattre comme un ennemi, c'est un des péchés les plus graves. Que ces esprits frappeurs, interrogés sur leur nature, répondent qu'ils sont les âmes des trépassés, c'est un mensonge qui ne doit pas surprendre de la part des démons. Les esprits évoqués par les nécromanciens disent aussi qu'ils sont les âmes des défunts. Le phénomène des esprits frappeurs n'est autre chose qu'une forme de nécromancie. Celui qui interroge les esprits frappeurs n'est pas moins coupable que celui qui pratique la nécromancie, à moins que l'ignorance ou l'irréflexion n'atténue sa faute.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
 DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX TOMI SECUNDI

SEQUENTIA TRACTATUS QUARTI.

DISPUT. II. De peccatis in specie, seu de vitiis capitalibus.	1
CAP. I. De superbia et avaritia.	2
CAP. II. De luxuria.	7
Art. I. De luxuriæ definitione, natura et divisione.	8
§ 1. De luxuria perfecta et naturali.	9
§ 2. De luxuria perfecta non naturali, seu contra naturam.	20
§ 3. De luxuria imperfecta.	27
Art. II. De luxuriæ filiabus et remediis.	37
CAP. III. De gula.	40
CAP. IV. De ira, invidia et acedia.	45
DISPUT. III. De censuris.	51
CAP. I. De censuræ nomine, natura, divisione ac conditionibus.	51
CAP. II. De iis qui censuras inferre possunt.	55
CAP. III. De censuræ subjecto et materia.	59
CAP. IV. De solemnitatibus in censura ferenda, et causis excusan- tibus.	62
CAP. V. De censuræ cessatione, seu de modis quibus censura de- letur.	66
CAP. VI. De singulis censuræ speciebus.	72
Art. I. De excommunicatione.	73
§ 1. De excommunicatione majori in genere.	75
N. 1. Privatio activa et passiva Sacramentorum.	75
N. 2. Privatio suffragiorum, precum et divinarum officio- rum.	78
N. 3. Privatio communionis forensis atque civilis, item jurisdictionis et sepulture ecclesiasticæ.	82
N. 4. Inhabilitas quoad beneficia, dignitates, pensiones et rescripta.	84
§ 2. De excommunicatione majori in particulari.	87
N. 1. Excommunicationes nemini reservatæ.	87
N. 2. Excommunicationes Episcopo reservatæ.	87
N. 3. Excommunicationes Pontifici reservatæ.	88
Corollarium. De Clericorum percussione.	90
Scholium. De Monitoriis.	95
§ 3. De excommunicatione minori.	96
Art. II. De suspensione.	99
§ 1. De suspensione in genere.	99
§ 2. De suspensionibus in particulari.	104
Art. III. De interdicto.	106
§ 1. De interdicto in genere.	106

§ 2. De nonnullis interdictis latae sententiae.	109
Adnotationes ad Tractatum quartum.	110

TRACTATUS QUINTUS.

DE VIRTUTE RELIGIONIS.

DISPUT. PREAMBULA. De virtutibus, ac Religionis natura et actibus.	142
DISPUT. I. De actibus Religionis internis.	146
CAP. I. De devotione.	146
CAP. II. De oratione.	149
Art. I. De meditatione et contemplatione.	159
Art. II. De oratione vocali.	165
§ 1. De oratione Dominica et Jaculatoria.	165
§ 2. De Horis Canonicis.	165
N. 1. De Horarum definitione, numero, origine et obligatione.	165
N. 2. De tempore, loco, ordine et forma in recitatione.	174
N. 3. De modo recitandi Horas Canonicas.	178
N. 4. De causis a recitatione excusantibus.	184
DISPUT. II. De actibus Religionis externis.	187
CAP. I. De adoratione.	187
CAP. II. De voto.	188
Art. I. De voti definitione, honestate et divisione.	188
Art. II. De conditionibus ad votum requisitis.	191
Art. III. De voti obligatione.	197
Scholium. De votorum interpretatione.	204
Art. IV. De voti extinctione.	205
CAP. III. De juramento.	215
Art. I. De definitione, divisione, honestate et necessitate.	215
Art. II. De conditionibus ad juramentum requisitis.	220
Art. III. De juramenti obligatione, extinctione et interpretatione.	227
Scholium. De adjuratione.	231
CAP. IV. De sanctificatione Festorum.	232
Art. I. De natura et vi hujus praecepti.	232
Art. II. De operibus quae diebus festis vetantur.	237
§ unicus. De causis, ob quas opera servilia permittuntur.	241
DISPUT. III. De vitiis quae virtuti Religionis adversantur.	246
CAP. I. De superstitione.	246
Art. I. De idololatria et divinatione.	248
Art. II. De vana observantia.	254
Corollarium. De Magnetismo, uti vocant, <i>animali</i> , seu Mesmerismo.	259
CAP. II. De irreligiositate.	261
Art. I. De tentatione Dei, blasphemia et sacrilegio.	261
Art. II. De simonia.	274
§ 1. De simoniae natura et divisione.	274
§ 2. De pœnis quibus simonia punitur.	286

§ 3. De causis a simoniae labe excusantibus.	292
Adnotationes ad Tractatum quintum.	297

TRACTATUS SEXTUS.

DE VIRTUTE JUSTITIE.

QUESTIO PREAMBULA. De justitia et jure.	363
DISPUT. I. De dominio.	367
CAP. I. De domini natura.	367
Scholium. Communismus.	369
Corollarium. Radicalismus, Socialismus et Fourierismus seu Systema Phalansterianum.	371
CAP. II. De domini objecto, subjecto, ac modis illud acquirendi et amittendi.	372
Art. I. De dominio infidelium et peccatorum, parvulorum et amentium, Ecclesiae et Ecclesiasticorum.	378
Art. II. De dominio filiorumfamilias, de patria potestate et uxorum bonis.	387
DISSERT. I. De occupatione, accessione et traditione.	396
CAP. I. De occupatione.	396
CAP. II. De accessione et traditione.	405
DISSERT. II. De hereditate.	409
CAP. I. De hereditate testamentaria.	410
§ 1. Dispositions générales.	411
§ 2. De la capacité de disposer ou de recevoir par donation entre-vifs ou par testament.	411
§ 3. De la portion de biens disponible.	413
§ 4. De la réduction des donations et legs.	414
§ 5. De la forme des testaments.	416
§ 6. Des institutions d'héritiers et des legs en général.	418
§ 7. Du legs universel.	418
§ 8. Du legs à titre universel.	419
§ 9. Des legs particuliers.	420
§ 10. Des exécuteurs testamentaires.	422
§ 11. De la révocation des testaments et de leur caducité.	422
§ 12. De testamentis quibus desunt solemnitates præsriptæ.	424
§ 13. De substitutionibus.	431
CAP. II. De hereditate legitima sive ab intestato.	432
§ 1. De l'ouverture des successions.	432
§ 2. Des qualités requises pour succéder.	435
§ 3. Des divers ordres de successions.	435
§ 4. De la représentation.	434
§ 5. Des successions déléguées aux descendants.	435
§ 6. Des successions déléguées aux ascendants.	435
§ 7. Des successions collatérales.	436
§ 8. Des successions irrégulières.	437
§ 9. Des droits du conjoint survivant et de l'État.	437

§ 10. De l'acceptation et de la répudiation des successions. . .	438
§ 11. Du bénéfice d'inventaire.	458
DISSERT. III. De prescriptione.	440
DISSERT. IV. De contractibus.	451
CAP. I. De contractibus in genere.	451
Art. i. Personæ quæ contrahunt, res in contractum deductæ et consensus contrahentium.	454
Art. ii. Contractuum forma externa, et illorum effectus.	465
<i>Scholium.</i> De obligationibus, nulla præcedente conventionē.	475
CAP. II. De contractibus in specie.	475
Art. i. De emptione et venditione.	475
§ 1. De consensu.	475
§ 2. De merce.	477
§ 3. De pretio.	485
§ 4. De quibusdam venditionis speciebus, de permutatione, et venditionis rescissione.	489
Art. ii. De locatione et conductione.	497
§ <i>unicus.</i> De locatione animalium.	501
Sect. 1. Du cheptel simple.	502
Sect. 2. Du cheptel à moitié.	503
Sect. 3. Du cheptel donné au fermier.	505
Sect. 4. Du cheptel donné au colon partiaire.	504
Sect. 5. Du cheptel improprement dit.	504
Art. iii. De censu, emphyteusi, vitalitio, pignore, hypotheca, cambio et transactione.	504
Art. iv. De contractu societatis et contractu trino.	515
Art. v. De mutuo et usura.	521
§ <i>unicus.</i> Tituli, vi quorum licet supra sortem exigere.	550
Art. vi. De donatione.	558
<i>Corollarium.</i> De dote propter nuptias et promissione.	545
Art. vii. De deposito, sequestro, fidejussione, commodato, pre- cario et mandato.	546
Art. viii. De contractibus aleatoris.	555
DISPUT. ALTERA. De servitutibus.	560
CAP. I. De servitutibus prædialibus.	560
CAP. II. De servitutibus personalibus, id est de usu, usufructu, habitatione et possessione.	562
APPENDIX. De mercatura seu commercio.	571
<i>Adnotationes</i> ad Tractatum sextum.	577
APPENDIX I. Nonnulla axiomata et effata jurisconsultorum et philoso- phorum elucidantur.	626
APPENDIX II. De rotantibus tabulis et spirituum manifestationibus.	650

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI

